IOH. FRIDER. FISCHERI

PROLVSIONES

DE VITIIS LEXICORVM NOVI TESTAMENTI

SEPARATIM ANTEA

NVNC CONIVNCTIM

EDITAE

MVLTIS PARTIBVS AVCTAE

MVLTISQVE IN LOCIS EMENDATAE

LIPSIAE

SVMTV CASPARI FRITSCHII

A. C. CIↃ IↃCC LXXXXI

VIRO
MAGNIFICO ILLVSTRI
EXCELLENTISSIMO
IOH. FRIDER. ACQVERMANO

MEDIC. DOCTORI ET PROF. ORDINAR. IN ACAD. KILON. EIVSQVE QVAEST. ET H. T PROR. POTENTIS. QVE REG. DANORVM IN REBVS AD REMP. PERTINENTIBVS CONSILIARIO ET ARCHIATRO

S. P. D

IOH. FRIDER. FISCHERVS

Quum tu, vir illustris, vere anni superioris, traditurus mihi in disciplinam, pro singulari tua eius fiducia, filios tuos duo, praeclari ingenii, atque spei optimae, adolescentes, vna cum iis ipse in vrbem nostram ita venisses, vt etiam mecum de rebus ma-

xime ad literas bonas pertinentibus sermones institueres: ex iis, non sine maxima quadam voluptate, cognoui, et perspexi, plane, cum quanti abs te fierent studia Graecarum, Latinarumque, literarum, quarum cognitione graui accurata scientia maiorum disciplinarum omnino omnium contineretur, tum quam praecipuo tu fauore prosequerere antiquam institutorum scholae Thomanae seueritatem. Huius vero amoris tui rerum ludi nostri magnitudinem, iudiciique de vtilitate doctrinae Graecae, et Latinae, grauitatem, e disciplina, quae pueritiae tuae, et adolescentiae, contigerit, effloruisse, facile intellego. Neque enim ignoro, te ante hos quatuor, et quadraginta, annos e disciplina praecepto-

rum

rum ſcholae Thomanae non ſine magna laude diſceſſiſſe, hoc eſt, auctum copiis Graecarum, Latinarumque, literarum iis, quae diligentiae poſtea, atque exercitationis, aſſiduitate tantum collegerint robur, tantamque firmitatem, vt eius maxime artis, quam tu nunc in Academia Kilonienſi ſumma cum admiratione ſapientiſſimi cuiuſque profiteris, eam conſequutus ſis ſcientiam, cuius ſplendor ita illuſtrarit nomen tuum, vt nullum vnquam tempus memoriam illius obſcuraturum eſſe, nedum extincturum, vllo modo videretur. In hoc igitur tanto tuo rei Thomanae amore, in hac tanta tua doctrinae antiquae facultate, ſperaui, libellos de vitiis Lexicorum Noui Teſtamenti, quos ego ſeparatim antea,

 nunc

nunc coniunctim, edidissem, recte a me posse, et ita, mitti ad te, excellentissime vir, vt hoc consilium meum, non modo tibimet ipsi, sed etiam aliis bonis omnibus, probaretur. Vides enim, eos a me conscriptos esse in ipso ludo Thomano, vt studia alumnorum disciplinae eius opera mea qualicunque adiuuarem, meque in iis componendis vnice hoc spectasse, vt iuberem, atque adeo meo ipsius exemplo docerem, adolescentes, iuuenesque, ingenuos comparare sibi summo studio, atque diligentia, luculentas literarum Graecarum, et Latinarum, etiam orientalium, copias, quarum vsura legitima vias sibi, atque aditus, ad subtilem librorum, et Euangelistarum, et Apostolorum, intellegentiam, interpre-

pretationemque, patefacerent, atque munirent. His vero maxime in voluminibus expoſita contineri omnia, quorum cognitio grauis pertineat ad aſſequendam finem, quam vnam ſibi propoſitam habere vita tota, vt Chriſtianorum omnino omnium, ita in primis eorum, qui in ſtudiis ingenuarum doctrinarum verſentur, debeat, hoc eſt, felicitatem aeternam, quis neſcit? Et profecto, non tam gaudebis, quam laetaberis, mecum, vir ſumme, deum, pro incredibili ſua benignitate, voluiſſe euentum huic conſilio meo, atque pietati, etiam cumulatiſſime reſpondere. Neque enim modo exiſtere iuſſit ingentem iuuenum liberalium multitudinem, qui hos libellos meos ſtudioſe, atque ita, lectitarent, vt, adiumen-

tis, ornamentisque, interpretationis librorum Noui Testamenti accuratae cognitis, ea conquirere, et collegere, literis Graecis, et Hebraicis, et Latinis, diligentius tractandis, instituerent, sed etiam praeceptis meis conciliauit approbationem virorum, et doctrinae copia, et iudicii grauitate, excellentissimorum haud paucorum, qui ea, cum laudarent in scriptis suis, tum in explicanda Euangelistarum, et Apostolorum, oratione sequerentur. Atque hoc quidem in numero est is, qui Christi. Schoetgenii Lexicon Noui Testamenti, post Ioh. Tob. Carcinum, nuper denuo edidit multis copiis locupletatum, et loco non vno emendatum, neque tamen ita adornatum, vt nostris, aliorumque, optatis,

tis, et desideriis, satisfecerit. Interpretatus enim in eo est vocabulorum, et singulorum, et iunctorum, numerum non mediocrem, nostro maxime admonitu, multo rectius, et diligentius, sed ita, vt nostris fere verbis, rationibus nostris, vsus sit, omninoque multis idem ornamentis necessariis, quibus Lexica huius generis adhuc ad vnum omnia caruissent, instruere, auctoritate potissimum nostra, conatus est. Quum igitur sciremus, lectionem trium illorum, et triginta, libellorum, quibus ea, quae ad quaestionem de vitiis Lexicorum Noui Te-*

* Vid. v. ἀγορὰ, αἴρω, ἀπαρνέομαι, βαΐον, βασανιστὴς, Βηθσαϊδὰ, διχάζω, δόξα, ἐπικαθίζω, ἐπιούσιος, εὐδοκία, Ἡρώδης, Ἰεχονίας, ἱκανότης, καθίζω, κοδράντης, λεγεὼν, μάχαιρα, παχύνω, χαίρω, Χριστὸς, ὠτίον, κ. τ. λ.

stamenti pertinere viderentur, complexi essemus, haud inutilem repertam esse multis, qui naturam, et virtutes, orationis scriptorum diuinorum Graecae cognoscere vellent: non dubitauimus parere voluntati fautorum disciplinae nostrae, qui eos a nobis coniunctim edi, atque adeo in plurium manus venire, propterea cuperent, quod sperarent, praeceptis nostris, et vocibus, gubernari, adiuuarique, posse operam maxime eorum, qui posthac essent huiusmodi Lexica condituri idonea, omnibusque numeris, ac partibus, absoluta. Recognouimus autem has prolusiones nostras diligenter, atque sic, vt multis ipsas modis, et adauxerimus, et emendarimus: sed epilogos earum retinendos esse, neque re-

mo-

mouendos, censuimus, et vt memoria grauitatis, atque constantiae, alumnorum disciplinae nostrae excellentium, etiam nostri testimonii fide, conseruaretur: quod quidem officium a magistris fidelibus deberi probis discipulis, quis neget? et vt posteritas erudita haberet, vnde iudicare recte posset, non solum quis, qualisque, fuisset hac aetate nostra rei Thomanae status, sed etiam quo, quantoque, amore complexus esset rector scholae collegas suos, et discipulos, omnino omnes, quaque, et quanta, admiratione, atque caritate, Phil. Melanthonis, Georgii Fabricii, Claudii Salmasii, Iani Cornarii, Cunr. Ritershusii, Ioh. Gerhardi, Sethi Caluisii, Christo. Cellarii, aliorumque summorum hominum,

in-

inflammatus animus eius flagrasset. Et omnem huncce laborem a me susceptum esse hoc potissimum tempore, facile intelleges, vir sapientissime, quo stimuli doloris, quem mihi attulisset quamuis placida, tamen praematura, mors filii mei vnici, cordique meo, propter rectissimam, et optimam, indolem, egregiamque in deum, et parentes, et sorores, et praeceptores, omninoque necessarios omnes, pietatem, et mirificam probitatem, carissimi, Erdmani Friderici Rudolphi, quindecim annorum adolescentis, quem speraram, quum incredibili quodam, vt omnino literarum bonarum omnium, ita in primis linguae Graecae, et Latinae, et Hebraicae, studio captus teneretur, esse aliquando vestigia mea etiam hoc

in

*in genere acerrime persequuturum, hebetarentur quodammodo, non frangerentur *. Hoc enim fieri non posse, nisi ipsius dei auxilio, omnes, quicunque se assectatores sapientiae Christianae profitentur, sciunt. Is igitur me quidem vsque cogitare diligenter iubeat, animum filii mei iam in caelo gaudiis*

* Quinctil. prooem. lib. 6, 1. s.: *Haec, Marcelle Victori, ex tua voluntate maxime ingressus, tum si qua ex nobis ad iuuenes bonos peruenire posset vtilitas, nouissime pene, et necessitate quadam officii delegati mihi, sedulo laborabam, respiciens tamen illam curam meae voluptatis, qui filio, cuius eminens ingenium solicitam quoque parentis diligentiam merebatur, hanc optimam partem relicturus hereditatis videbar: vt, si me, quod aequum, et optabile, fuit, fata intercepissent, praeceptore tamen patre vteretur. At me fortuna id agentem diebus, ac noctibus, festinantemque, metu meae mortalitatis, ita subito prostrauit, vt laboris mei fructus ad neminem minus, quam ad me, pertineret. Illum enim, de quo summa conceperam, et in quo spem vnicam senectutis meae reponebam, repetito vulnere orbitatis, amisi.*

diis liquidis, et incredibilibus, cumulatum versari, meumque animum esse breui in easdem sedes, vbi eadem percipiat gaudia, migraturum. Tibi autem, vir illustris, idem numen diuinum contingere sinat eam laetitiam, vt filios tuos, quos, et literarum cupiditate, et virtutis studio, incensos flagrare video, literatissimos aliquando, et honoratissimos, quam diutissime spectes. Sic enim, et Academia vestra, cuius tu rebus nunc tanta cum laude praees, doctrinae tuae luce vehementer illustrabitur porro, et mihi licebit te, fautorem studiorum meorum certissimum, etiam posthac quam diligentissime colere. Vale. Scripsi Lipsiae, in schola Thomana, a. d. VIIII. *Kalendas Apriles A. C.* CIƆIƆCCLXXXXI

ARGVMENTA

PROLVSIONVM TRIVM ET TRIGINTA

VI. De

quibus

 narum,

PROLV

PROLVSIO PRIMA

DE NOTIONIBVS FALSIS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS EIVS SINGVLIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Etsi pueros vulgo ita instituí literis Graecis solere scimus, vt initia institutionis ab lectione librorum diuinorum Noui Testamenti capiantur; etsi non ignoramus, multos scholarum magistros in ea versari sententia, vt credant, Euangelistarum commentarios, et epistolas Apostolorum, longe citius, et facilius, intellegi a tironibus posse, quam Homeri carmina, quam Aeschyli, et Euripidis, et Sophoclis, fabulas: tamen certissimum cuique debet, exploratissimumque, videri, nullum inueniri librum humanum, quamuis intellectu difficillimum, quem non prius, quem non facilius, interpretari possis, atque explicare, quam libros Noui Testamenti diuinos. Nam primum quidem rerum, quae in iis expositae inueniuntur, is splendor est, ea magnificentia, ea sublimitas, quam neminis mens capere, quam neminis ingenium assequi,

sequi, valeat, nisi perspiciendi, iudicandique facultate summa polleat, nisi haec ipsa perspicientiae, iudiciique, vis regatur, atque gubernetur, numine, afflatuque, diuino: deinde ipsius orationis ea indoles est, ea natura, vt intellegi nullo modo possit sine iusta Hebraicarum, Graecarum, Latinarumque, literarum scientia, sine perfecta historiae, morum, institutorum, Romanae in primis, Iudaicae, et Graecarum, ciuitatum cognitione, sine absoluta notitia fatorum, studiorumque, familiae Christianae illorum temporum. Harum vero difficultatum eam esse magnitudinem, quae nec ab solertissimis, eruditissimisque, hominibus vinci plane, et superari, possit, memoria omnium aetatum satis docet. Consulti enim sunt, et inspecti, inde a tribus ferme saeculis, librorum Noui Testamenti, vel singulorum, vel vniuersorum, optimi, antiquissimique, codices magna diligentia a doctissimis hominibus: congesta est, nostra maxime, patrumque nostrorum, memoria, summo studio, incredibilique, et industria, et cura, a Millio in primis, et Neocoro, et Bengelio, et Vetstenio, ea lectionum variantium copia e codicibus, et Graecis, et Latinis, e versionibus antiquis omnis generis, aliisque libris paene innumerabilibus, quae vix augeri posse videretur [1]: et tamen nemo adhuc inuentus est, qui auderet [2] hoc

1. Sed vid. Prolus. 33. s. 4.

2. Ausi vero sunt hoc facere nuper Grisbachius, et Haruodius, et Matthaeius. Et Grisbachius quidem libros N. T. a se ad fidem codicum veterum recensitos emisit Halis A. C. 1775. et 1777. Voll. 2. octonis: Haruodii exemplum N. T. exiit Londini A. C. 1776. Voll. 2. octonis: Matthaeius inde ab A. C. 1782. vsque

hoc tanto, tamque copioso, apparatu ita vti, vt recenseret libros diuinos diligenter, et textum Graecum, e legibus criticis, constitueret, exemplo criticorum aliorum, qui in edendis libris barbaris, et Graecis, et Latinis, hoc in primis agendum sibi vident, vt orationi scriptorum, codicum veterum ope, integritatem restituant. Cuius quidem neglegentiae, atque incuriae, caussam maximam opinamur hanc fuisse, quod verentur, vt satisfacerent hoc in genere doctrinae, et iudicio, omnium; quod viderent, quam difficile esset, veras lectiones, genuina verba, locis omnibus, diiudicare, et distinguere, a verbis suppositiciis, a lectionibus falsis. Sed iidem libri diuini magnos semper nacti sunt, et in primis doctos, interpretes, vt Erasmum, Bezam, Grotium, etiam Camerarium, et Strigelium, atque alios: et tamen nullus adhuc extitit, qui omnes locos ita illustraret doctrinae suae luce, vt nihil tenebrarum, et obscuritatis, relinqueretur; qui omnia ita explicaret solertiae suae auxilio, vt non magnus interpretationum numerus vanitatis conuinci ab aliis posset: immo, vt quisque est doctissimus, ita fatetur libentissime, atque etiam profitetur, nullum extare librum, in quo maior restet obscurorum, nec plane expeditorum, locorum copia, quam in libris Noui Testamenti diuinis. Et ex eo non eluceat maxime, ex eo non planissime intellegatur, quantis,

vsque ad A. C. 1788. adornare instituit nouam eorumdem librorum editionem, Rigae Voll. 12. octonis. At hoc non vnius hominis opus est, sed plurium, neque iuvenum, sed senum, eorumque optimorum, et grauissimorum, et Hebraice, Graeceque, doctissimorum. vid. Prolus. 23. f. 2. extr.

tis, et quam multis, difficultatibus coniuncta sit horum librorum interpretatio? Sed harum ipsarum difficultatum praecipua, et singularis, magnitudo cognoscitur etiam ex iis libris, quibus complecti instituerunt multi, ex quo Christiana religio splendorem recepit pristinum, Lutheri maxime, eiusque amicorum, opera, et studiis, interpretationem singulorum verborum, et dicendi formularum: quos libros vulgaris consuetudo Lexica appellat. Nam, nostro quidem iudicio, nemini adhuc contigit, vt Lexicon Noui Testamenti conderet omni ex parte perfectum, in quo non aliorum doctrina, et scientia, plurima desideraret, erroresque auctoris haud paucos deprehenderet. Hoc vero iudicium nostrum ne cui vanum forte, cupidumue, videatur; cuius reprehensionis iniuriam eo magis timendam esse videmus, quum reperiantur multi, qui aetatem nostram glorientur, et iactent, adscendisse etiam hoc in genere in summum fastigium, ipsorum scilicet doctrinae, solertiaeque, gradibus: age, exponemus paulo copiosius, si non de omnibus, tamen de praecipuis, et maximis, vitiis Lexicorum Noui Testamenti, quae nostra, patrumque nostrorum, aetas vidit. Quae quidem disputatio descripta erit, et distributa, in tres partes. Primum enim varia ipsorum vitiorum genera afferentur a nobis, et notabuntur: deinde origines eorum, et fontes, e quibus fluxisse reperiantur, aperientur, et demonstrabuntur: postremo, quae remedia paranda istis vitiis, quomodo fontes eorum obstruendi, videantur, docebitur.

II. Vt autem iudicari eo verius a quoque, et statui, de ingenio horum vitiorum, atque indole, possit; vt appareat, intellegaturque, eo magis,

gis, ea, quae notaturi ſumus, et caſtigaturi, vitia eſſe hoc nomine digna, atque adeo recte a nobis in numero vitiorum poni: videbimus breviter ante, quam ordiamur de ipſis vitiis quaerere, quid ſequi auctores Lexicorum Noui Teſtamenti, quid ſpectare, in componendis huiuſmodi libris oporteat; quibus dotibus hi libri praeſtare, quibus virtutibus eminere, debeant, vt ſuo in genere vtiles, perfectique, cenſeantur. Sed Noui quoque Teſtamenti Lexica propterea componi, et edi, omnes norunt, vt oratio ſcriptorum diuinorum ab tironibus, caeteriſque conſultoribus, intellegatur: et quum intellegi verba alterius dicamus ab eo, cuius menti earundem rerum ſpecies, et formae, occurrant, quae obuerſentur, obuerſataeue fuerint, menti auctoris verborum: ſponte apparere putamus, afferri debere in his libris, et explicari, omnes omnium verborum, formularumque, ſignificatus, ita quidem, vt ab hac eorum explicatione abſit omnis obſcuritas, ambiguitas, vanitas. Obſcuritas autem in explicandis verbis, et ſingulis, et iunctis, quum fere naſcatur, ſi verba annumeres in interpretatione, ſi origines eorum conſectere, ſi ducem ſequare conſuetudinem alienae linguae, neque eius, qua in explicando vtare; quum conditores Lexicorum Noui Teſtamenti in explanandis verbis, formuliſque, Graecis recte vtantur lingua Latina, quam tenere quiſque eorum conſultor debere videatur, qua accurate omnia, et perſpicue, explicari poſſe reperiantur: in conuertendis, interpretandiſque, verbis, et formulis, diuinorum ſcriptorum vnice hoc ſpectandum erit, vt ratio habeatur vſus loquendi Latini. Neque tamen ſignificationes

tantum verborum singulorum omnes afferri debent, non tantum vis formularum exprimi debet perspicue, et ad rationem Latinam accommodate: sed rationes etiam poni in medio oportet, quibus interpretatio verbi, et formulae, cuiusque confirmetur, ita, vt lectores videant, vt reperiant, cur verba, cur formulae, multae vim nouam habeant, Graecisque inauditam; vt intellegant, vnde acceperint tot formulae, et verba, significationes insolentes, et inusitatas. Quarum quidem rationum, et caussarum, copiosissimum promtuarium habetur vsus loquendi Hebraicus. Et quum structura verborum in libris Noui Testamenti sit valde impedita multis locis, et noua; quum longe abhorreat non raro ab consuetudine Graeca, vt, nisi expedita diligenter fuerit, periculum sit, ne verba ipsa intellegi a lectoribus non possint: horum cupiditati, et doctrinae, consulendum erit hoc quoque in genere, linguae in primis Hebraicae auxilio, ita, vt etiam Alexandrinae versionis auctoritas adhibeatur. Omnino ex historiae, geographiaeque, veteris, et antiquitatis vniuersae, fontibus ea erunt haurienda, et petenda, quae valeant ad declarandam, patefaciendamque, et singulorum verborum, et formularum, potestatem. Atque haec quidem apparet ornamenta esse Lexicorum Noui Testamenti prorsus necessaria, quibus carere hi libri nullo modo possint, si idonei debeant, vtilesque, censeri. Sed quum multi tirones attingere iubeantur libros Noui Testamenti a magistris, qui vix initia Graeci sermonis perceperint; etsi ea ratio, vt supra demonstrauimus, nullo modo probanda videtur, tamen quum vix mutari possit in hac tanta multorum

magi-

magiſtrorum inſcitia, et ſtultitia, in hac incredibili multorum diſcipulorum leuitate, et pigritia, in hac non ferenda aliorum ſapientiae, et ſanctitatis, neſcio cuius, ſimulatione: erit diligenter videndum in condendis Noui Teſtamenti Lexicis, vt nullum verbum omittatur, vt nulla formula intacta relinquatur; vt omnes omnium verborum, formularumque, loci, et ſedes, indicentur; vt verba maxime ea, quae caeteri Lexicographi recentiores, aut omnino praeterierint, aut certe auctoritatibus ſcriptorum veterum non munierint, et annotentur, et illuſtrentur; vt ſignificatus verborum, formularumque, omnes ita afferantur, vt primi, et proprii, anteeant, alieni, et tralati, ſequantur, quo coniunctio eorum, atque neceſſitudo, plane appareat. Deinde quum in Gloſſariis antiquis, maximeque Heſychiano, multa verba Noui Teſtamenti explicata legantur; quum haec interpretamenta non minus idonea ſint, et perſpicua, quam ea, quae extant in ipſis Noui Teſtamenti Gloſſariis, quale ab Albertio editum habemus; quum horum gloſſematum cognitio tironum exercitatiorum liberalem induſtriam, et diligentiam, non parum acuere, et incitare, poſſit: his quoque interpretamentis Lexica Noui Teſtamenti augenda, et ornanda, eſſe arbitramur. Et vt neceſſe eſſe intellegitur, vt auctores Lexicorum oſtendant, quam recenſionem Graeci textus in iis componendis ſequuti ſint, quum Complutenſe exemplum ab exemplis Eraſmi, et ab his Bezae exempla, et alia ab aliis, non vno loco diſcrepent; ita non parum proderit commemorare varietatem lectionis codicum veterum, qua appareat, aut adiuuari poſſe, et confirmari, interpretatio-

 nem,

nem, intellegentiamque, lectionum receptarum, aut demonſtrari, et doceri, earundem leuitatem, et vanitatem. Denique quum iudicia, et praecepta, grammaticorum veterum de bonitate, et elegantia, etiam vſu recto, et forma proba, verborum multum facere poſſe videantur ad cognoſcendum ingenium orationis Graecae Noui Teſtamenti; quum tirones eo adducere poſſint, vt libros, et diuinos, et humanos, attentius legant, et orationem vtriuſque librorum generis comparent inter ſe diligentius: neque ea praetermittenda eſſe in iis, de quibus quaerimus, libris putamus. Et quum in libris doctorum veteris eccleſiae, Origenis maxime, et Chryſoſtomi, et Theodoreti, multae multorum verborum, multarum formularum, praeclarae, elegantesque, interpretationes reperiantur; quum hae interpretationes coactae quaſi, et collectae, extent in iis libris, quos Catenas appellamus: horum quoque librorum ratio habenda videtur ab auctoribus Lexicorum Noui Teſtamenti; praeſertim quum incendi ea re poſſit, atque adeo inflammari, in tironum animis ſtudium inſpiciendi, atque conſulendi, ipſos theologorum veterum libros, quod extinctum paene nunc, et deletum, eſſe, dolet optimus quiſque. Atque haec ſunt ornamenta Lexicorum Noui Teſtamenti, ſi non neceſſaria, attamen vtilia, quae animos lectorum liberales, doctrinaeque grauis cupidos, et capere, et tenere, facile poſſint: et Lexicis, quae vtroque virtutum genere emineant, iis bonitatis, perfectioniſque, laudem tribuendam eſſe cenſemus.

III. Sed in Lexicis, quae adhuc quidem edita ſunt, magnus horum ornamentorum numerus

rus desideratur, immo multa etiam vitia illis virtutibus contraria deprehenduntur, vt nemo, qui horum librorum adminiculis innitatur, assequi sententiam oraculorum diuinorum vllo modo possit; vt potius non parum verendum videatur, ne ii, qui hos duces sequantur, aberrent inde, et auferantur ad alia omnia. Possunt autem vitia ista recte describi, ac redigi, in classes duas. Alia enim sunt eiusmodi, quae, quum vitari, ob imbecillitatem humanam, facile nequeant, nihilque admodum, certe parum, tironum diligentiae obsint, non magnopere reprehendenda videantur: alia vehementer tardant, et impediunt, progressum lectorum in studiis Graecarum literarum, diuinorumque librorum intellegentia, adeo, vt in primis notanda, et castiganda, esse appareat. Ordiemur a posteriori genere: inde ad id, quod primo loco posuimus, proficiscemur.

IIII. Vidi igitur, et reperi, in omnibus Noui Testamenti Lexicis primum multis verbis, multis formulis, notiones, et significatus, aut omnino falsos, aut certe vehementer vagos, vt ita dicam, et ambiguos, et ancipites, aut iusto ampliores, angustioresue, esse attributos: deinde in explicanda vi, et potestate, cum verborum singulorum, tum integrarum formularum, ea vtuntur oratione Latina, quae a nemine, qui quidem Latina munditie, atque elegantia, assuefactus sit, intellegi vllo modo possit: denique nullas fere interpretationis verborum, formularumque, rationes afferunt, et, neque fontes demonstrant, e quibus manarit noua, insolensque, potestas huius, illiusue, verbi, huius, illiusue, formulae, neque vllam structurae orationis ra-

tionem habent; quae tamen quam longe recedat interdum ab Graeca elegantia, neminem fugere poteſt, qui vel leuiter volumina Graeca attigerit; etiam multa praetereunt, multa peccant, in iis, quae ex hiſtoria, et geographia, vetere, omninoque ex inſtitutis, atque moribus, antiquis, depromta proponunt ad illuſtrandos librorum diuinorum locos. Quorum quidem vitiorum exempla cuiuſque generis nonnulla, age, afferemus, vt non ſolum de iudicii noſtri veritate, et grauitate, conſtet omnibus, ſed vt lectores quoque Noui Teſtamenti liberales, et cupidi, verum non ſatis periti, et exercitati, admonitu noſtro, cauendum ſibi diligenter videant, ne temere ſequantur auctoritatem huiuſmodi librorum, neque acquieſcant, vt fit, in eorum praeceptis, ac decretis. Quaeremus autem, et diſputabimus, de vno, et item altero, verbo, de vna, et item altera, formula, paulo vberius, et diligentius, cum vt tirones, et alii, intellegant, quot, quantiſque, doctrinae barbarae copiis opus ſit ad intellegendam, explicandamque, librorum Novi Teſtamenti orationem, tum vt appareat eo magis, quam formam nos, quam ſpeciem, boni eorum Lexici conceptam mente teneamus.

V. Atque primi quidem generis, hoc eſt, falſarum, notionum verborum ſingulorum exempla haec ſunto. Ὠτίον Paſor, Stocquius, et, quod mirari ſatis non poſſum, ipſe Suartius, docent eſſe, apud Matthaeum [3], caeteroſque Euangeliſtas, *auriculam*, quum tamen eo, vt vocabulo οὖς, tota *auris* ſignificetur. Nam etſi Latinus interpres vetus idem vocabulum Graecum hoc

3. C, 26, 51. Marc. 14, 47. Luc. 22, 51. Ioh. 18, 10. 26.

hoc ipso verbo Latino reddidit; quo in genere hominis auctoritatem Sedulius [4], aliique scriptores Christiani veteres, sequuti reperiuntur: tamen ab eo declaratam esse isto nomine ipsam *aurem*, exemplo priscorum Latinitatis auctorum, satis apparet ex eo, quod idem nomen posuit [5] pro ipso vocabulo οὖς· sed hoc ab illis Lexicorum conditoribus factum esse non videtur, quum vocabulo οὖς *aurem* significari tradant; immo certissimum putamus, eos *auriculam* deminutiue dixisse, neque nescimus, multos reperiri, quos nominare non est necesse, qui, hac Lexicorum inscitia speciosa decepti, sibi persuaserint, seruo pontificis maximi ablatam ferro fuisse *imam auris* dextrae *partem*, quam medici veteres λοβὸν [6], Glossariorum veterum auctores *lamnam* [7], vocant, non totam *aurem* dextram. At primum quidem

4. Carm. paschal. 5, 70. ff. *pueroque reuulsam Ense Petri — Reddidit* auriculam. Sed Iuuencus hist. euang. 4, 523. ff. *Tunc e discipulis vnus fulgente machaera Occurrit vatis famulo, sublatus in iram, Tempore et excisam rapuit vi vulneris* aurem.

5. Luc. 22, 50. Neque enim assentior Millio, et aliis, qui hominem putant pro τὸ οὖς legisse τὸ ὠτίον, quae est codicis Bezae Cantabrigiensis lectio. Nam interpres ille Latinus etiam alibi τὸ οὖς dixit *auriculam:* vid. Ex. 29, 20. Leuit. 8, 22. 23. 14, 14. 17. 25. 28. 1. Parall. 17, 25.: et libro Bezae constat contineri omnino multas lectiones e verbis versionis Latinae veteris effictas.

6. Hesychius: Λοβοί· τὰ ἄκρα πάντα· κυρίως δὲ τῶν ὤτων τὰ κάτω —. add. Suidas v. λοβός· Etymol. M. v. λοβοὶ, et Eustathius ad Il. ξ', 182. p. 976. 32. Rom., cuius verba suum in Lexicon transtulit Phauorinus v. λοβοί.

7. Gloss. vett. Λοβὸς ὠτίȣ *Lamna*. His verbis Graecis septuaginta interpretes expresserunt Hebraica verba תְּנוּךְ אֹזֶן. vid. Ex. 29, 20. Leuit. 8, 22. 23. 14, 14. 17. 25. 28

quidem exploratiſſimum eſt, nomen ὠτίον, vt in verſione Veteris Teſtamenti Alexandrina, ita etiam in libris Noui Teſtamenti, reſpondere nomini Hebraico אֹזֶן: quo ipſo vocabulo Syrus interpres verbum Graecum reddidit, vertit enim ܐܕܢܐ. אֹזֶן autem *auris* eſt, non *auricula*. Deinde tradunt grammatici veteres Graeci, οὖς, et ὠτίον, eſſe verba idem declarantia, neque differre inter ſe, niſi ita, vt deminutiua quidem forma omnes omnino Graeci, atque adeo Macedones, et Alexandrini, vſi legantur, alteram formam frequentiſſime vſurparit integer Atticorum ſermo. Etenim Moeris, Οὖς, inquit, Ἀττικῶς· ὠτίον, Ἑλληνικῶς· ab quo hominis praecepto ſane non abhorret Thomae Magiſtri obſeruatio, quae in Eclogis eius legitur, haec, Οὖς Ἀττικοὶ, οὐκ ὠτίον. Ita enim deſcripta extant verba grammatici in exemplo Leidenſi, codicum veterum, in his Boerneriani, auctoritate: quam eorum lectionem confirmant etiam Phauorini libri, qui Lexicon ſuum hac ipſa obſeruatione Thomae auxit. Nam Vaſcoſanus, et alii, ediderant Ἀττικὸς, quod Blancardus in Ἀττικὸν mutauit. Haec autem obſeruatio quam elegans ſit, quam grauis, vt nihil habere iniqui videantur, quod contra afferant, etiam ex eo intellegitur, quod in gloſſario Heſychiano, ornatiſſimo illo Graecitatis omnis promtuario, nomen οὖς nomine ὠτίον explicatum legitur [8]. Denique, quod maximum eſt, ex ipſa locorum Euangeliſtarum comparatione, ὠτίον ſignificare *aurem*, demonſtrari, et

8. Heſychius: Οὖς· ὠτίον· item: Ὠσίν· ὠτίοις. Gloſſ. vett. Οὖς, τὸ ὠτίον, *Auris*. Suidas: Οὖς· τὸ ὠτίον.

et doceri, planiſſime poteſt. Lucas [9] enim, ἀφεῖλεν, inquit, αὐτȣ̃ τὸ ȣ̃ς τὸ δεξιόν· ſed Matthaeus [10] cum Marco [11] eandem rem ſic narrat, ἀφεῖλεν αὐτȣ̃ τὸ ὠτίον, vt Iohannes [12] his verbis, ἀπέκοψεν αὐτȣ̃ τὸ ὠτίον τὸ δεξιὸν, et ȣ̃ ἀπέκοψε Πέτρος τὸ ὠτίον· atque Lucas ipſe ita ſcribere pergit [13], καὶ ἁψάμενος τȣ̃ ὠτίȣ αὐτȣ̃, ἰάσατο αὐτόν. Omninoque teneri oportet, qua de re nos alio iam loco [14] admonuimus tirones, multa verba apud Graecos habere formam quidem deminutiuorum, non item vim, et poteſtatem, certe non ſemper, et vbique; in primis apud Atticos, quos vrbanitatis, et modeſtiae, ſtudioſiſſimos fuiſſe conſtat, quarum virtutum ea eſt natura, ea lenitas, vt linguam, et orationem, etiam hoc in genere coërceant, ac cohibeant: vt apud Ariſtophanem in fabula [15], quae inſcribitur Plutus, θύριον idem declarat, quod θύρα, etiam ſcholiaſtis docentibus, et θυείδιον, atque θυεία [16], vt verba idem valentia, leguntur. Sed de vocabulo ὠτίον ſatis dictum eſt. Veniamus ad alia. Ἐστρωμένον viri quidam docti, nominatim Schoetgenius, apud Marcum [17], et Lucam [18], praecipiunt eſſe *lapidibus*, ſiue *ſaxis*, *ſtratum*. Verba enim Chriſti, ſeruatoris optimi, apud Euangeliſtas haec ſunt, καὶ αὐτὸς ὑμῖν δείξει ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον. Sed ἀνώγεον ἐστρωμένον, in hac oratio-

9. C. 22, 50.
10. C. 26, 51.
11. C. 14, 47.
12. C. 18, 10. 26.
13. C. 22, 51.
14. Animaduerſſ. ad Gram. Vuelleri p. 132. ſ. add. Proluſ. 10. ſ. 2.
15. V. 1099.: vbi ſchol. Leid. τὸ θύριον· ἡ θύρα αὕτη· et ſchol. Doruil. τὸ θύριον· ἡ θύρα, Ἀττικῶς. coll. v. 1098.
16. v. 710. coll. v. 719.
17. C. 14, 15.
18. C. 22, 12.

oratione, eſt, id quod, praeter alios, Eraſmus iam, et Camerarius, viri ſummi, videre, *triclinium*, diaeta, *lectis ſtratum*, vt auctor librorum ad Herennium [19] dixit *triclinium ſtratum*, ſed Macrobius [20] *triclinia lectis* eburneis *ſtrata*. Quod quidem ſatis apparere arbitramur, cum ex ipſius orationis complexu, et ſerie, vſuque loquendi Graeco, tum etiam e vocabulo ἕτοιμον, quod apud Marcum, vt in multis codicibus antiquis, ita in libris editis, quod ſciam, omnibus, Participio ἐστρωμένον adiunctum legitur, verum haud dubie eſt a librariis e margine in ordinem temere tranſlatum, vt Beza [21] iam, et Millius [22], noſtro certe iudicio, veriſſime ſtatuerunt. Etenim primum nec apud Lucam [23] vllo in libro reperitur, nec in multis bonae notae codicibus Marci, vt Alexandrino, Laudiano ſecundo, aliiſque, habetur; afuit etiam ab eo codice, quo vſus eſt interpres vetus Latinus, qui locum, de quo quaerimus, ita vertit, *et ipſe vobis demonſtrabit coenaculum ingens ſtratum*. Deinde non ignorant periti artis criticae, librarios in deſcribendis libris vtriuſque linguae peccaſſe, locis innumerabilibus, ſic, vt verba, vel in marginibus codicum poſita, vel inter verſus ſcripta, ſiue interpretamenta eſſent, ſiue diſcrepantes lectiones, contulerint in ipſa texta, vel ita, vt ea verbis, ad quae pertinere viderentur, aut praeponerent, aut poſtponerent, nunc nude, et ſimpliciter, nunc additis particulis καὶ, ἤτοι, et

19. 4, 51.

20. Saturnn. 2, 9.: vbi tamen *triclinia* ſunt ipſae menſae, circa quas lecti poſiti erant. add. Cic. Ver. 3, 26. 4, 15.

21. ad Marc. 14, 15.

22. Prolegg. ad N. T. n. 1078.

23. C. 22, 12.

et ſimilibus, vel ſic, vt ea inde ſeiungerent, alieniſque locis collocarent [24]. Iam vero, quid ἀνώγεον ἕτοιμον aliud poteſt eſſe, niſi *triclinium*, ſiue *coenaculum*, *lectis ſtratum*? Verum ne hanc Bezae, Milliique, ſententiam, credo, impiam ſequi, neque tamen dare, cogerentur, Marcum dixiſſe eandem rem, ſine cauſſa, bis: videntur, vt ſit, interpretationem verborum illius alienam a mente Chriſti, et ab linguae Graecae ingenio abhorrentem, amplecti maluiſſe, quam in ſuſpicionem impietatis, neſcio cuius, adduci. Etenim vt *triclinium* ἐστρωμένον, qua *triclinium*, hoc eſt, conclaue, in quo diſcumbitur, per leges vſus loquendi communis, nihil poteſt aliud ſignificare, quam *triclinium lectis inſtructum*, ſic, vt ipſi lecti culcitis, et periſtromatis, etiam puluinis, ſtrati ſint, atque adeo *paratum*: ita στρῶσαι reperitur eſſe verbum hoc in genere proprium, quod dicatur de iis, qui triclinia, hoc eſt, coenacula, vel etiam menſas, lectis, lectoſque tricliniares, qui ipſi non raro *triclinium* vocantur, toris, et periſtromatis, et puluinis, ſternunt. id quod vel vſum verbi *ſternere* in lingua Latina [25], quem Latini acceperunt, vt fere omnia ſui ſermonis ornamenta, a Graecis, docere quemque poſſe putamus. Ferri igitur apud Marcum per ſe lectio ἐστρωμένον ἕτοιμον, quae eſt in libris editis, poſſet, ſi ante vocabulum ἕτοιμον insereretur particula καὶ, exemplo, et auctoritate, interpretis Syri, cuius in verſione eſt ܡܫܘܝܐ ܘܡܛܝܒܐ, ita, vt haberet vim explicandi. Hoc enim ab optimis, et dili-

24. Vid. Defenſio locorum quorundam Platonicc. f. 9. Proluſſ. de verſſ. Graecis V. T. p. 194. et infra Proluſ. 26. ſ. 5.

25. Vid. Cic. p. Mur. 36.

diligentiſſimis, ſcriptoribus fieri ſolet, vt coniungant, particularum vinculis, duo verba idem declarantia, quorum vnum interpretetur alterum, ſed ita tamen, vt rem lectori ab diuerſis lateribus oſtendant [26]: quam rationem Matthaeus quoque alicubi [27] eſt ſequutus. Et quanquam non ignoro, coniunctiones ab auctoribus barbaris hoc in genere interdum eſſe omiſſas [28]: tamen idem ab Euangeliſtis factum eſſe non reperio [29]. Nam Chriſtus mandarat diſcipulis, vt pararent coenam paſchalem. huc enim pertinent eius verba ἐκεῖ ἑτοιμάσατε ἡμῖν· quod ſimpliciter dictum eſt pro ἐκεῖ ἑτοιμάσατε ἡμῖν τὸ Πάσχα, vt Lucas [30] Chriſtum loquentem fecit. Nam Hebraei quoque ſic de eo, qui aliquem conuiuium inſtruere, ac parare, iubet, verbum הָכֵן abſolute ponunt, vt Ioſephus apud Moſen [31] legitur, fratres accepturus epulis, magiſtrum domus iuſſiſſe הָכֵן, hoc eſt, *inſtruere conuiuium*, vt reddidit, eleganter ſane, Latinus interpres vetus. Id autem intellegitur commode fieri potuiſſe, ſi triclinium eſſet lectis ſtratum, et paratum: ſed quid opus fuerit coenam

26. Sophocles Electr. 12. Πρὸς σῆς ὁμαίμου καὶ κασιγνήτης· vbi ſchol. vetus: ἐκ παραλλήλου.

27. C. 23, 4. φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα. Neque enim aſſentior iis, qui arbitrantur, δυσβάστακτα e Luc. 11, 46. illuc veniſſe.

28. Vid. ad Platon. Phaedon. 59, 2. 11. Sic Pindarus Olympp. 1, 16. ſ. ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους Μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν· et 2, 145. ſ. Τροίας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα.

29. Vid. Proluſ. 26. ſ. 5.

30. C. 22, 8. add. v. 13. Matth. 26, 19. Marc. 14, 16.

31. Gen. 43, 16. add. 1. Parall. 12, 39. Act. 10, 10. Sic Luc. 9, 52. ἑτοιμάσαι αὐτῷ dictum eſt pro ἑτοιμάσαι αὐτῷ ξενίαν. v. ep. ad Philem. v. 22.

nam parantibus coenaculo saxis potissimum strato, non apparet. Caeterum paulo longius a veritate abesse videtur Bengelii [32] sententia, cui ipsi vocabulum ἕτοιμον alienum, neque a Marco profectum, visum erat. Credebat enim, manus librariorum nimis festinantes, et studiosas, ab Participio ἐστρωμένον aberrasse ad verbum ἑτοιμάσατε· quod quum scribere coepissent, neque tamen, animaduerso errore, ne scripturae deformitas oculos lectorum fastidiosos offenderet, lituram facere voluissent, eas primis syllabis verbi ἑτοιμάσατε suspicabatur adiecisse syllabam ον, quod praecedens verbum ἐστρωμένον similiter desinere vidissent. At primum nostrae rationis exempla sunt, vti demonstrauimus, in omnis generis librorum vtriusque linguae codicibus antiquis longe frequentissima: deinde non credibile est, neque veri simile, oculos, et manus, tot librariorum, qui codices descripserunt, quos satis constet, non ex vno, verum e diuersis, fontibus manasse, ita lapsas esse: sed glossema ἕτοιμον, a vero non abhorret, positum extitisse in multorum, eorundemque diuersissimorum, codicum marginibus, atque adeo potuisse in multis exemplaribus, librariorum imperita neglegentia, et leuitate, e suis sedibus in alienas migrare. Θυμιατήριον Pasor in Lexico maiore tradit significare *altare suffitionis*. Hoc si dixisset in Lexico Philonis, aut Iosephi, non esset, quod reprehenderetur. Iosephus [33] certe, atque Philo [34], vocabulum θυμιατήριον de illo ipso altari non male

le

32. Appar. Crit. ad Marc. 14, 15.

33. Archaeol. 3, 6, 8.

34. de V. Mosis 3. p. 668. © Paris.

le poſuerunt, quum omnia huius generis verba dicantur de loco quouis, quo quid eſt, aut fit. Sed in epiſtola Pauli Apoſtoli ad Hebraeos [35] legitur de *thuribulo*, quo verbo Latino Graecum interpretantur vetera Gloſſaria. Etenim primum θυμιατήριον Apoſtolus adytis templi Moſaici attribuit: ſed altare ſuffitus in altera illius parte, vulgo Sancta vocant, vel e Lucae euangelio [36] conſtat ſtetiſſe. Deinde non debet dubium cuiquam videri, quin Paulus verbo illo Graeco reddiderit Hebraicum nomen מִקְטֶרֶת, quum etiam in verſione Veteris Teſtamenti Alexandrina [37] pro eo extet idem nomen Graecum. Iam vero מִקְטֶרֶת eſt *thuribulum*, non *altare ſuffitus*, quod Moſes [38] מִזְבַּח מִקְטַר קְטֹרֶת, et מִזְבַּח הַקְּטֹרֶת, et מִזְבַּח הַזָּהָב לִקְטֹרֶת, Alexandrini Iudaei τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν εἰς τὸ θυμιᾶν, et θυσιαστήριον θυμιάματος, et τὸ θυσιαστήριον τοῦ θυμιάματος, vt Lucas, vocant. Aeque perperam docent multi, in his Paſor in Lexico minore, et Suicerus in Gloſſario, βαΐον apud Iohannem [39] eſſe *ramum palmae*. Nam nemo quidem facile, fateor, reperietur, quin hoc vocabulo *ſpadicem* pro-

35. C. 9, 4. Conf. Pollux 10, 65.

36. C. 1, 11.

37. 2. Chronn. 26, 19. Ezech. 8, 11.

38. Ex. 30, 1. 27. 40, 5.: quo loco interpres inc. habet θυμιατήριον τὸ χρυσοῦν εἰς τὸ θυμίαμα· cui etiam verba θυμιατήριον θυμιάματος, quae Ex. 30, 1. in cod. Oxon. τῶν ὁ leguntur pro θυσιαστήριον θυμιάματος, vindicanda eſſe videntur.

39. C. 12, 13.: quem locum peculiari diſſertatiuncula explicauit Alb. Meno Verpoortenius, quae eſt eius diſſertationum ad theologiam maxime exegeticam, et philologiam ſacram, pertinentium, viceſima, p. 321. — 333. Editae ſunt Coburgi A. C. 1739. 8., cura parentis mei.

proprie, id eſt, *palmae ramum* [40], ſignificari ſciat, Heſychio, doctiſſimo grammatico, Etymologoque magno, auctoribus: quorum hic, Βαΐον, inquit, παρὰ τὸ βίᾳ τίλλεσθαι, σημαίνει τὸν κλάδον τοῦ φοίνικος· quae eius verba Phauorinus in ſuum Lexicon tranſtulit: ille, Βαΐς· ῥάβδος φοίνικος· καὶ βαΐον. Sic enim pro βαΐων, vt in exemplo Aldino, et Hagenoenſi, etiam Screueliano, atque Albertiano, et in libris Phauorini editis omnibus, legitur, reſcribendum eſſe, diuinus iam Salmaſius in notis ad Achillen Tatium [41] cenſuit: niſi quis exiſtimare malit, librarium verba καὶ βαΐων, in margine Lexici Heſychiani e libris Maccabaeorum [42] ab alio quodam grammatico adſcripta, inde in ipſum ordinem migrare iuſſiſſe. Accedit auctoritas grammatici cuiuſdam incerti, cuius locum Cangius in Gloſſario [43] protulit e codice Pariſienſi regio, qui, τὸν κλάδον τῶν φοινίκων, inquit, Ἑβραῖοι [44] βαΐα προσαγορεύουσιν — ὁμοίως δὲ καὶ ἡμεῖς ἐξ ἐκείνων παραλαβόντες καλοῦμεν τῇ αὐτῇ φωνῇ τοὺς κλάδους τῶν φοινίκων βαΐα· neque repugnat vſus loquendi poſterioris aetatis, cuius ſcriptores [45] *Dominicam Palmarum*

40. Pollux 7, 147. ὁ τοῦ φοίνικος [κλάδος], σπάδιξ. Plutarchus Sympoſſ. 6, 5. p. 724. A To. 2. Vechel. καίτοι δοκῶ μοι μνημονεύειν ἐν τοῖς Ἀττικοῖς ἀνεγνωκὼς ἔναγχος, ὅτι πρῶτος ἐν Δήλῳ Θησεὺς ἀγῶνα ποιῶν, ἀπέσπασε κλάδον τοῦ ἱεροῦ φοίνικος· ὃ καὶ σπάδιξ ὠνομάσθη. Gellius NN. AA. 2, 26., *Spadica enim Dorici vocant auulſum e palma termitem cum fructu:* et 3, 9., *quoniam palmae termes ex arbore cum fructu auulſus ſpadix dicitur.*

41. p. 621. ſ. et exercitatt. in Solin. p. 291. D.

42. 1. Macc. 13, 51.

43. v. Βαΐς p. 166.

44. Immo Aegyptii. vid. Bochartus Hieroz. 1, 2. 7. p. 115. To. 1. et Salmaſius ad Achil. Tat. p. 621.

45. Vid. Cangius Gloſſar. p. 167.

marum vocant Κυριακὴν τῶν βαΐων, etiam τῶν βαΐων ἑορτήν. Sed in Iohannis euangelio quum legatur τὰ βαΐα τῶν φοινίκων· facile apparet, priori verbo auferri alteram notionis partem posteriori nomine, vt in formulis ὑποπόδιον τῶν ποδῶν [46], οἰκοδεσπότης τῆς οἰκίας [47], μεσότοιχον φραγμȣ̃ [48], τεχνίτης τέχνης [49], βȣκόλια βοῶν [50], ποιμνία προβάτων [51], pluribusque aliis, ita, vt βαΐα sint simpliciter *rami*, atque adeo verbis τὰ βαΐα τῶν φοινίκων significentur *rami palmarum* [52], ܣܘܟܐ ܕܕܩܠܐ, vt vertit Syrus interpres: qui rami ab Heliodoro [53] φοινίκων πτόρθοι appellantur, ab Alexandrinis Iudaeis, in Leuitico [54], κάλλυντρα φοινίκων· et quum illo ipso Leuitici loco pro verbis Hebraicis כַּפֹּת תְּמָרִים in reliquiis ignoti cuiusdam interpretis legantur verba βαΐα φοινίκων, quae Latinus interpres verbis *spathulae palmarum* reddidisse videtur: non dubitandum putamus, quin Iohannes iisdem verbis Graecis expresserit eadem verba Hebraica. Quo minus etiam mirandum arbitramur, factum esse, vt recentioris Grae-

46. Matth. 5, 35. 22, 44. Marc. 12, 36. Luc. 20, 43. Act. 2, 35. 7, 49. Hebrr. 1, 13. 10, 13.

47. Luc. 22, 11.

48. Eph. 2, 14.

49. Apoc. 18, 22.

50. οἱ ὁ Deut. 7, 13. Sic etiam apud Theocrit. Idyl. 25, 95. est βοῶν βȣκόλια, quae v. 122. vocantur simpliciter βȣκόλια.

51. Deut. d. l.

52. Sic in testam. XII. patriarcharum n. 8. f. 5. p. 214. Grab. *rami palmarum* dicuntur βαΐα φοινίκων, sed a Theodoro Metochita hist. Rom. p. 26. b Meurs. simpliciter βαΐα· vt apud Porphyrium A. AA. 4, 7. p. 152. Cantabrig. legitur, Κοίτη δὲ αὐτοῖς ἐκ τῶν ὀπεδίκων [l. σπαδίκων] τȣ̃ φοίνικος, ἃς καλȣ̃σι βαΐς, ἐπέπλεκτο.

53. 10. p. 457. Comelin.

54. C. 23, 40.: vbi in plerisque libris legitur κάλλυνθρα· sed scriptura κάλλυντρα vnice vera esse videtur. Hesychius: Κάλλυντρα· σπάθαι φοινίκων.

Graecitatis auctores *arborum* omnis generis *ramos* dixerint βαΐα, quum ipſi veteres ſcriptores Graeci conſueuerint verbis, quae duas quaſi notionis haberent partes, alteram, adiunctis fere verbis aliis, detrahere, atque adeo verba formarum vſurpare, vt verba generis: velut τεκνȣ͂ν per ſe *liberos gignere* ſignificat, ſed Euripides alicubi [55] in Phoeniſſis τεκνȣ͂ν παῖδα dixit, vt τεκνȣ͂ν idem valeret, quod γεννᾷν· et verbo βȣκολεῖσθαι, quod proprie de *bubus paſcentibus* dicitur, Homerus [56] nomen ἵππος ita addidit comitem, vt declararet ſimpliciter *paſcere*. Vnde ἱπποβȣκόλοι Polybi, Corinthiorum regis, qui puerum Laii expoſitum ſuſtuliſſe leguntur, in eadem Euripidis fabula [57] ſunt *equarii*, *equorum paſtores*, ἱππονομεῖς, ἱπποφορβοί· cuius ipſius rationis veſtigia in Baroccianis ſcholiis ad eum locum [58] extare

55. v. 19.
56. Il. ύ, 221.
57. v. 28.
58. Verba ſcholiaſtae haec ſunt: ἱπποβȣκόλȣς ἐνταῦθα καλεῖ, ἢ τȣ̀ς μεγάλα βȣκόλια νέμοντας — ἢ ἱπποβȣκόλȣς, τȣ̀ς τῶν ἵππων βοσκȣ̀ς, ἀντὶ τȣ͂ βοσκȣ̀ς καταχρηστικῶς, ὥσπερ καὶ ἕτερα τοιαῦτα εὕρηται παρὰ τοῖς ποιηταῖς, ὡς ἔχει καὶ τὸ Ὁμηρικὸν, Νέκταρ ἐῳνοχόει. Notarunt hanc formam loquendi ſcriptorum veterum diligenter etiam alii grammatici: vt Euſtathius ad Il. ά, 598. p. 160. ψ', 873. p. 1334, 15. Rom., et ſchol. Venet. ad Il. δ', 3. Nos quidem exempla eius obſeruaueramus adhuc inter legendum haec. Herodo. 3, 32. σκύμνον λέοντος, vt apud Sophoclem Aiac. 1053. σκύμνον λεαίνης, et apud Lucret. 5, 1035. *ſcymni leonum*: Herodo. 3, 67. ἀτελητίην στρατηΐης καὶ φόρȣ· 4, 203. ὁ τȣ͂ ναυτικȣ͂ στρατȣ͂ στρατηγὸς, et 7, 191. οἱ στρατηγοὶ τȣ͂ ναυτικȣ͂ στρατȣ͂, et 5, 64. στρατηγὸν τῆς στρατιῆς· 3, 66. ἄπαιδα — ἐόντα ἔρσενος καὶ θήλεος γόνȣ· add. 1, 109. 7, 61. 205. Xen. Cyrop. 4, 6. 2.: Herodo. 6, 46. ναῦς τε ναυπηγεύμενοι μακρὰς· 7, 181. 182. τῆς [*nauis*] ἐτριηράρχεε, h. e. ἦρχε

re video. Atque hic, quem hactenus coarguere conati sumus, error est nonnullis tantum Lexicorum Noui Testamenti conditoribus proprius: sed quem nunc notabimus, eum omnibus nuper communem fuisse reperio. Τελώνην enim Latine *publicanum* vocant, qui a Graecis fere δημοσιώνης dicitur, et ἀρχιτελώνην [59] docent esse *publicanorum principem*. At multi doctissimi viri, in his Camerarius [60], Burmanus maior [61], in primisque Salmasius [62], dudum viderunt, et demonstrarunt, τελώνας, qui in libris diuinis commemorantur, esse *portitores*, publicanorum operas, quae portorium exigunt; ab Syris, ܡܟ̈ܣܐ appellantur; et ἀρχιτελώνην dici *portitorum*, siue *operarum*, *magistrum*. Quanquam enim τελώνης etiam a veterum Glossariorum auctoribus, et *publicanus*, et *conductor vectigalium*, non modo *portitor*, appellatur, origine scilicet vocabuli deceptis: tamen vsum loquendi nouimus multis

ἦρχε ibid. 180.: 7, 154. πάσης τῆς ἵππου εἶναι ἵππαρχος· add. 9, 20. Aristoph. Plut. 820. s. βουθυτεῖ Ὗν, καὶ τράγον, καὶ κριόν. Anacreon fragm. 19. ᾠνοχόει — μελιχρὸν οἶνον. Theocritus Idyl. 22, 98. πληγαῖς μεθύων· 5, 64. s. ὃς τὰς ἐρείκας Τήνας τὰς παρά τιν ξυλοχίσδεται. Caeterum non nescimus, nomen βάϊον non minus, quam vocabulum σύσσημον, et verbum ἀνασταυροῦν, rectius potuisse referri in numerum eorum verborum, quibus ab Lexicographis N. T. potestatem iusto angustiorem tributam esse videbimus: sed noluimus tamen ea ex his sedibus suis eiicere, ne scilicet augeremus nobis taedia laboris, quo ipsis lectoribus nihil magnopere vtilitatis afferretur.

59. Luc. 19, 2.

60. ad Matth. 5, 46.

61. de vectigall. P. R. c. 9. p. 140. s.

62. de foen. trapezit. p. 243. ss. Obseruationem Salmasii in Thesauro ecclesiastico Suicerus, v. τελώνης, ita sequutus est, vt nec verba viri summi immutarit.

multis verbis tribuisse vim ab notatione prorsus alienam. Discere vero illud poterant boni viri vel ex vno Theophrasti libello, qui de vitiorum descriptionibus est. Ibi [63] enim in numero occupationum, et quaestuum, hominis perditi, ac vecordis, ponitur, vt *πορνοβοσκῆσαι*, ita etiam *τελωνῆσαι*, hoc est, *τέλη πράττειν, ἀπαιτεῖν, ἐκλέγειν* [64]. sicut a Matthaeo alicubi [65] *πόρναις* socii adiuncti *τελῶναι* leguntur. Iam vero publicanorum quidem apud Romanos veteres maximam dignitatem, splendoremque, fuisse, accepimus: erant enim equites Romani, quibus solis *publica*, hoc est, *vectigalia* populi Romani, redimere, et conducere, licebat [66]: sed portitores, quorum opera publicani in excutiendis mercibus, portorioque exigendo, vtebantur, humiles, et leues, et omnibus maxime exosos, ob summam acerbitatem, iniquitatemque, fuisse homines, quis ignorat? Certe a Cicerone [67] in quaestibus iis, qui

63. C. 6, 2.

64. Vid. Pollux 9, 31. Luc. 3, 12. s. *τελῶναι — μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε.* Vnde *τελῶναι*, quos Graeci etiam *ἐκλογεῖς*, et *ἐλλιμενιστὰς*, vocant [v. Pollux 9, 29.], ab Augustino C. D. 2, 19. dicuntur *exactores*.

65. C. 21, 31. s. Conf. Theodoretus Θ. Π. 4. p. 56. Sylb. Sic Matth. 9, 10. s. 11, 19. Marc. 2, 15. s. Luc. 5, 30. 7, 34. 15, 1. *οἱ τελῶναι* numerantur in hominibus scelerosis et flagitiosis [*ἁμαρτωλοῖς*]: et apud Lucianum [Necyom. p. 332. To. 1. Graeu.] indiculus pessimorum hominum extat hic, *μοιχοὶ, πορνοβοσκοὶ, καὶ τελῶναι, καὶ κόλακες, καὶ συκοφάνται.* Qua quidem ex re iudicari potest, cur nomen מוֹכֵס ab Iudaeis nomine רָשָׁע explicatum legatur [v. Buxtorfius Lex. Talmud. v. מוֹכֵס]: vt Matth. 5, 46. *οἱ τελῶναι*, sed Luc. 6, 32. *οἱ ἁμαρτωλοὶ*, laudantur.

66. V. Cic. p. Planc. 9. et Appianus B. C. 2. p. 719. To. 2. Tol.

67. Off. 1. 42. add. omnino Pollux 6, 128.

qui in odia hominum incurrant, portitorum quoque quaeſtus numerantur: et a Polluce [68] ea conuiciorum vocabula, quae ait in τελώνας fundi poſſe, congeſta ſunt, vt ſatis appareat, eos fuiſſe *portitores*, hoc eſt, obſcuros, leues, iniquosque in primis, et aſperos, homines; etſi non ignoro, etiam publicanos ipſos, qui in exigendis vectigalibus eſſent non leniſſimi [69], fuiſſe prouincialibus odio [70]. Aeque vero facile poteſt coargui error is, quo a Beza, vt videtur, imbuti Lexicographi, opinantur, σύσσημον in euangelio Marci [71]; hic enim ſolus vſus eſt eo vocabulo; declarare *ſignum commune*, hoc eſt, *ſignum, quod conuenit*, vt vocatur a Curtio [72]. Iam etſi non negauerim, σύσσημον ſaepenumero dici *ſignum, de quo inter duo, pluresue, conuenit*, vt Caſaubonus in notis ad Aeneae Tactica [73] praeclare docuit: tamen apud Marcum eo ſignificari perſuaſiſſimum habeo ſimpliciter *ſignum*, quo verbo vſus eſt antiquus interpres Latinus, ſicut Syrus nomine ܐܬܐ. Etenim primum Heſychius, et ex eo Suidas cum Phauorino, iſtam gloſſam interpretati ſunt ſimpliciter nomine σημεῖον, et verbo συσσημαίνεσθαι nihil declarari, niſi *ſignare, obſignare* [74], conſtat: deinde ipſe Matthaeus [75], eadem de re cum Marco loquens, nomen σημεῖον vſurpat: denique res ipſa loquitur, conueniſſe proditori Chriſti de illo ſigno cum

68. 9, 32.
69. Vid. Cic. ad Q. fr. 1, ep. 1, 11.
70. Vid. Cic. Ver. 2, 3.
71. C. 14, 44.: vbi v. Ioh. Boiſius, et conf. Salmaſius de M. VV. p. 584.
72. 7, 11. 19.
73. p. 1721. Gronou.
74. Vid. Salmaſius de Modo Vſurr. p. 449.
75. C. 26, 48.

cum eiusdem hostibus. Sed *σύσσημον* verbum minus elegans esse, ab cuius vsu abstinere studiosos sermonis integri, neque vitiosi, oporteat, Phrynichus, grammaticus sane haud indoctus, docet [76]: cuius praecepti veritas debet eo firmior videri, quum nec acerrimi puritatis, elegantiaeque, orationis Noui Testamenti Graecae propugnatores reperire quidquam potuerint, quo eam labefactarent. Neque vero *ἀγαπητὸς* in libris diuinis, quum de filio dei dicitur *, est *dilectus*, vt interpretantur vulgo, verum *vnicus* [77]. Nam etsi Christus a Paulo [78] vocatur *ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ πατρὸς*, hoc est, *filius vnice amatus* [79]: tamen, vt his verbis significari *filium vnicum*, ex iis, quae deinceps dicentur, apparebit, ita primum certissimum est, redditum esse vocabulo *ἀγαπητὸς* ab auctoribus librorum Noui Testamenti, vt ab interpretibus Testamenti Veteris Alexandrinis, nomen Hebraicum יָחִיד, quo *filium* declarari, etiam in Syriaca lingua, omnes norunt *vnicum*, non *dilectum*. Isaacus quidem a Mose [80] vocatur בֵּן יָחִיד אַבְרָהָם: hunc Iudaei Alexandrini nominant *υἱὸν ἀγαπητόν*· sed Symmachus *μόνον* [81], Aquila *μονογενῆ* [82], vt in epistola ad Hebraeos [83] Paulus Apostolus. Deinde assentitur ipsa consuetudo Graeca. Graeci enim vocabulum *ἀγαπητὸς*, nunc addunt vocabu-

76. Eclogg. p. 184. Pau.

* Vid. Matth. 3, 17. 12, 18. 17, 5. Marc. 1, 11. 9, 7. Luc. 3, 27. 9, 35. 2. Pe. 1, 17.

77. Vid. Cic. 9. ep. 20, 9.

78. Col. 1, 13.

79. Vid. Gellius 7, 5.

80. Gen. 22, 2.

81. Vid. Aristoph. Plut. 35. 250. Xen. Cyrop. 4, 6. 2. Herodo. 7, 224.

82. Aeschyl. Agamemn. 907. *μονογενὲς τέκνον πατρί*. Herodo. 7, 221. *τὸν δὲ παῖδα συστρατευόμενον ἐόντα οἱ μουνογενέα ἀπέπεμψε.*

83. C. 11, 17.

cabulo μόνος [84], ita, vt idem declaret, quod φίλος, nunc ſimpliciter ponunt, ſic, vt ſignificet idem, quod μόνος [85]. Vnde Pollux [86], καλοῖτο δ' ἂν, inquit, υἱὸς ἀγαπητὸς, ὁ μόνος ὢν πατρὶ, ἢ μητρί· ab quo nec alii grammatici veteres diſſentiunt, in his Heſychius, qui gloſſam ἀγαπητὸν, quam, aut ex Homero [87], aut e Marco [88], ſumtam credimus, explicat vocabulo μονογενῆ, vt auctor Etymologici magni: quo vocabulo ipſe Iohannes [89] de Chriſto vtitur. Neque vero haec exquiſita vocabuli ἀγαπητὸς poteſtas Iuuencum fugit, preſbyterum, qui verba Matthaei ὗτός ἐςιν ὁ υἱός μȣ ἀγαπητὸς ita vertit [90], *Vnicus hic meus eſt natus.* Accedit, quod verbis ὗτός ἐςιν ὁ υἱός μȣ ὁ ἀγαπητὸς ab Euangeliſtis [91], et Petro [92], adiecta ſunt verba ἐν ᾧ εὐδόκησα, εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα, et εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μȣ· quae ſane idem valent, quod verba ὃν ἐγὼ φιλῶ apud Ariſtophanem [93], et verba אֲשֶׁר אָהַבְתָּ apud Moſen [94]. Verbum ἀνας αυρȣν apud Paulum [95] non eſt

84. Homer. Odyſ. β', 365. Μȣνος ἐὼν ἀγαπητός· ſed Xen. Cyrop. 4, 6. 2. τὸν μόνον μοι καὶ φίλον παῖδα. Philo V. Moſis 1. p. 604. D Pariſ. Θυγάτηρ ἦν τῷ βασιλεῖ τῆς χώρας ἀγαπητὴ καὶ μόνη. Conf. Kypquius ad Luc. 20, 13.

85. Vid. Xen. Cyrop. 4, 6. 2. 4. Ariſtophan. Theſmophorr. 768. coll. v. 704. ſ. Atque ſic legitur φίλος υἱὸς ap. Homer. Odyſ. β', 2.: φίλη παῖς Odyſ. α', 278. Caeterum quum ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης Col. 1, 13. idem ſit, quod ὁ υἱὸς ὁ ἀγαπητός· etiam iſtis verbis ſignificari *filium vnicum*, patet.

86. Onom. 3, 19. Verba Pollucis deſcripſit Phauorinus v. ἀγαπητός.

87. Il. ξ', 401.: vbi v. Erneſtius.

88. C. 12, 6.

89. C. 1, 18. 3, 16. 18. 1. ep. 4, 9.

90. hiſt. Euang. 3, 334.

91. Matth. 3, 17. 12, 18. 17, 5. Marc. 1, 11.

92. 2. Pe. 1, 17.

93. Plut. 251.

94. Gen. 22, 22. Vid. Proluſſ. quinque in V. et N. T. p. 13.

95. Hebrr. 6, 6.

eſt *rurſus cruci affigere*, quam ei notionem, praeeunte Syro interprete, qui habet ܨܩܦܬܘܢ ܕܝܢ ܠܗ, Stocquius, aliique, tribuerunt: immo idem valet, quod verbum ſimplex ϛαυρȣ̃ν, vt, poſt Lamb. Boſium [96], et Ioh. Albertium [97], ſcite oſtendit in Commentariis Suartius. Nam primum particula ἀνὰ in pleriſque verbis compoſitis vi carere omni reperitur, vt particula *re* apud Latinos: quod genus ἀνέρεσθαι apud Homerum [98], apud Xenophontem [99] ἀνερωτᾷν, ἀνάπτειν apud Anacreontem [100], apud Zoſimum [101] ἀνεγείρειν, ἀνακυκᾷν apud Ariſtophanem [102], et apud Herodotum [103] ἀνασκολοπίζειν· *remiſcere* apud Horatium [104], apud Florum [105] *repoſcere*, et *redire* apud Salluſtium [106]. Deinde neminem humanitatis ſtudioſum ignorare putamus, Alexandrinos, reliquoſque, Veteris Teſtamenti interpretes ſequutos eſſe cum ipſis Noui Teſtamenti ſcriptoribus etiam hoc in genere Graecam rationem. Certe ἀνευρίσκειν in Lucae Euangelio [107] vim ſimplicis verbi εὑρίσκειν habet: et vti Aquila in hymno Dauidis ſeptimo [108] ἀναρπάζειν poſuit pro ἁρπάζειν, ita in verſione eorundem hymnorum Alexandrina ἀνίϛασθαι legitur [109] pro ἵϛασθαι, et in Exodo [110] iidem Iudaei vſi ſunt compoſito verbo

96. Exercitatt. Philologg. ad Hebrr. 6, 6.
97. Obſeruatt. ad Hebrr. 6, 6. add. Munthius ad h. l.
98. Odyſ. α', 231.
99. Cyropaed. 1, 4. 3.
100. Odar. 3, 15.
101. 3, 34. 3.
102. Plut. 302. coll. Hom. Odyſ. κ', 235.
103. 1, 128. coll. Lucian. Peregrin. p. 566. To. 2. Graeu.
104. A. P. 151.
105. 2, 15. 12.: vbi v. Ducquerus.
106. Iugurth. 4, 9: vbi v. Cortius.
107. C. 2, 16. coll. v. 12.
108. v. 5.
109. Pſ. 1, 5.
110. C. 4, 20.

verbo ἀναλαμβάνειν pro ſimplici λαμβάνειν. Neque vero in minore errore idem Stocquius, aliique, verſantur, quod docent, κῆνσον in libris Noui Teſtamenti [111] eſſe *aeſtimationem facultatum, et bonorum.* Immo declaratur iſto vocabulo, id quod iam Vinc. Contarenus, et Salmaſius, videre [112], *tributum in ſingula capita imperatum*, ſiue *impoſitum*, quod poſterioris Latinitatis auctores *capitationem* vocant, Theophanes Iſaurus κεφαλικὸν

111. Matth. 17, 25. 22, 17. 19. Marc. 12, 14. Scilicet quum Iudaea A. V. 759., hoc eſt, A. C. 7., facta eſſet prouincia Romana: Iudaei, qui eſſent tributarii, et ſtipendiarii, Romanorum, debebant imperatori pendere cotannis tributum, et ſtipendium, id eſt, certam pecuniae ſummam, quae a Luca c. 20, 22., vt a Paulo Romm. 13, 7., vocatur φόρος, ſed c. 23, 2., vt a Paulo Romm. 13, 6., φόροι, et ab Ioſepho, cum φόρος ἐνιαύσιος, tum ὁ φόρος, cuius locos laudauit Carcinus ad Matth. 22, 17., etiam δασμός. vid. Sam. Petitus Lect. Varr. 2, 1. p. 81. Haec pecuniae ſumma ita confecta eſt, vt Iudaeo cuique, e cenſu, hoc eſt, e deſcriptione patrimonii, et fortunarum, tributum, quod ſolueret, imponeretur. Vnde a Matthaeo c. 22, 17. 19. et a Marco c. 12, 14. nominatur κῆνσος· quod nomen Latinum Iudaei illorum temporum in linguam ſuam ita recepiſſe videntur, vt ſignificaret *tributum capitulare*. v. Buxtorfius Lex. Talmud. v. קְפִּסָא, et Sam. Petitus d. l. Munſteri interpres euangelii Matthaei Hebraeus vocat מַס. Sed Iudaei ſinguli, inde a viceſimo aetatis anno, debebant cotannis etiam binas drachmas, hoc eſt, ſingulos ſemiſiclos, ſoluere in vſus templi. v. Ex. 30, 13. ſ. Atque de hoc tributo loquitur Matthaeus c. 17, 25.: ad quem locum v. omnino Grotius. Idem ille interpres commentariorum Matthaei Hebraeus vocat תְּרוּמָה: quod vocabulum ſumtum eſt ex Ex. 30, 14. ſ., et ab ſeptuaginta interpretibus explicatum nomine εἰσφορά.

112. Contarenus Lect. Varr. c. 18. et Salmaſius ad ſcriptt. hiſt. Aug. p. 215. ſ. Pariſ.

λικὸν φόρον dixit [113]. Nam in Glossariis antiquis verba *tributum capitulare* explicata inueniuntur verbis ἐπικεφάλιον, κῆνσος· quorum illud, quod etiam in Ciceronis epistolis ad Atticum [114] legitur, tanquam interpretamentum vocabuli κῆνσος, in codice Cantabrigiensi Bezae apud Marcum [115] extabat: neque sane aliter accepit nomen κῆνσος Syrus interpres, qui id eleganter explicauit verbis ܟܣܦ ܪܫܐ. Omnino Syri, et Iudaei, illorum temporum multa verba barbara, et peregrina, in linguam suam, tanquam in ciuitatem, recepisse reperiuntur, sed ita, vt illa, posita quasi persona domestica, alienas suscipere partes iusserint: cuius generis est, praeter vocabulum κῆνσος, nomen Λεγεὼν, quo a Marco [116], et Luca [117], appellatur *dux, princepsque, geniorum malorum.* Inepte enim hoc vocabulum vulgo interpretantur *legio*, multaque frustra disputant ad illud illustrandum de numero militum, quo legio constiterit tempore quoque apud Romanos. Immo reddi Latine debet *dux, princeps*, atque accipi, vti ostendimus, de *principe geniorum malorum*, qui aliis vocabulis Σατανᾶς [118], et Βεελζεβὰλ, hoc est,

113. Vid. Cangius Glossar. v. κεφάλαιον.

114. 5. ep. 16.

115. C. 12, 14. Hesychius: Κηνσός· βοτάνη τις· τὸ δὲ τέλος κινσὸς διὰ τοῦ ῐ· sic enim, et recte quidem, legitur in exemplo Glossarii Hesychiani Aldino, et in Lexico *Phauorini*, quum in editione Hesychii Screueliana κινσὸς perperam in κικὸς mutatum sit. Idem Hesychius: Κινσός· — ἐπικεφάλαιον· vbi v. interpp. p. 263. s. To. 2. Conf. Salmasius ad scriptt. hist. Aug. d. l. et Casaubonus Exercitatt. Antibarr. 16, 6.

116. C. 5, 9. 15.

117. C. 8, 30.

118. Tertullianus Apolog. 22. *Satanam, principem huius mali generis* [daemoniorum].

est, ἄρχων τῶν δαιμονίων [119], appellatur. Certe לִגְיוֹן, quod est Latinum nomen *legio*, in libris scriptorum Talmudicorum, non vno loco, vt Buxtorfius [120] docuit, vsurpatum extat de vno homine, ita, vt *ducem*, *magistrum*, *principem*, significet. Verbum ἐπισκιάζειν, quod apud Euangelistas [121] de nube fulgida, quae a Matthaeo [122] νεφέλη φωτεινὴ, et ab Iohanne [123] νεφέλη λευκὴ, hoc est, λαμπρὰ, vocatur, vsurpatum extat, in omnibus Lexicis inepte verbis Latinis *obumbrare*, et *inumbrare*, explicatum est. Quomodo enim nubes ignea homines obscuret vndique vmbra? Immo Lexicographi debebant hoc verbum interpretari verbis *cingere*, *circumdare*, *circumfundere*. Huius vero notionis verbi parens fuisse videtur vsus loquendi, aut Chaldaicus, qui verbum אַטְלָה, quod primam notionem haberet cum verbo Graeco ἐπισκιάζειν communem, ita posuerit, vt idem valeret, quod verba περικαλύπτειν, ἀμφικαλύπτειν, περισκεπάζειν· nam obumbrandi notioni inesse notionem circumfundendi, quis non intellegit? aut Alexandrinus, qui verbo ἐπισκιάζειν tribuerit potestatem cingendi, et circumtegendi. Certe septuaginta interpretes V. T. verbum סוּךְ, quod proprie respondet verbis σκεπάζειν, et περικαλύπτειν, verbo ἐπισκιάζειν reddidere [124], quippe quum notione obumbrandi viderent circumtegendi, et circumfundendi, notio-

119. Matth. 12, 24. Luc. 11, 15. Trismegistus eum Δαιμονιάρχην vocauit: v. Lactant. 2, 14. 6.: et ab Iustino Martyre Apol. 1, 36. dicitur ὁ ἀρχηγέτης τῶν κακῶν δαιμόνων.

120. Lex. Talm. in h. v.

121. Matth. 17, 5. Marc. 9, 7. Luc. 9, 34.

122. C. 17, 5.

123. Apoc. 14, 14.

124. Ps. 90, 4. 139, 7.

tionem contineri. Iam e Matthaei commentariis [125] constat, hominem alieni appetentem ab Iudaeis, Christi aetate, in vita communi dictum esse *θερίζοντα, ὅπȣ ȣ̓κ ἔσπειρε, καὶ συνάγοντα, ὅθεν ȣ̓ διεσκόρπισε.* Sed in hac voce prouerbiali satis apertum esse arbitramur, verbum *διασκορπίζειν* idem significare, quod verbum *λικμᾷν*, *ventilare, vannare* [126]: dummodo teneatur, *συνάγοντα ὅθεν* dictum esse pro *συνάγοντα ἐκεῖθεν, ȣ̃*, vel *ὅπȣ.* Etenim refertur ad verbum *συνάγειν*, quod est *collegere, congerere*, frumenta ventilata, grana, in saccos, et *condere* in granarium: quod a Matthaeo [127] dicitur *συνάγειν τὸν σῖτον εἰς τὴν ἀποθήκην.* Et quis dubitet, quin ab Euangelista verbo *διασκορπίζειν* redditum sit verbum Hebraicum זָרוֹת, vel Chaldaicum, et Syriacum, בַּדַּרָא? Vtrumque hoc verbum de ventilatoribus maxime ponitur [128]: sed quia, quum aceruus, paleis granisque mistus, est congestus, paulatim ex eo ventilabris in longius spatium iactantur grana, vt a paleis secernantur, atque adeo disperguntur: illis ipsis verbis notio dispergendi ab Hebraeis, et Chaldaeis, subiecta est, vt verbo *λικμᾷν* ab Alexandrinis Iudaeis [129], et scriptores Graeci recentiores, et verbum *διασκορπίζειν*, et nomen *διασκορπιστής*, ita vsurpare coeperunt [130],

vt

125. C. 25, 24. 26.

126. Gloss. vett. *Λικμάω Ventilo, vanno, as.* Schol. min. ad Il. ε, 499. *Λικμᾷν γάρ ἐστι τὸ χωρίζειν ἀπὸ τȣ̃ σίτȣ τὸ ἄχυρον τοῖς πτύοις.* Hesychius: *Λικμῶντες· — τὰ ἄχυρα ἀπὸ τȣ̃ σίτȣ διαχωρίζοντες.*

127. C. 3, 12.

128. Ruth. 3, 2.

129. Ezech. 29, 12. 30, 23. 26. 36, 19. Ier. 31, 10.: vbi ad verbum זָרוֹת, *λικμᾷν*, refertur verbum קָבַץ, *συνάγειν.*

130. Hesychius, et ex eo Phauorinus: *Λικμηταί. διασκορπισταί.* Suidas: *Λικμᾷ·*

τὸ

vt hoc quidem idem declararet, quod nomen λικμητὴς, illud valeret idem, quod verbum λικμᾷν. Itaque συνάγειν, ὅθεν ȣ̓ διεσκόρπισας facile apparet esse *collegere*, congerere, *frumenta*, grana, *in saccos, et condere in granarium, ex areis, in quibus tu ea non ventilasti*, hoc est, *ex areis alienis*. Nam Lexicographi, caeterique interpretes, Novi Testamenti, qui verbum διασκορπίζειν hac in voce praecipiunt esse *seminare*, *spargere semina*, videntur non cogitasse, hunc verbi significatum esse ab vsu loquendi communi alienum, neque ad sementim referri solere congestum frumenti, et conditum, Hebraeos denique consueuisse vnam, eandemque, rem bis exprimere verbis aientibus, ita, vt ipsa verba essent a rebus diuersis petita [131]. Sed huc pertinent quoque multa verba Media, vt κείρασθαι, ἀπολέσασθαι, ἐνδύσασθαι, διαχωρίζεσθαι, et alia, quae in multis Noui Testamenti Lexicis perperam, vt Passiua, explicantur. Quoniam autem Dresigii, viri doctissimi, Commentarius de hoc verborum genere extat, cura nostra editus, vt quisque sponte reperire, atque effugere facile, errores huius generis posse videatur: plura nunc ea de re differere nihil attinet; etsi non ignoramus, magnum numerum verborum praetermissum esse, neque explicatum, in illo opusculo, auctoremque multo melius, et felicius, versaturum fuisse in potestate verborum Mediorum Noui Testamenti, si non omnium, at certe multorum, et inuestigan-

τὸ κοσκινεύω, διασκορπίζω, πτυάζω. Phauorinus: Λικμῶ· πτύω· τὸ διασκορπίζω. Scilicet errasse videtur grammaticus. nam verba Glossarii Hesychiani, Λικμῶ· πτύω, mutauit in verba, Λικμῶ· πτύω, iisque e Suidae Lexico addidit verba, τὸ διασκορπίζω.

131. Vid. Luc. 19, 21.

ganda, et demonſtranda, ſi duces ſequutus eſſet interpretes Graecos Veteris Teſtamenti, maximeque Alexandrinos. Sed hac tamen de re alio fortaſſis tempore dabitur dicendi locus: et ex iis, quae hactenus a nobis diſputata ſunt, ſatis exiſtimari poſſe a quoque ſperamus, veriſſime a nobis ſupra dictum eſſe, multis vocabulis ſingulis falſas notiones ſubiectas eſſe ab conditoribus Lexicorum Noui Teſtamenti.

VI. Nunc igitur veniemus ad id, cuius cauſſa a nobis ſuperiora ſcripta ſunt. Nam quum nonnulli diſciplinae Thomanae alumni, adoleſcentes humaniſſimi, conſtituiſſent, emenſo ſcholae curriculo, non prius illuſtria Academiae ſpatia ingredi, quam gratias egiſſent ordini ciuitatis Lipſienſis ampliſſimo, magiſtriſque, pro acceptis beneficiis publice, ita, vt etiam facultatis dicendi qualiſcunque ſuae documenta darent: iuſſimus eos Latine dicere de *ingenio Salmaſii, copiarum doctrinae liberalis omnis promtuario ornatiſſimo*, vt appareret ſtultiſſima peruerſitas eorum, qui vincula artium ingenuarum diſcindenda ita cenſent, vt clament, anguſtias mentis, ingeniique, humani maiores eſſe, quam vt capere, et continere, tot, tantaſque, copias valeant. Ad quas quidem voces confutandas nihil melius, nihil efficacius, reperiri putamus, quam exempla eorum, quos in confeſſo ſit diſciplinas liberales omnes diligenter perceptas habuiſſe: ſed hanc ipſam horum clamorum confutationem eo magis neceſſariam ducimus, quum potentiam eorum cotidie augeri videamus, qui cauponentur literas, qui in iis diſcendis omnia ad quaeſtum, lucrumque, reuocent, atque adeo eam tantum diſciplinam, eam artem, attingant, qua tractanda, quamuis leuiter, qua exercenda, quamuis ne

glegenter, quaesticulos aureos, et argenteos, sponte venire sciant; reliquas disciplinas, et artes, omnes neglegant fastidiosi: vt vehementer timendum videatur, ne, vt Ceres nuper tecta, ita Minerua, hoc insolenti artium optimarum fastidio commota, scholas tandem, et terras, cum omnibus suis copiis deserat. Dicent autem hoc ordine: GASPER EICHLERVS, *Lipsiensis*, qui *Salmasium puerum, et adulescentulum, studiosissime hoc sequutum esse* ostendet, *vt mente complecteretur omnem artium liberalium orbem*: CAR THARRHOTHEVS RITTERVS, *Oribaco Nariscus*, qui *Salmasium summum grammaticum, criticumque, etiam philosophum magnum, fuisse* docebit: CHRISTI. AVG. KAESTNERVS, *Ileburgensis*, qui *Salmasium magni, et iureconsulti, et medici, laude condecorandum esse* contendet: IOH. CHRISTI. HENR. SEIFARTVS, *Vida Nariscus*, qui *Salmasium* vincet *dignissimum esse magni theologi nomine*: cuius tamen aegrotantis partes suscepit IOH. HENR. SARCANDER, *Neapoli Nariscus*. Ad has igitur discipulorum nostrorum oratiunculas audiendas quin patroni, fautoresque, scholae Thomanae, et bonarum literarum, frequentes confluxuri sint, eo minus dubitamus, quo liquidius confirmare possumus, adulescentes illos omnes, sed maxime tamen *Seifartum*, et *Eichlerum*, ob vtriusque sapientiae cupiditatem, ob vitae sanctitatis, et in magistros pietatis, studium, *Eichlerum* etiam ob ingenii bonitatem, dignissimos esse huius beneficii honore: quo quidem beneficio nosmet ipsos affectos esse, atque ornatos, putabimus. Scripsimus in Schola Thomana a. d. IIII. Nonas Maias A. C CIↃIↃCCLXXII

PROLV

PROLVSIO SECVNDA

DE NOTIONIBVS FALSIS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS IVNCTIS ET DICENDI FORMVLIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Superiore libello, quo de vitiis Lexicorum Noui Testamenti vulgarium quaerere, atque disputare, instituimus, videmur satis docuisse, verbis singulis multis falsas tribui his in libris significationes, et a mente scriptorum diuinorum alienissimas. Eadem vero illa leuitate, et vanitate, eorundem librorum auctores multo etiam magis vsi deprehenduntur in explanandis verbis iunctis, dicendique formulis. Quae quidem neglegens, indoctaque, vanitas eo diligentius notanda est, eoque acrius reprehendenda, quo plures semper, quo grauiores, et maiores, opinionum errores in theologia peperit vis, et natura, formularum vtriusque Testamenti perperam explicata, et quo magis pendet ab recta earum interpretatione vera ratio ipsorum dogmatum familiae Christianae. Sed huius quoque generis vitiorum exempla quaedam, age, afferemus.

II. In ea enim oratione, quam Lucas [1] narrat a Paulo habitam esse Athenis in Areopago, osten-

1. Act. 17, 22.

oſtendit, praeter plura alia, Apoſtolus, et docuit, Chriſtum a deo conſtitutum eſſe iudicem omnium omnino hominum, qui ſententiam aliquando aequam, neque vllo modo cupidam, laturus eſſet de vita cuiuſque, et factis: cuius quidem rei fidem feciſſet ipſe deus cunctis eo, quod mortuum, et ſepultum, redire ab inferis iuſſiſſet. Verba enim Pauli haec ſunt [2], διότι ἔστησεν ἡμέραν, ἐν ᾗ μέλλει κρίνειν τὴν οἰκουμένην ἐν δικαιοσύνῃ ἐν ἀνδρὶ, ᾧ ὥρισε, πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. Iam formulam πίστιν παρασχὼν πᾶσιν plerique Lexicographi, vt Stocquius, et alii, Latine vertunt *fidem exhibens omnibus*, ita, vt per πίστιν intellegi velint, vel *fidem*, *quae creditur*, vt vocant vulgares libelli, hoc eſt, formulam diſciplinae Chriſtianae, doctrinam Chriſtianam [3], vel *fidem iuſtificam*, et *ſaluificam;* his enim verborum monſtris vtuntur boni illi viri; hoc eſt, *fiduciam Chriſti*, ſeruatoris hominum; adeo, vt πίστιν παρέχειν πᾶσιν ſit, de eorum ſententia, *copiam facere omnibus*, vel *doctrinae Chriſtianae*, vel *fiduciae Chriſti.* Hanc vero verborum Apoſtoli interpretationem eſſe falſiſſimam, quae, cum conſilio, et ſeriei, orationis, tum ipſi vſui loquendi Graeco, plane aduerſetur, et repugnet, quanquam Beza iam, Ioh. Boiſius, aliique, praeclare viderant, tamen Raphelius [4] omnium primus ita copioſe, et diligenter, docuit, vt nihil contra dici poſſe videatur. Idemque vir ſummus, pro ſingulari ſua Graecarum literarum ſcientia, interpretandique facultate, quam vtinam aſſequi ſtuderent omnes ante, quam libros diuinos attingere auderent! veriſſime demonſtrauit, et con-

2. Act. 17, 31.
3. Vid. Heumanus ad h. l.
4. Nott. Polybb. ad Act. d. l.

consuetudinem loquendi Graecam, et ipsam verborum structuram, disputationisque Pauli seriem, accipi iubere formulam παρέχειν πίστιν πᾶσιν ita, vt esset *fidem facere omnibus*, *persuadere*, *probare* *, *confirmare*, *et declarare*, *omnibus:* quem ei intellectum tribuendum esse, Beza [5] quoque, et Boisius [6], eruditissimi viri, animaduerterunt, quorum libros saepius doleo a paucissimis legi hodie, quum ex iis vera, et legitima, intellegendi, enarrandique, libros diuinos Noui Testamenti ratio cognosci omnium optime possit, sed maxime tamen ex Bezae animaduersionibus, qui primus cum magno illo Erasmo rectam interpretandi Noui Testamenti viam, et vidit praeclare, et feliciter ingressus est. Nam primum verbi παρέχειν hoc ingenium est, vt Accusatiuo personae iunctum, comitemque habens Adiectiuum aliquod, significet idem, quod ποιεῖν, *reddere*, *facere*, *praestare*. Apud Xenophontem [7] quidem formulae τοὺς παῖδας βελτίστους ἀποδεικνύναι, hoc est, ποιεῖν, et τοὺς ἐφήβους βελτίστους παρέχειν, leguntur, vt idem declarantes. Deinde hoc ipsum verbum saepenumero additur Accusatiuo nominum, affectionem, vt corporis, ita etiam animi, quandam indicantium, ita, vt Datiuus personae, vel se-

* Vid. Cic. 7. ep. 26, 1.

5. Verba eius in notis ad h. l. haec sunt, *Puto potius, Paulum dicere, Christum palam mundi iudicem adeo declaratum esse per resurrectionem a mortuis, vt idem testatur Rom.* 1, 4. *Ideo* παρέχειν πίστιν *hoc loco non declarat* fidem praebere, *id est*, credendi potestatem facere, *sed* fidem facere, *et quidem palam ac publice, vt haec comprobatio sit exhibita omnibus.*

6. In Collatione veteris interpretis cum Beza, aliisque recentioribus, vertit verba Pauli sic, *Per virum, quem constituit* [*definiit*], *prout* fidem fecit omnibus, *suscitando eum a mortuis.*

7. Cyrop. 1, 2. 5.

ſequatur, vel certe intellegatur [8]: quibus in formulis verbo Latinorum *facere* reſpondet, atque adeo idem valet, quod verba Graeca ποιεῖν, ἐμποιεῖν, et ἐμβάλλειν· et ipſae hae formulae redigi facile, et conuerti, in formulas ſuperioris generis ſic poſſunt, vt vocabula abſtracta, quae dicunt, mutentur in verba concreta, atque adeo Datiui perſonarum in Accuſatiuos. Nam ἐλπίδας παρέχειν, qua formula Xenophon [9], aliique ſcriptores, frequenter vtuntur, eſt *ſpem facere*, *ſperare iubere*, quod ipſum ἐλπίζειν ποιεῖν [10], itemque ἐλπίζοντα παρέχειν, dici poteſt: et τέρψιν παρέχειν apud eundem Xenophontem in Conuiuio [11] ſignificat *voluptatem facere*, *delectare*, idem, quod τέρπεσθαι ποιεῖν, vel τερπόμενον παρέχειν· quo ipſo loco idem ille ſcriptor πόθον ἐμποιεῖν eodem modo dixit, hoc eſt, *deſiderium facere*. Atque ex his,

8. Xen. Cyrop. 2, 1. 14. ἱδρῶτα αὐτοῖς παρεῖχεν — οἱ ἱδρῶτα ἔμελλον παρέχειν· 1, 3. 8. ὥστε τῇ μητρὶ, καὶ τῷ Ἀστυάγει, πολὺν γέλωτα παρασχεῖν· 2, 2. 5. περὶ τῶν τὸν γέλωτα παρασχόντων· ſed ibid. ſ. 4. eſt γέλωτα ποιεῖν· 1, 3. 11. τοιαύτας μὲν αὐτοῖς εὐθυμίας παρεῖχεν· 4, 1. 3. ἀθυμίαν δὲ πᾶσι πλείστην παρεῖχεν· ſed 1, 6. 12. ὡς ἂν δυναίμην στρατιᾷ προθυμίαν ἐμβαλεῖν, et ſ. 16. τὸ προθυμίαν ἐμβαλεῖν στρατιώταις, et ἐλπίδας ἀγαθὰς ἐμποιεῖν ἀνθρώποις· 4, 5. 15. πολὺν μὲν φόβον ἡμῖν παρείχετε· et 4, 5. 12. formulae τὴν ἀσφάλειαν ποιεῖν, et τὴν ἀσφάλειαν παρέχειν, idem declarant. Hippocrates de medic. vet. 22. p. 26. To. 1. Lind. οἶμαι γὰρ ἔγωγε πολλὴν ἀπορίην ἐρωτηθέντι παρασχεῖν. Plato Phaedon. 37. ἀπιστίαν παρέχειν idem eſt, quod ἀπιστεῖν ποιεῖν, vel ἀπιστοῦντα παρέχειν, vt c. 56. ἀπιστίαν ἔχειν idem valet, quod ἀπιστεῖν.

9. Memorr. 1, 6. 8. Conuiu. 4, 25.

10. Xen. Cyrop. 1, 6. 19. θαρρῆσαι ποιήσαντας· 2, 2. 6. κλαίειν ἐπειρώμεθά σε ποιεῖν· 4, 5. 15. μάλα δὲ αἰσχύνεσθαι ἡμᾶς ἐποιήσατε.

11. 4, 22.

his, aliisque eius generis formulis innumeris, satis liquere puto, πίστιν παρέχειν πᾶσιν illo loco Lucae, ex vsu loquendi Graeco, valere idem, quod πιστεύειν πάντας ποιεῖν, et πιστεύοντας πάντας παρέχειν, *fidem facere omnibus*, hoc est, *facere, vt omnes intellegant, videant, credant, plane, verum putent*, certe *credere, videre, intellegere, plane possint*, scilicet verum esse id, quod Paulus docuit, Christum a deo constitutum esse iudicem omnium omnino hominum, ita, vt πίστις hac in formula sit, non *argumentum, probatio* [12], sed *firma opinio* [13], affectio mentis, quum quis aliquid verum, certumque, esse putat, neque de eo vllo modo dubitat, vt *fides* in formula *fidem facere* [14]. Cuius quidem interpretationis elegantia, et veritas, etiam magis cognosci ex eo potest, quod sic omnia membra, omnes partes, orationis Apostoli praeclare inter se, aptissimeque, cohaerent. Paulus enim Christo ait datum esse a deo ius, et potestatem, statuendi de omnibus hominibus: cuius decreti sui de constantia, et grauitate, vt cunctis constaret, deum addit Christum iussisse redire ab inferis. Ita vero neminem futurum speramus, quin videat sponte, libenterque concedat, verba illa Apostoli nullo modo pertinere ad eam dei erga homines liberalitatem, qua copiam faciat ad vnum omnibus doctrinae suae, et fiduciae Christi. Sed aeque perperam interpretantur plerique Lexicographi, praeeuntibus theologis dogmaticis, quorum paucissimi sunt, fueruntque, boni grammatici, verba eiusdem Pau-

12. Vid. Quinctil. 5. 10. 8. orator. 3. et Valquenarius ad Eurip. Hippolyt. 1321. p. 306. s.

13. Vid. Cic. de partit. et Cic. d. l.

14. Vid. Nepos 17, 8. 3.

li [15] haec, κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, de *descensu* Christi *ad inferos*. Etenim haec interpretatio primum rei ipsi repugnare videtur, quum Christus in libris diuinis Noui Testamenti nusquam legatur ad inferos, hoc est, in tartara, et sedes sceleratas, descendisse. Ignorant enim eam rem Euangelistarum commentarii, neque in epistolis Apostolorum vlla eiusdem vestigia comparent; quippe quum Beza, aliique summi interpretes, dudum vicerint, verba Petri [16] Apostoli, quae laudantur ab huius dogmatis inuentoribus, et patronis, ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξε, debere ita intellegi, vt Christus diceretur, pro potestate sua diuina, hominibus improbis, et scelestis, Noachi saeculo, imminentes tempestates, impendentis exitii, interitusque, periculum, denuntiasse. Neque vero in symbolis ecclesiae antiquae quidquam reperitur, quod caussam propugnatorum huius sententiae iuuet, aut aduersarios vanitatis cuiusdam, et impietatis, conuincat. Nam Nicaeni quidem, et Constantinopolitani, symboli conditores solam mortem Christi nobis memorant [17], quam consequuta sit sepultura primo, deinde reditus eius in vitam: et in symbolo Athanasiano leguntur verba *descendit ad inferos:* quae formula quum sumta sit e versione Latina vetere alterius Testamenti [18]; ei facile apparet eandem subiici potestatem oportere, quam eidem auctor huius

15. Eph. 4, 9.

16. 1. ep. 3, 19.

17. Verba symboli sunt, *passus, et sepultus, est, et resurrexit tertia die.*

18. Vid. Gen. 37, 35. Ps. 113, 17.: vbi est *descendam in infernum*, et *qui descendunt in infernum:* sed verba *ad inferos*, et *in infernum*, inter se non differunt. vid. 1. Regg. 2, 6. 9.

huius verſionis ſubiecerit. Iam vero eam omnes norunt ab eo expreſſam eſſe e Graecis formulis καταβαίνειν εἰς ᾅδε, et καταβαίνειν εἰς ᾅδην, quae leguntur in Alexandrina verſione Veteris Teſtamenti non vno loco [19] pro Hebraica formula ירדת שאולה. Haec igitur quum de morientibus dicatur: certiſſimum eſt, atque euidentiſſimum, nec formulam καταβῆναι εἰς ᾅδε, vel εἰς ᾅδην, quidquam ſignificare aliud, quam apud Xenophontem [20] κατὰ τῆς γῆς δῦναι, *mortuum eſſe*, atque adeo ſepultum, et verba ſymboli Athanaſiani accipienda eſſe de *morte* Chriſti, et ſepultura, non de eius *profectione* in tartara, ſedeſque ſceleratorum; praeſertim quum auctor ſymboli non videatur mortem ſeruatoris, ab qua ſciret pendere omnem ſalutis hominum ſpem, aut oblitus eſſe, aut commemorare noluiſſe; atque adeo *deſcendit ad inferos* idem valere, quod *paſſus*, hoc eſt, *mortuus*, *eſt* in ſymbolo Nicaeno, et Conſtantinopolitano. Sed haec ipſa verba videntur a nonnullis poſita fuiſſe prope verba ſymboli Apoſtolici *mortuus, et ſepultus*, et paulatim, vt fit, in ipſa ſymboli texta illata. Certe Rufinus, Aquileienſis presbyter, in expoſitione ſymboli Apoſtolici [21] verba *deſcendit ad inferna;* ſic enim legitur nunc ibi pro *deſcendit ad inferos;* diſerte teſtatur, neque in eccleſiae Romanae ſymbolo haberi, neque in orientis eccleſiis, ſibique videri ait iis

C 5 idem

19. Gen. 37, 35. Pſ. 113, 17.

20. Cyrop. 5, 5. 4.

21. ſ. 20. ſ. ſ. 13. Pamel. p. 550. ad calcem opp. Cypriani. Verba Rufini ſunt, *Sciendum ſane eſt, quod in eccleſiae Romanae ſymbolo non habetur additum* deſcendit ad inferna: *ſed neque in orientis eccleſiis habetur hic ſermo: vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo, quod* ſepultus *dicitur.*

idem declarari, quod verbo *sepultus.* Caeterum quum auctores Confessionis Augustanae, et Formulae Concordiae, ista verba genuina esse putassent; quum iis sibi persuasissent rem significari a morte, sepulturaque, diuersam [22]: facile patet omnibus fons dogmatis de descensu Christi ad inferos, ita, vt mirandum non videatur, repertos fuisse semper eruditissimos, sanctissimosque, theologos [23], qui de eius veritate dubitare auderent. Et quum Christus reditu suo ad superos declarauerit, se esse potentissimum, atque vnicum, victorem, triumphatoremque, hostium hominum: sane vehementer velim mihi idoneas dari rationes, quibus vincatur, opus fuisse, vt optimus seruator in tartara descenderet, ibique sese geniorum malorum turbae ostentaret; etiam tempus, quo abierit illuc, ita definiri, vt narrationis Lucae [24] de moriente fides, atque auctoritas, integra maneat. Deinde auctores interpretationis verborum Pauli supra propositae non videntur esse boni ratiocinatores, neque admodum subtiles, et acuti, dialectici. Quomodo enim Apostolus contendere potuerit, non videmus, e reditu Christi ad superos collegi recte posse, eum descendisse antea in tartara, eum fuisse antea in sedibus sceleratis, quum *caelum*, qua locus mundi summus, semper referatur ad *terras*, locum mundi infimum, vt, quem adscendisse in caelum legamus, eum antea in terris versatum esse existimemus? Denique eadem illa interpretatio alienissima est ab vsu loquendi, et Graeco, et He-

22. Vid. Conf. Aug. Art. 3. et Form. Conc. Art. 9.

23. Vid. Dietelmaieri, viri summi, Historia dogmatis de descensu Christi ad inferos literaria, Altorpii A. C. CIϽIϽCCLXII. iterum octonis edita.

24. C. 23, 43.

Hebraico. Etenim *infernae sedes*, et *tartara*, neque ab Hebraeis vnquam dicta reperiuntur תַּחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ, neque a Graecis τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Quae quidem omnia quum praeclare viderent interpretes librorum diuinorum paulo humaniores, qui non putarent, auctoritatem dogmaticorum libellorum maiorem esse, potioremque, voce legum linguae debere: verbis τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς significari docuere *vterum* Mariae, matris Christi, ita, vt κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς esset *factus est ante homo*. Hanc rationem tueri conatus est, atque ornare, in primis Paulus Fagius, eruditissimus homo, in praeclaris animaduersionibus ad Onquelosi Paraphrasin librorum Mosis [25], eo, quod *vterus*

25. ad Gen. 37, 35. Liber Fagii, qui exiit Argentorati A. C. 1546. form. mai., quia est paulo rarior; quia Fagio multi assensi sunt; quia sententiam dixit breuiter, sed eleganter tamen: placuit totum locum apponere: *Verum quia in mentionem istius materiae incidimus, placet etiam hic aliquo modo ex veritate hebraica illustrare locum, qui est apud Apostolum Eph. 4. capit., vbi dicitur de Christo*, Caeterum illud ascendit, quid est, nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terrae? etc.: *circa quem locum Theologi multum disputant de descensu Christi ad inferna. Verum tu noueris, Apostolum per* descensum Christi ad infimas partes terrae *nihil aliud intelligere, quam Christum, etsi supra omnes coelos exaltatum, venisse tamen antea* [illegible]*s in terras, veramque naturam humanam in vtero sanctissimae Mariae virginis assumpsisse. Quam naturae humanae assumptionem, atque incarnationem, Hebraismus in scripturis sacris per* inferiora terrae *intelligit, vt* Ps. 139. לא נכחד עצמי ממך אשר עשיתי בסתר רקמתי בתחתיות ארץ *id est*, Non est occultata substantia mea a te, quando formatus sum in abscondito, et variis distinctus membris fui, in inferioribus terrae. *Vbi Psalmista* maternum vterum, *in quo dicit se mirifice formatum*, inferiora terrae *vocat. Dicitur*

au-

vterus etiam a Dauide in hymnis [26] dictus esset תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ, hoc est, vt verterunt Alexandrini Iudaei, τὰ κατωτάτω τῆς γῆς, vel, vt legitur in codice Alexandrino, exemploque Complutensi, et Aldino, τὰ κατώτατα τῆς γῆς. Certe cum aequalitas membrorum orationis Dauidis, עֻשֵּׂיתִי בַסֵּתֶר, et רֻקַּמְתִּי בְּתַחְתִּיּוֹת אָרֶץ, tum maxime verbum רֻקַּמְתִּי, satis declarant, verbis תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ nihil, nisi *vterum* matris, רֶחֶם, significari, de quo illa ab ipsis Iudaeis [27] accipi video. Nam רֻקַּמְתִּי *variegatus sum*, ἐποικίλθην, vt explicauit eleganter sane Aquila, est *factus sum*, *formatus sum*, idem, quod עֻשֵּׂיתִי. Alexandrini Iudaei interpretati sunt καὶ ἡ ὑπόστασίς μου, ita, vt, aut הֲקוֹמֹתִי legisse videantur, vel וְקָמֹתִי, aut sensum loci exprimere vtcunque voluisse. Hominem vero in vtero formari, et figurari, nouimus. Vnde nihil elegantius, nihil lucidius, nihil illustrius, excogitari posse, atque inueniri, apparet

autem vterus matris, *vbi foetus perficitur, testibus etiam doctissimis hebraeorum*, inferiora terrae, *propter humilitatem, et caliginem. Quod sicut ea, quae sub terra sunt, humilia, et caliginosa, sunt, ita et vterus maternus, humile, vile quiddam, et caliginosum, est. Et tamen non horruit Christus, aeternus dei filius, illuc se propter nos demittere. Hoc sensu si verba Apostoli accipiamus, non patet amplius locus* spinosis *istis* quaestionibus *de descensu Christi ad inferos, quae circa hunc locum tractantur.* Respexit ad hanc Fagii interpretationem loci Pauliani Beza in animaduersionibus ad eundem, *Hoc ego vero,* inquiens, *lectori expendendum relinquo ex* cuiusdam *interpretatione, ecquid Paulus his verbis alludat ad virginis vterum. Extat enim locus Ps. 139, 15., vbi Dauid* vterum, *in quo fuerat formatus, translatiue vocat* תחתיות ארץ, *i.* inferiora terrae.

26. Ps. 139, 15.

27. Iarchius ad h. l. בתחתיות ארץ / במדור התחתון שבמעי אמי. Sal. Melechides ad h. l. בתחתיות ארץ / הוא הרחם.

apparet verbis, quibus locum illum Dauidis explanauit Chaldaeus interpres, אִצְטַיַּרִית בִּבְרִיסָא דְאִמָּא, hoc est, *formatus sum in vtero matris.* Atque de vtero Mariae Pauli orationem, post Fagium, etiam Victorinus Strigelius explicandam censuit, interpres librorum diuinorum doctus in primis. Nobis vero locus Apostoli loco Prophetae non omnino similis, immo dissimillimus, esse videtur, adeo, vt nihil ibi reperiri credamus, quod verba τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς accipi de vtero matris Christi iubeat. Etenim, nec *vterus* opponi vllo modo, per rerum naturam, *caelo* potest, nec verbum καταβῆναι est eiusmodi, vt lectores de *vtero* potissimum cogitare cogat. Et quanquam non ignoramus, תַּחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ ab Hebraeis [28] etiam de *sepulcro* dici, atque adeo idem valere, quod שְׁאוֹל: tamen verba Pauli, nec de *morte*, et *sepultura*, Christi intellegi posse, eo libentius fatemur, et concedimus, quo minus *sepulcrum* ad *caelum* potest, et solet in vita communi [29], referri. Restat igitur, vt verbis τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, cum Caluino [30], Beza, et aliis, ab Apostolo significari

28. Ps. 63, 10.: vbi libri vers. Alex. omnes habent ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς. Apud Ezechielem c. 31, 14. hoc sensu est אֶרֶץ תַּחְתִּית.

29. De loco Rom. 10, 6. s., vbi a Paulo locus Mosis Deut. 30, 12. s. ita laudatus est, vt ad τὸν ὀυρανὸν relata sit ἡ ἄβυσσος, quo vocabulo multi interpretes significari *sepulcrum* putarunt, legi Grotius, et Heumanus, possunt.

30. Caluinus Commentar. ad Ephes. d. l., *Hoc vero inepte torquent quidam, vel ad limbum, vel ad inferos, cum de praesentis tantum vitae conditione agat Paulus. Et argumentum, quod sumunt ex gradu comparatiuo, nimis infirmum est. Comparatur enim, non vna pars terrae cum altera, sed tota terra cum caelo: ac si diceret, ex sede tam excelsa in hoc nostrum profundum barathrum descendisse.*

cari dicamus ſimpliciter *terram*, ita, vt καταβῆναι εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς ſit *deſcendiſſe in terras*, hoc eſt, *hominem factum*, *in terris verſatum*, *mortuum*, *humatumque*, *eſſe*, *et ab inferis extitiſſe*: quod Iohannes Euangeliſta, et ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβεβηκέναι [31] dixit, et εἰς τὸν κόσμον ἐληλυθέναι [32]. Quae quidem interpretatio nobis omnes notas, omnes partes, et numeros, veritatis habere videtur. Nam primum *terra* referri ad *caelum*, qua regionem mundi altiſſimam, in omnibus linguis ſolet: deinde Paulus circumloquutione vſus eſt, quo oratio fieret elegantior, et concinnior, et ornatior, ita, vt Comparatiuus κατώτερα haberet vim Poſitiui, non Superlatiui; quum *caelum* appellaſſet [33] vocabulo ὕψος, praeeunte Dauide, qui illud הַמָּרוֹם nominauit [34]; et recte vti iſto loquendi circuitu potuit, quum, non modo Alexandrini Iudaei *caelum*, eadem ratione, dixiſſe reperiantur, in Eſaiae oraculis [35], τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ, ſed nomen μέρη etiam in aliis eiuſmodi formis loquendi [36] ita vſurpatum legatur: denique addi-

31. C. 6, 38. add. c. 3, 13. Sed c. 16, 27. ſic eſt, παρὰ τοῦ θεοῦ ἐξελθεῖν· et v. 28. ἐξελθεῖν παρὰ τοῦ πατρός.

32. C. 12, 46. 16, 28.. Lactantius ſic dixit *deſcendere in terram*. v. Inſtitutt. 4, 10. 1. epit. Inſtitutt. 43, 8. Iuſtinus Martyr Apol. 1, 5. μορφωθῆναι, καὶ ἄνθρωπον γενέσθαι.

33. Epheſ. 4, 8.

34. Pſ. 68, 19.

35. C. 38, 14. Sic Luc. 2, 14. ὕψιστα refertur ad γῆ· vt apud Gellium 9, 1. *infima ad ſuperna.*

36. Vt Matth. 2, 22. ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας, h. e. εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Interpres Hebraeus Munſteri recte vertit הָלַךְ אֶל־אֶרֶץ גָּלִיל. Nam μέρη ſunt *fines*, vt Marc. 8, 10.: vbi τὰ ὅρια, quod in codd. quibuſdam legitur pro τὰ μέρη, haud dubie irrepſit e Matth. 15, 39. Sic Cic. p. Arch. 3. *in caeteris Aſiae partibus, cunctaeque Graeciae.*

addicere videmus ipſam conſuetudinem ſermonis Hebraici. Eſaias enim vates iubet alicubi [37] gaudere, et laetari, de ſalute ciuitatis Iſraëlitarum, primum *caelum* [שָׁמַיִם], deinde תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ, porro *montes* [הָרִים], denique *ſyluas* [יַעַר], et *arbores* vniuerſas [כָּל־עֵץ]. Iam vero per תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ intellegi debere ipſam *terram*, non ſolum ex eo patere putamus, quod diſtinguuntur diſerte ab *caelo*, verum etiam inde, quia poſt תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ memorantur a vate, et appellantur, partes terrae, et ea, quae in terris ſunt, montes ſcilicet, et ſyluae, et arbores, ita, vt ab eo neceſſe ſit ante nominatam eſſe ipſam illam mundi partem, quae tumens montibus, ſyluiſque, et arboribus, veſtita, ſuperbit, hoc eſt, terram. Accedit, quod aliis quoque in locis librorum poëticorum [38], quibus mundus, eiuſque partes, laetari, et exultare, iubentur, vt caelum, ita ſimpliciter terra, cum oceano, et agris, et arboribus, commemoratur. Caeterum nihil refert, vtrum cum Millio [39] arbitrere, Paulum ſcripſiſſe *εἰς τὰ κατώτερα τῆς γῆς*, vt nomen *μέρη*, explendae orationis cauſſa, ab aliena manu adiectum ſit, vt Aquila [40] ſimpliciter dixit *τὰ κατώτατα τῆς γῆς* cum Alexandrinis Iudaeis [41], an vocabulum *μέρη* cum aliis genuinum iudices, quod ab ipſo auctore epiſtolae profectum ſit [42]. Neque enim ſenſus

37. C. 44, 23.

38. Vt Pſ. 96, 11. ſ. Sic in hymno Cleanthis in Iou. 15. ſ. mundus vniuerſus ita ſignificatur, vt partes eius laudentur hae, *χθὼν, αἰθέριος θεῖος πόλος, πόντος*.

39. Prolegg. N. T. ſ. 483.

40. Pſ. 139, 15.

41. Pſ. 63, 10. Sic Axioch. 19. *τὰ μέσα τοῦ κόσμου*.

42. Sic Matth. 11, 8. codd. nonnulli habent *ἐν μαλακοῖς*, quum tamen lectio vera haud dubie ſit *ἐν μαλακοῖς ἱματίοις*.

ſenſus verborum Apoſtoli mutatur, vtramcunque rationem ſequare: ſed melior tamen, tutiorque, videtur ratio poſterior, quum μέρη legatur, non modo in plurimis, ſed etiam in optimis, codicibus: quo e numero eximendus non eſt, id quod Millii, Bengelii, aliorumque, cauſſa commonendum duximus, ille codex, quem interpres Syrus inſpexerat. Hic enim quum vſus ſit in ſua verſione ipſis illis verbis Hebraicis, quae vidimus apud Eſaiam extare; vertit enim ܠܬܚܬܝܬܗ ܕܐܪܥܐ; quum תַּחְתִּיּוֹת abſolute dicatur: ſane nomen μέρη commode reddere non potuit. Sed ſatis multa dixiſſe videmur de formula καταβῆναι εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς· veniamus ad alias. Etenim formulam τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθαι, quae legitur in Petri Apoſtoli epiſtolis [43], ab Stocquio, et aliis, perperam, et inepte, explicatam video ita, *eandem cogitationem, velut armaturam ſpiritualem, induere.* Nam vt ὅπλα dicuntur [44] omnis generis *inſtrumenta*, quibus ad aliquid vtimur; *omnia*, quibus *inſtrui* aliquid, et ornari, ſolet, ac debet, ſi vti eo recte velis; non tantum *arma bellica:* ita etiam verbum ὁπλίζειν vſurpatur de iis, qui *aliis* aliquid *parant*, qui alios *inſtruunt* re aliqua, ſed ὁπλίζεσθαι de iis legitur, qui *ſibimet* aliquid *parant*, qui *ſemet* re aliqua *inſtruunt:* quod Matthaeus [45] κτᾶσθαι dixit. Minerua quidem, formam Mentoris, faciemque, induta, cohortans Telemachum, vt perſequatur, quaeratque, parentem, Ὅπλισσον ἤϊα, inquit [46], hoc eſt, *para viatica*, para res tibi,

43. 1. ep. 4, 1.

44. Vid. Index Palaephateus in h. v.

45. C. 10, 9.

46. Odyſ. β', 289.: vbi v. Euſtathius p. 1445. 35. Rom.

tibi, atque ſociis, in via, et in itinere, neceſſarias: ἑτοίμασον ἐφόδια, vt interpretatus eſt ſcholiaſtes minor, eleganter ſane, ac ſcite. Et quia Polyphemus Cyclops, deuorato Antipho, mox ipſe interiit, vel quia Antiphum comitum Vlyſſis poſtremum deuorauit, eidem Homero [47] dicitur πύματον ὁπλίσασθαι δόρπον, hoc eſt, *vltimam ſibi paraſſe coenam.* Heſychius certe gloſſam ὡπλίσσατο, ex illo ipſo poëtae loco ſumtam, explicauit verbo παρεσκευάσατο. Itaque certiſſimum eſſe arbitramur, formulam τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθαι apud Petrum valere *eandem mentem, eundem animum, ſibi parare*, hoc eſt, *eandem mentem, eundem animum, ſuſcipere;* praeſertim quum Syri quoque tum verbo ܐܬܛܝܒܘ eodem modo vſi videantur [48]. Neque vero magis aſſequutos eſſe reperio multos viros doctos vim formulae ἀπὸ διετοῦς eo loco Matthaei [49], quo Herodes magnus, rex Iudaeae, occidi iuſſiſſe refertur pueros Iudaeorum omnes, quicunque, vel duo annos haberent, vel etiam intra bimatum eſſent [50]. Nam a pleriſque, et interpretibus Noui Teſtamenti, in his ab ipſo Raphelio [51], et Lexicographis, nominatim ab Schoetgenio [52], verba illa accipiuntur de *tempore*, de ipſo duorum annorum ſpatio, ita, vt ἀπὸ διετοῦς abſolute dictum eſſe praecipiant

47. Odyſſ. β', 20.

48. Conf. Raphelius ad 1. Pe. 4, 1.

49. C. 2, 16. Suidas: Διετοῦς· ἀπὸ διετοῦς, καὶ κατωτέρω· ὁ Εὐαγγελιστής.

50. Vid. Macrobius Saturnn. 2, 4. p. 332. Gronou.

51. Nam in notis Herodoteis ad h. l., *Apud Herodotum*, inquit, *eſt διέτης χρόνος lib. 2. p. 101. init.*

52. Vid. eius Lexicon N. T. h. v. et notae ad Boſii libellum de ellipſi Graeca in v. χρόνος.

piant pro ἀπὸ διετȣ̃ς χρόνȣ· qua eadem in ſententia video fuiſſe, praeter verſionis Vulgatae auctorem [53], Hebraeum euangelii Matthaei interpretem illum, cuius verſio a Sebaſtiano Munſtero edita eſt. Hic enim verba Graeca ἀπὸ διετȣ̃ς reddidit Hebraice מִן־שְׁנָתַיִם, hoc eſt, vt Munſterus Latine vertit, *a biennio*. Iam etſi interpres Hebraeus ipſe ſcripſiſſe videri poſſit מִבֶּן־שְׁנָתַיִם, ita, vt מִן neglegentiae librariorum deberetur: tamen deprehendimus hominis inſcitiae veſtigia manifeſta pluribus aliis in locis [54]; quem ſcimus omnino interpretem Latinum fere ſequutum eſſe ducem, cum in exprimendis textus Graeci lectionibus, tum in poteſtate verborum Graecorum reddenda. Neque enim dubitari vllo modo poſſe putamus, quin verba, quorum de poteſtate quaerimus, accipienda ſint de ipſis *infantibus biennibus*, ita, vt διετȣ̃ς ſit Genitiuus neutrius generis [55], non maſculini. Nam, Ptolemaeo Aſcalonita, aliiſque grammaticis antiquis, auctoribus, διετὴς de aetate, ſed de tempore διέτης [56], dicitur: et quanquam Herodotus,

53. Vertit, *a bimatu.*

54. Matth. 10, 11. נִבְבָּר habet pro ἄξιος· c. 5, 46. ſ. 9, 10. 18, 17., aliiſque in||locis, nomen τελώνης interpretatus eſt verbis בַּעַל עֲבֵרָה: c. 12, 11. et c. 18, 12. verba πρόβατον ἓν, et ἑκατὸν πρόβατα, explicauit verbis צֹאן אַחַת, et מֵאָה צֹאן: c. 16, 7. verba διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς reddidit verbis חָשְׁבוּ בֵּינֵיהֶם: ibid. 17. pro verbis μακάριος εἶ vſus eſt verbis אַשְׁרֵי אַתָּה.

55. Pollux 2, 8. αὐτοετὲς, ἔτειον, διετὲς, καὶ τὰ ἐφεξῆς.

56. Pollux 1, 54. καὶ διέτες δὲ, καὶ διέτης, ἕως δεκαέτης, καὶ ἐφεξῆς, περὶ πάντων· καὶ τριέτης, καὶ μέχρι δικαέτȣς. Ἐπὶ μὲν χρόνȣ παροξύνεται· ἐπὶ δὲ παιδίȣ, καὶ οἴνȣ, καὶ φυτȣ̃, καὶ τῶν τοιȣ́των, ὀξύνεται.

tus [57], Strabo [58], Iosephus [59], Longus [60], auctor libri Maccabaeorum secundi [61], aliique, dixisse leguntur διέτης χρόνος· tamen nullus scriptor idoneus reperietur vocabulum διέτης simpliciter hoc sensu vsquam posuisse. Sed omnium maxime confirmat rationem nostram, et totius orationis series, et vsus loquendi Hebraicus. Etenim quum verba ἀπὸ διετȣ̃ς cum verbis πάντας τȣ̀ς παῖδας cohaereant; quum ἀπὸ διετȣ̃ς, e consuetudine sermonis Hebraei, pro ἀπὸ διετῶν dictum sit: leges, et praecepta, grammatices opinamur satis ostendere, verba illa non de *tempore*, non de bimatu, intellegi posse, immo debere de ipsis *infantibus* biennibus accipi. Et Hebraei quidem quum dicere volunt, verbi caussa, *omnes*, *et viginti annos natos*, *et maiores*, *minoresue*, fecisse aliquid, dicere solent כֹּל מִבֶּן־עֶשְׂרִים שָׁנָה וָמַעְלָה, vel כֹּל מִבֶּן־עֶשְׂרִים שָׁנָה וּלְמַטָּה: cuius generis loci quanquam permulti habentur in libris Veteris Testamenti diuinis, historicis maxime: tamen ex ingenti eorum numero delegemus potissimum eos, qui fontem formae loquendi, qua Matthaeus vsus est, demonstrent, atque adeo viam patefaciant ad veram eius interpretationem. Apud Mosen enim eo loco [62], quo persequitur nume-

ται. Ammonius v. τρίετες· Τρίετες βαρυτόνως, καὶ Τριετὲς ὀξυτόνως, διαφέρει; Φησὶ Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης. Ἐὰν μὲν γὰρ βαρυτονήσωμεν, ἔσαι ἐπὶ χρόνȣ· — ἐὰν δὲ ὀξυτονήσωμεν Τριετὲς, ὡς εὐφυὲς, ἔσαι ἐπὶ ἡλικίας. — Χρὴ ȣ̃ν ἀναγινώσκειν, ὡς ἀξιοῖ ὁ Ἀσκαλωνίτης. Add. Etymol. M. v. τριέτης, et Suidas v. τριακονταέτης.

57. 2, 2.

58. 5. p. 341. B Almelou.

59. Archaeol. 2, 3. p. 38. Bas. 2, 5. 4. Hauerc.

60. 1. p. 4. Mol. p. 22. Bod.

61. C. 10, 3.

62. Numerr. 1, 20. ss.

numerum Rubenitarum, reliquorumque Israëlitarum, qui annos viginti haberent, vel etiam plures, leguntur haec verba, כָּל־זָכָר מִבֶּן־עֶשְׂרִים שָׁנָה וָמָעְלָה, hoc est, *omnes mares, et annos viginti nati, et maiores:* ab quibus verbis non discrepant ea, quae in libro Esrae [63] extant, וַיַּעֲמִידוּ אֶת־הַלְוִיִּם מִבֶּן־עֶשְׂרִים שָׁנָה וָמָעְלָה. Et eo loco librorum Chronicorum [64], quo Dauides rex perhibetur numerari vetuisse Israëlitas, qui viginti annos vitae complessent, et qui annum aetatis vigesimum nondum attigissent, legitur וְלֹא־כָשָׂא דָּוִיד מִסְפָּרָם לְמִבֶּן־עֶשְׂרִים שָׁנָה וּלְמָטָּה: quae verba Alexandrini interpretes ita verterunt, *καὶ οὐκ ἔλαβε Δαυὶδ τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν ἀπὸ εἰκοσαετοῦς, καὶ κάτω.* Ex his igitur locis quis non intellegit, Matthaeum sequutum esse consuetudinem loquendi Hebraicam? quis non videt, et animaduertit, verbis *ἀπὸ διετοῦς* ab eo expressa esse verba Hebraica מִבֶּן־שְׁנָתַיִם? quis est, qui non iam sponte sentiat, vltroque fateatur, vocabulo *διετὲς*, non *biennium* significari, verum ipsos *infantes* biennes? Atque de his dudum viderat verba Euangelistae explicanda esse Syrus interpres cum versionis Arabicae auctore. vertit enim ea sic, ܡܢ ܒܪ ܬܪ̈ܬܝܢ ܫܢ̈ܝܢ: neque aliter reddidit interpres Arabs, مِنْ اِبْنِ سَنَتَيْنِ. Et profecto in his versionibus plures loci librorum diuinorum vtriusque Testamenti longe melius, atque elegantius, etiam apertius, explanati leguntur, quam in libris recentiorum interpretum omnium, ita, vt vel hac de caussa diligentissime commendandam esse appareat industriae, atque studiis, liberalium iuue-

63. C. 3, 8. 64. 1. Chronn. 27, 23.

iuuenum accuratam linguarum orientis cognitionem. Antiquitas enim ita ſequebatur, pro beata ſimplicitate, duritieque, ſua, vbertatem, et grauitatem, doctrinae, vt nullis laboribus, nullis incommodis, nullis moleſtiis, moueretur, eiuſque auxilio verum indagare, et reperire, ſtudebat: ſed noſtra aetas ducitur ſola ingenii ſcilicet elegantis, atque pulchri, fama, laudem doctrinae grauis, et copioſae, neglegit; quippe quae comparari non poſſit ſine ſumma induſtria, ſine aſſiduitate cotidiana lectionis, exercitationiſque, diligentis, grauiſſimis ſane inertis, atque deſidioſae, mollitiei aduerſariis. Vnde non hoc agit in explicandis ſcriptorum veterum libris, vt ſententiam eorum, quae dicuntur, adiumentis doctrinae, quibus caret, inueſtiget, ac inueniat, inuentam tradat lectoribus ſimpliciter, et ſine vlla verborum pompa: immo vanitatem orationis adhibet, ornatuque verborum, et ſpecie, ita percellit aures imperitorum, atque animos, more circumforaneorum pharmacopolarum, vt, abducti ab acri, diligentique, contemplatione orationis auctorum veterum, admirentur attoniti ſingularem ingenii magnitudinem horum clamoſorum hiſtrionum. Sed compeſcemus querelas, quamuis iuſtas, et neceſſarias, ſtylumque euagantem reuocabimus ad propoſitum. Formulam διακαθαρίζειν τὴν ἅλωνα, qua Matthaeus [65], et Lucas [66], vtuntur, Stocquius cum Beza, aliique, quos nominare nihil attinet, vertunt *perpurgare aream*: immo vertere debebant *ventilare frumenta*, quod Alciphron in epiſtolis [67] δια-

65. C. 3, 12.
66. C. 3, 17.

67. 3. ep. 26. Ἄρτι μοι τὴν ἅλω διακαθήραντι, καὶ τὸ

διακαθαίρειν τὴν ἅλω dixit. Namque vt verbum διακαθαρίζειν ostendit, ἅλωνα non esse ipsam *aream*, sed *frumenta* extrita, et in area congesta, aceruum granis, et paleis, mistum: ita hoc ipsum vocabulum ἅλων non minus, quam verba, et quae praecedunt, ὗ τὸ πτύον ἐν χειρὶ αὐτῦ, et quae sequuntur, καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτῦ εἰς τὴν ἀποθήκην, τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέςῳ, hoc est, *et grana quidem condet in granarium, sed paleas cremabit igni inextincto*, declarant, verbum διακαθαρίζειν idem valere, quod verbum λικμᾷν, quod est verbum hoc in genere proprium, hoc est, *ventilare*, *vannare*, et quo vsos esse videmus interpretes narrationis Ruthae. Quae quidem res nobis persuasit, a Matthaeo, et Luca, reddita esse illa formula verba Hebraica זֹרוֹת אֶת־גֹּרֶן, quae ipsa vsurpari de iis, qui frumenta ventilant, docet locus historiae Ruthae [68] is, quo Naamis, socrus, Ruthae, nurui, ostendit, Boasum nocte proxima ventilaturum esse hordea. Ibi enim leguntur haec verba, הִנֵּה־הוּא [69] זֹרֶה אֶת־גֹּרֶן הַשְּׂעֹרִים הַלָּיְלָה, hoc est, *is ventilaturus est hordea hac nocte*: quae verba Alexandrini Iudaei ita interpretati sunt, ἰδὲ αὐτὸς λικμᾷ τὴν ἅλωνα τῶν κριθῶν ταύτῃ τῇ νυκτί. Nam τὴν ἅλωνα τῶν κριθῶν posuere ex Hebraica ratione, quum, per leges consuetudinis Graecae, potuissent simpliciter dicere τὰς κριθάς. Itaque nec Syrus interpres verbum διακαθαρίζειν reddere debuisset verbo ܢܕܟܐ, nec

τὸ πτύον ἀποτιθεμένῳ, ὁ δεσπότης ἐπέςη· καὶ ἰδὼν ἐφίλει τὴν φιλεργίαν.

68. C. 3, 2.

69. In cod. manu scripto primo senatus Lipsiensis, quem viuo adhuc Mascouio, summo viro, cum editis libris contulimus, legitur זורה.

nec Hebraicae verſionis Matthaei auctor verbo טָהֵר, immo verbis זָרוֹת, et [illegible]. Matthaeus autem, et Lucas, recte commutarunt verbum λικμᾷν verbo διακαθαρίζειν, cum quod ii, qui ventilant frumenta, ea purgant, hoc eſt, grana a paleis ſecernunt [70]; vnde etiam apud Ieremiam [71] vatem verba זָרוֹת, et הָבַר, coniuncta extant: tum quoniam illa aetate Hebraei pro verbo זָרוֹת vſi videntur verbo בָּרַר, quod reſponderet etiam verbo הָבַר, hoc eſt, verbo Graeco διακαθαρίζειν. Certe interpres Chaldaeus libelli Ruthae pro זרה poſuit מְבַדַּר: ſed hoc ipſum verbum in paraphraſi Chaldaica Ieremiae legitur pro Hebraico verbo הָבַר. Haec vero omnia, quae hactenus a nobis diſputata ſunt de vi, et poteſtate, formularum quarundam Noui Teſtamenti, quem non doceant, quam ſaepe lapſi ſint hoc quoque in genere, atque errarint, recentiores Lexicorum conditores, et quanta adeo, quam acri, diligentia, quanta, quam pertinaci, cautione, opus ſit, ne, auctoritate horum librorum decepti, eam tribuamus multis dicendi formulis poteſtatem, quae iis ab ipſis ſcriptoribus diuinis nuſquam tributa reperiatur, et ne ex eiuſmodi formulis male intellectis dogmata fingamus, et comminiſcamur, familiae Chriſtianae noua, et inaudita, atque adeo vana, et inania?

III. Sed vt hanc admonitionem non ſuperuacaneam, immo admodum neceſſariam, eſſe apparet, quia, non tantum tirones plerique, ſed etiam alii librorum Noui Teſtamenti lectores, ſpe-

70. Suidas v. λικμήσου· ται· Λικμᾷν δὲ, τὸ σῖτον καθαίρειν· in libris Phauorini legitur τὸν σῖτον καθαίρειν.

71. C. 4, 11.

ſperant, ſe poſſe cuiuſque formulae vim, indicio Lexicorum, reperire facile, adeo, vt carere omnibus aliis auxiliis recte queant: ita non ſolum quaerere paulo diligentius, et diſſerere paulo vberius, viſum eſt de poteſtate formularum ante propoſitarum, ſed etiam vias paulo accuratius demonſtrare, quibus perueniretur ad idoneam, certamque, rerum huius generis cognitionem, quo, vel excitaremus, vel acueremus, induſtriam adulefcentium liberalium, et ingenuorum, omnium, in primiſque eorum, qui noſtrae curae ſunt, fideique, commiſſi, vt mature inſtituerent omnes illas doctrinae opes, atque copias, contrahere, et collegere, quibus viderent opus eſſe ad recte intellegendam orationem Graecam Noui Teſtamenti, hoc eſt, vt ſtudioſe diſcerent Graecas [72], Hebraicaſque, literas non magis, quam reliquas orientis linguas, eoſque libros omnes diligenter legerent, quibus ſcientia harum linguarum adiuuari, ornari, perfici, poſſet, vt haec ſtudia terminanda cenſerent, non breui curriculi ſcholaſtici ſpatio, verum totius vitae finibus. Nam profecto, non eminus ſpectandae ſunt hae literae, ſi prodeſſe eas nobis velimus, verum propius adſpiciendae, vt omnem earum venuſtatem, omnia ornamenta, omnes opes, cognoſca-

72. Alex. Politus praefat. ad Euſtath. commentarr. in Iliad. p. 5. ait, eruditionem, quae linguae Graecae cognitione ſit deſtituta, imperfectam eſſe atque mancam, et, qui Graece neſciant, eos ſemidoctos potius homines, quam doctos, eſſe appellandos. Vnde etiam eandem partem commentariorum Euſtathii p. 7. — 16. auxit oratione Latina de Graecarum literarum neceſſitate, quam A. C. 1733. in gymnaſio artium Piſano habuerat: quam, non ſemel, ſed ſaepius, legi vehementer velim ab omnibus ſtudiorum harum literarum contemtoribus. Repetita formulis ſtanneis eſt Lipſiae A. C. 1737. 4. cura Ienichenii.

gnoſcamus; non qualiſcunque earum amicitia, ſed familiaritas, appetenda eſt; quae contrahi, niſi aſſidua, diuturnaque, conſuetudine, non poteſt. Hanc vero cohortationem eo magis neceſſariam eſſe putamus noſtra aetate, quo magis langueſcere videmus cotidie harum literarum ſtudia; quo latius ſerpere cotidie audimus contagia opinionis, et religioni, et reip., maxime peſtiferae eorum, qui clamant, qui philoſophiam ieiunam imbiberit, vt decipere imperitos poſſet, qui rhetoricen ſcilicet, ac poëticen, vernaculam ita deuorauerit, vt aures muliercularum, atque animos, delectare, et mouere, valeret ſcribendis fabulis, aliiſque libellis nugalibus, eum egregiae, atque ſummae, doctrinae laude ſolum ponendum eſſe digniſſimum. Quam quidem ſtultitiam, et leuitatem, inſigniter humilem non parum alunt, proh dolor! et augent ii, qui hos clamoſos oratores, petulanteſque poëtas, aequo animo patiuntur maximis, grauiſſimiſque, muneribus vtriuſque generis praefici. Sed horum hominum numeros ſperamus non aucturos eſſe eos diſciplinae noſtrae alumnos, quos ante diſceſſum e ſchola Thomana in Academiam Lipſienſem ſuum facultatis Latine dicendi documenta dare iuſſimus publice patronis ſcholae ampliſſimis, et fautoribus ſtudiorum noſtrorum excellentiſſimis. Nomina eorum ſubiecimus: IOH. HENR SARCANDER, *Neapoli Nariſcus:* THEOPHILVS THEODORVS SCHELERVS, *Leucopetrenſis:* IOH. GODOFREDVS GVRLITIVS, *Lipſienſis.* Horum primus Latinas maxime, atque Graecas, literas adeo cupide imbibit, vt non mediocriter eſſet, pro aetate ſua, in iis verſatus: ſecundus cum Latinae, Graecae-

que, linguae ſtudiis coniunxit ſemper, parentis venerandi, erudititiſſimi viri, auctoritate, et exemplo, Hebraicarum literarum cognitionem: tertius denique, praeter Latinas, et Graecas, et Hebraicas, literas, reliquas quoque orientis linguas, vt Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Samaritanam, attingere, admonitu noſtro, ita coepit, vt Cellarii, Golii, Erpenii, aliorumque, hoc in genere libris ducibus vſus ſit, eorumque optimos, maximeque neceſſarios, vt Golii Lexicon Arabicum, et alios, quamuis eſſet in re tenui, et anguſta, tamen coëmerit. Exeunt enim e diſciplina noſtra veterani, non triunculi. Hanc vero eorum grauitatem, non dubium eſt, quin ſequuturi ſint poſthac complures alii, dummodo perſuaderi ſibi ſiuerint, in diſcendis, cognoſcendiſque, literis ſequendas eſſe ipſas literas, non ſpectandos numos, non honores, non alia commoda, et ludibria fortunae. Haec enim rudibus quoque hominibus, et ab omni humanitate alienis, contingere saepenumero videmus etiam citius, quam viris omni liberali doctrina politiſſimis, et humaniſſimis. Atque vt intellegeretur, quantum prodeſſet diligens, et aſſidua, lectio librorum Romanorum veterum ad iſtam animi magnitudinem gignendam, et alendam, et augendam; quantopere inflammaret animos teneros, et ingenuos, literarum ardore puro, atque integro, qui nunquam extingui vllo modo, opprimique, poſſet: non ſolum perſequi conſtituerunt iuuenes humaniſſimi orationibus ſuis *artes liberales, quarum in ſtudio Romani veteres maxime verſati leguntur*, ſed exponere etiam *rationem, qua in diſcendis illis, tractandiſque, vſi iidem perhibentur*, et oſtendere *fructus, quos haec ciuium ſtudia tuliſſe*

vni-

uniuerſae reip. Romanae reperiuntur. His igitur oratiunculis diſcipulorum noſtrorum, qui nos nulla re vnquam offenderunt, et quos huius ipſius pietatis, modeſtiaeque, cauſſa ſemper amauimus non parum, vt intereſſe velint patroni ampliſſimi, curator honoribus, doctrinaque, illuſtris, reliquique euergetae, ſcholae, et omnes, quicunque literas, vel diuinas, vel humanas, docent, et interpretantur, in hac vrbe, hocque fauore ſuo, non tam magiſtris ſcholae, quam rei potius, et Chriſtianae, et publicae, hoc beneficii tribuere, vt cupiditas, ſtudiumque, literarum, vel incendatur, et excitetur, vel alatur, et augeatur, in diſcipulorum noſtrorum omnium animis, vehementer etiam atque etiam rogamus. Scripſimus in Schola Thomana a. d. VI. Kal Maias A. C. CIↃIↃCCLXXIII

PROLV

PROLVSIO TERTIA

DE NOTIONIBVS INCERTIS ET AMBIGVIS QVAE IN LEXICIS N. T VERBIS EIVS SINGVLIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

In legibus, et praeceptis, bonae, iuſtaeque, interpretationis recte ponitur etiam hoc, vt in explicanda alterius oratione abſtineamus verbis incertis, et vagis, et ambiguis, hoc eſt, iis, quae menti legentium offerant, non certam quandam rerum formam, ſed ſpecies varias, quarum quae haeſerit in mente ſcriptoris, non ſatis appareat; vt, ſi alter vſus reperiatur vocabulis formam quandam, et partem, rei alicuius declarantibus, ea interpretemur certis et fixis, hoc eſt, iis, verbis, quibus eadem rei forma, atque pars, ſignificetur, non genus rei, neque res tota, exprimatur, adeo, vt in mente lectoris exiſtant ſpecies earum rerum, quarum effigies fuerint ſcriptoris animo obuerſatae. Sic enim ſperare poterunt interpretes, intellectum iri orationem auctoris ab omnibus, neque timere debebunt, ne dicantur, non tam illuſtraſſe eam, quam obſcuraſſe. Atque ad huius praecepti normam in promtu eſt vel maxime dirigere debuiſſe operam ſuam, vt omnes librorum diuinorum inter-

terpretes, ita etiam eos, qui verba, et formas dicendi singulas Noui Testamenti explicare conati sunt peculiaribus libris, quae vulgaris nunc consuetudo Lexica vocat. Iam vero nullorum facile aliorum Lexicorum auctores magis, et saepius, neglexisse reperiuntur legis illius praescripta, quam conditores Lexicorum Noui Testamenti, si non omnes, attamen plerique. Quae quidem turpis eorum, atque iners, hoc in genere neglegentia vt pateat omnibus; vt videant cuncti, quam vagis saepe, et ambiguis, verbis interpretati sint isti homines, et verba singula, et integras formulas, librorum Noui Testamenti, ita, vt facile appareat, nec ipsos satis intellexisse scriptorum diuinorum orationem: age, proponamus, pro institutae disputationis ratione, huius quoque vitiorum generis exempla quaedam.

II. Ordiemur a verbis singulis, quorum magnae sane multitudini in multis Lexicis Noui Testamenti subiectam videmus potestatem adeo incertam, et ambiguam, vt, quid tradant, quid praecipiant, scriptores diuini, horum librorum indicio, reperire nemo vllo modo possit. Ῥάπισμα, vocabulum, si veteres grammaticos audias [1], vulgare, parumque elegans, et haud dubie

1. Phrynichus Eclogg. p. 72. Pau., Τὸ ῥάπισμα ὀυκ ἐν χρήσει. Χρῶ ὀῦν τῷ κρείττονι· τὸ γὰρ τὴν γνάθον πλατείᾳ τῇ χειρὶ πλῆξαι, ἐπὶ κόῤῥης πατάξαι Ἀθηναῖοι φασί. Harpocratio in v. ἐπὶ κόῤῥης· — βέλτιον δὲ ὑπολαμβάνειν ἐπὶ κόῤῥης λέγεσθαι τὸ ἐπὶ τῆς γνάθου, ὃ λέγομεν ἐν τῷ βίῳ ῥάπισμα. Thomas Magister: Ἐπὶ κόῤῥης πατάξαι λέγουσιν Ἀττικοὶ τὸ τὴν γνάθον πλατείᾳ πλῆξαι χειρί, ὀυ ῥάπισμα δοῦναι — κἂν ὁ αὐτὸς [Libanius] ἀλλαχοῦ ῥάπισμα λέγει ἀδοκίμως. Suidas in v. ἐπὶ

bie Macedonicum, et Alexandrinum, quicquid etiam viri quidam docti [2] contra disputent, in Marci commentariis [3] semel, et bis apud Iohannem [4], legitur. Id docent vulgo *ictum* significare, sed qualem, non addunt. Sunt enim, id quod Orbilii plagosi non ignorant, multa, et varia, ictuum genera. Si vero velimus auctoritatem grammaticorum veterum sequi, vt Phrynichi,

ἐπὶ κόῤῥης· — τινὲς δὲ καὶ ῥάπισμα λέγουσι τὸ ἐπὶ τῆς γνάθου λαμβάνειν, ἁπτόμενον καὶ τοῦ κροτάφου. Ita legitur locus in libris Suidae editis omnibus: quae lectio quum laborare visa esset viris doctis: Neocorus succurrere ei ita conatus est, vt reponi iuberet, aut λαμβάνειν, ἁπτομένου καὶ τοῦ κροτάφου, aut τύπτειν, ἁπτόμενον καὶ τοῦ κροτάφου· et Pauus in notis ad Phrynichi Eclogas d. l. vulnus ita sanandum censuit, vt rescriberetur λαμβάνειν τυπτόμενον καὶ τοῦ κροτάφου. At integra sunt grammatici verba, qui docet, a nonnullis ῥάπισμα de iis vsurpari, quorum malae caedantur palmis, ita, vt ictus etiam ad tempora pertineat. nam Participium ἁπτόμενον apertum est cohaerere cum verbis ἐπὶ τῆς γνάθου λαμβάνειν. Sed ἐπὶ τῆς γνάθου λαμβάνειν absolute dictum est pro λαμβάνειν τι ἐπὶ τῆς γνάθου, vt κατὰ κεφαλῆς ἔχειν, et ἐν γαστρὶ ἔχειν. Certe etiam in Etymol. M. v. ἐπὶ κόῤῥης, cuius auctor sua ex eodem fonte hausit cum Suida, legitur τὸ ἐπὶ τῆς γνάθου ἐκλαμβάνειν. Idem Suidas: Ἐπὶ κόῤῥης· ἄλλοι μὲν ἄλλως ἀπέδοσαν· βέλτιον δὲ ἐπὶ τῆς γνάθου ἐκλαμβάνειν· ὃ κατ' ἔθος λέγομεν ῥάπισμα. Haec ipsa verba leguntur in Etymol. M. v. ἐπὶ κόῤῥης, sed pro ἐκλαμβάνειν ibi extat ἐκλαμβάνεσθαι, et λέγεται pro λέγομεν. Conf. Langbaenius ad Longin. c. 20. p. 136. Tol.

2. Suartius Commentarr. N. T. in h. v.: Abreschius Lect. Aristaenn. p. 20. s.: Rhoerius Ferr. Dauentrienss. p. 146. s. Nam Luciani, Alciphronis, Aristaeneti, aliorumque eius aetatis scriptorum, libri non sunt norma, ad quam exigi possit, et debeat, elegantia verborum Graecorum. Conf. Salmasius de Hellenist. p. 104.

3. C. 14, 65.

4. Ioh. 18, 22. 19, 3.

nichi, Harpocrationis, Thomae Magiſtri, Suidae, et aliorum, quam adiuuari videmus interpretis Latini veteris doctrina, et firmari vſu loquendi Alexandrino, atque adeo Macedonico: verti nomen illud debet Latine *alapa*. Quod quidem vt intellegatur planius: varia poteſtas verbi ῥαπίζειν, vnde nomen ῥάπισμα ductum eſt, paulo diligentius explicanda videtur. Significaſſe igitur proprie verbum ῥαπίζειν putamus *virga, baculo, caedere*. Profectum enim id eſſe apparet a nomine ῥαπὶς, quod declaraſſe *virgam*, et *baculum* [5], vel nomen χρυσόῤῥαπις docet, quod apud Homerum [6], alioſque poëtas, de *Mercurio* vſurpatum extat, qui etiam a Latinis poëtis *caducifer* dicitur. Sed huius verbi notionis admodum pauca extant in veterum Graecorum monumentis veſtigia. Heſychius quidem gloſſam ῥαπίσαι explicat verbis ῥάβδῳ πλῆξαι, quam petierit neceſſe eſt e loco quodam ſcriptoris alicuius veteris, quo verbum ῥαπίζειν ſignificarit *virga caedere*, *virga excutere*. id quod ſatis manifeſtum fit eo, quod in eodem Gloſſario adiecta leguntur verba, ἢ ἀλοῆσαι [7]. quippe quum priſca aetas frumenta, in primiſque legumina, baculis, et virgis, extriuerit, quod Hebraei חָבַט, Alexandrini interpretes [8] ῥαβδίσαι; di-

5. Heſychius, et Suidas: Ῥαπίς· ῥάβδος.

6. Odyſ. ε, 87. κ, 277. 331. Etiam in Orphei Argonauticis v. 135. *Mercurius* dicitur χρυσόῤῥαπις Ἀργειφόντης, vt in Muſaei carmine v. 150. χρυσόῤῥαπις Ἑρμῆς. Phauorinus, neſciebam vnde: Ῥαπίς· ἡ ῥάβδος· ἀφ' ἧς ὁ Ἑρμῆς, χρυσόῤῥαπις.

7. Vid. Hemſterhuſius ad Polluc. 10, 160. p. 1346.

8. Iudd. 6, 11. Ruth. 2, 17. Vid. Schoetgenii antiquitt. triturae ſ. 18. Verbo ῥαβδίζειν pro Hebr. חָבַט etiam Aquila, Symmachus, et Theodotio, vſi ſunt Eſai. 27, 12.

dicunt. Et apud Herodotum [9], atque Plutarchum [10], idem verbum ῥαπίζειν inuenitur ita positum, vt non discrepet a verbo μαστιγοῦν, hoc est, *virgis, baculis, vitibus, caedere*, non *flagris*, neque *loro* [11], quum vterque scriptor, non de seruis [12], verum de liberis hominibus, loquatur, ab quorum corpore amouerat antiqua humanitas crudelitatem flagellorum. Sed consuetudo loquendi recentior, neglecta verbi origine, ei hanc tribuisse potestatem reperitur, auctoribus grammaticis antiquis, vt valeret *os manus palma caedere, et verberare, faciem plana palma contundere*, quod Glossaria vetera vno verbo *alapare*, etiam *expalmare*, et *depalmare* [13], dicunt. Etenim Suidas praecipit, ῥαπίσαι idem declarare, quod πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρί· quae eius verba Phauorinus ita descripsit, vt in libris eius editis perperam legatur ἀπλείστῳ χειρί· sed nec in Etymologi

9. 7, 223. ὄπισθε γὰρ οἱ ἡγεμόνες τῶν τελέων ἔχοντες μάστιγας, ἐῤῥάπιζον πάντα ἄνδρα —: et 8, 59. Ὦ Θεμιστόκλεες, ἐν τοῖσι ἀγῶσι οἱ προεξανιστάμενοι ῥαπίζονται· vbi v. Valquenarius p. 644.

10. Themist. p. 117. D To. 1. Vechel. Ὦ Θεμιστόκλεις, ἐν τοῖς ἀγῶσι τοὺς προεξανισταμένους ῥαπίζουσι· sed Apophthegmm. p. 185. B To. 2. Ὦ Θεμιστόκλεις, τοὺς ἐν τοῖς ἀγῶσι προεξανισταμένους μαστιγοῦσιν ἀεί. Hesychius: Ῥαπίζει· — μαστιγοῖ —. add. Herodo. 7, 35. coll. c. 54. Vid. Pe. Faber Agonist. 1, 19. p. 70. s. Atque sic Pass. ῥαπίζεσθαι accipiendum videtur apud Laërt. 9, 1.

11. Vid. Gellius 1, 26.

12. Sen. de constant. sap. c. 4. *Sic inuenies seruum, qui flagellis, quam colaphis, caedi malit.* Iustin. 1, 5. 2. *Mox rex inter ludentes sorte delectus, cum per lasciuiam contumaces flagellis cecidisset — a seruo regio ingenuos homines seruilibus verberibus affectos.*

13. Gellius 20, 1. p. 491. To. 2. *Is pro delectamento habebat, os hominis liberi manus suae palma verberare. — quemcunque depalmauerat —.*

mologi libris melius editum est ἀπλήςῳ χειρί, quod mendum Sylburgius censebat ita esse tollendum, vt reponeretur ἀκλείςῳ χειρί. Quae quidem emendatio summi viri etsi placere posse artis criticae studiosis vel ob facilitatem suam videatur: tamen non dubitandum putamus, quin scriptura librorum Suidae praeferenda sit, praesertim quum certissimum esse videatur, vtrumque grammaticum hausisse sua e communi fonte, et ante nomen χειρί requiri articulum [14]. Atque vel illam ipsam ob caussam repudiandam esse arbitramur coniecturam Ioh. Steph. Bernardii, cui Etymologus scripsisse ἀπληγίῳ τῇ χειρί visus erat [15]. Deinde Thomas Magister in Eclogis auctor est [16], for-

14. In hac ipsa sententia fuisse video Audendorpium ad Tho. Mag. v. ἐπὶ κόῤῥης p. 346.

15. epp. ad Ioh. Iac. Reisquium p. 503.

16. Verba eius sunt haec: Ἐπὶ κόῤῥης πατάξαι λέγουσιν Ἀττικοὶ τὸ τὴν γνάθον πλατείᾳ πλῆξαι χειρὶ, οὐ ῥάπισμα δοῦναι. Suidas: Ῥαπίσαι· πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρί· ὃ λέγουσι καὶ ἐπὶ κόῤῥης. Hesychius: Κατὰ κόῤῥης, κατὰ τοῦ κροτάφου, ἢ κατὰ τῆς σιαγόνος, πλῆξαι. Κατὰ κόῤῥης πατάξαι legitur apud Lucian. Prometh. p. 178. To. 1. Graeu.: sed ἐπὶ κόῤῥης παίειν [v. Pollux 2, 40.] dixit Philostratus Vit. Apollon. Tyan. 7, 23. p. 303. Olear.: et formula ἐπὶ κόῤῥης τύπτειν laudatur a Polluce 8, 77. Nam vocabulum κόῤῥη significat, nunc malam, etiam tempora, nunc caput. Schol. Theocriti ad Idyl. 14, 34., Κόῤῥην γὰρ τὴν γνάθον καὶ σιαγόνα οἱ Ἀττικοί. Suidas: Ἐπὶ κόῤῥης· ἐπὶ κεφαλῆς, ἢ γνάθου, ἢ κροτάφου. Κόῤῥην γὰρ, καὶ κόρσην, ὅλην τὴν κεφαλὴν σὺν τῷ αὐχένι λέγουσι· quae ipsa verba leguntur in Etymol. M., ita tamen, vt ante verba ἐπὶ κεφαλῆς insertum extet, Partic. τύπτοντες, et pro ὅλην τὴν κεφ. — λέγουσι scriptum sit τὴν ὅλην κεφαλὴν ἔλεγον σὺν τῷ αὐχένι. Eustathius ad Il. ν' p. 947. 25., et ex eo Phauorinus v. ἐπὶ κόῤῥης· Ἡ δὲ κόρση

ὅτι

formulam ἐπὶ κόῤῥης πατάξαι ab Atticis ita vſurpari, vt idem valeat, quod τὴν γνάθον πλατείᾳ πλῆξαι χειρί, non item formulam ῥάπισμα δοῦναι. Haec vero quum idem ſignificet, quod verbum ῥαπίζειν· formulae enim e verbo διδόναι, et nominibus, compoſitae in libris Noui Teſtamenti, ex Hebraica ratione, vim habent verborum, a quibus nomina ducta ſunt, quod genus φίλημα διδόναι [17], et aliae: ſane neceſſe eſt, vt ipſum verbum ῥαπίζειν dictum ſit de iis, qui *malam* alicuius *palma manus verberant.* Quae quidem obſeruatio quam vera ſit, et elegans, ipſe vſus loquendi ſcriptorum diuinorum non minus, quam Ioſephi, docet. Nam Ioſephus eo loco commentariorum regum Iudaeae [18], quo Sedekias, qui erat vnus de prophetis falſis, Achabi regis ſaeculo, Michan, vatem diuinum, palma percuſſiſſe legitur, formulam Hebraicam הִכָּה עַל־הַלְּחִי, qua vſus eſt ſcriptor diuinus, expreſſit [19] verbo ῥαπίζειν· quo ipſo ſenſu compoſitum verbum διαῤῥαπί-

ὅτι καὶ κόῤῥη λέγεται, ἱκανῶς ἔγνωσαι ἀλλαχοῦ· ἀφ' οὗ, καὶ κατὰ κόῤῥης, καὶ ἐπὶ κόῤῥης δὲ, κατὰ Αἴλιον Διονύσιον, πληγὴ τυχὸν, ἢ ῥάπισμα, λέγεται, τὸ εἰς σιαγόνα, καὶ κρόταφον. Κόῤῥην δὲ, φησὶ, καὶ κόρσην, Ἀττικοὶ τὴν ὅλην κεφαλὴν σὺν τῷ αὐχένι. Διὸ καὶ προπηλακισμὸς ἰσχυρὸς, φασὶ, καὶ μείζων, τοῦ κονδύλου. Idem ad Il. δ' p. 492., Καὶ τὸ κατὰ κόῤῥης δὲ τύψαι τινὰ, τὸ κατὰ κόρσης, ἤτοι κροτάφου, ἐστί. Παρὰ Ἀττικοῖς δὲ κόῤῥη ἡ γνάθος. vid. ibi Politus p. 1068. n. 4. To. 3. et add. Etymol. M. v. κόρη.

17. Luc. 7, 45.

18. 1. Regg. 22, 24.

19. 8, 10. p. 263. Baſil. 8, 15. 4. Hauerc.: vbi Pſeudopropheta ita loquens inducitur, εὐθὺς γὰρ ῥαπισθεὶς ὑπ' ἐμοῦ, βλαψάτω με τὴν χεῖρα· et paulo poſt leguntur haec, ὡς οὖν πλήξαντος αὐτοῦ τὸν Μιχαίαν, συνέβη μηδὲν παθεῖν, Ἄχαβος θαῤῥήσας ἄγειν τὴν στρατιὰν πρόθυμος ἦν ἐπὶ τὸν Σύρον.

ῥαπίζειν, quod ignorant vulgaria Lexica, in Heliodori Aethiopicis [20] extare meminimus. Matthaeus autem narrat [21], Iudaeorum aliòs Christum, optimum ſeruatorem, κολαφίσαι, alios eundem ῥαπίσαι, hoc eſt, vt Sedulius [22], et Iuvencus [23], poëtae non mali, veriſſime interpretati ſunt verba Euangeliſtae, alios caput eius *colaphis pulſaſſe*, alios malas *cecidiſſe palmis.* Etenim κολαφίζειν eſt *os pugno caedere*, non *depalmare*, vt explicatur in Gloſſariis antiquis: quod Attici, auctore Thoma Magiſtro [24], κονδυλίζειν dixere, ſed Apollodorus [25] κονδύλῳ παίειν, Plutarchus [26], et Lucianus [27], κονδύλους ἐντρίβειν, Heliodorus [28]

E 2 πὺξ

20. 7. p. 312. Comel.

21. C. 26, 67.

22. 5, 96. ſ. *Sacrilegas moviſſe manus, non denique paſſim, Vel* colaphis pulſare *caput, vel* caedere palmis —.

23. 4, 568. *Et* palmae *in malis*, colaphique *in vertice crebri.* Atque ſic vtrumque verbum Graecum intellexit interpres Matthaei Hebraeus, quem nonnulli cum Salmaſio [de foen. trapezit. p. 811.] ipſum Munſterum eſſe ſuſpicantur. vertit enim verba Euangeliſtae ſic, וַיַּכֻּהוּ בְּאֶגְרוֹף וַאֲחֵרִים שָׁלְחוּ אֶת - יְדֵיהֶם אֶל - פָּנָיו:

24. Verba eius ſunt, Κονδυλίζω, καὶ κονδυλισμὸς, καὶ κόνδυλος· — τὸ δὲ κολάφιζω, καὶ κολαφισμὸς, καὶ κόλαφος, Ἀνάττικα. Euſtathius ad Odyſ. ρ′ p. 1817. 52. Rom. Ἀττικοὶ δὲ τὸν κόλαφον, κόνδυλόν φασι διὰ τοῦ δ′: et Pollux 8, 76. auctor eſt, Hyperiden vſum eſſe verbo κονδυλίζειν. Heſychius: Κονδυλίζει· κολαφίζει. Κόνδυλον autem eſſe *pugnum*, intellegi poteſt ex iis, quae ab Euſtathio ad Il. ψ′ p. 1322. 39. de hoc vocabulo diſputantur, itemque ab Etymologo M. h. v.: qui idem conſuli poteſt de verbo κολαφίζειν, et nomine κόλαφος, v. κολαφίζειν.

25. bibl. 3. p. 145. Fab. Conf. Pollux 8, 77.

26. Vit. Brut. p. 987. F To. 1. Vechel.

27. Prometh. p. 178. To. 1. Graeu.

28. 1. p. 19. Comelin. Conf. Pollux 8, 77.

πὺξ παίειν, Achilles Tatius [29] τύπτειν πὺξ κατὰ τῶν προσώπων, Theocritus [30] πὺξ ἐλαύνειν, Aristophanes [31] πὺξ πατάξαι. Et quum fere [32] caput alterius, atque verticem, caedere soleamus pugnis, os, et malas, palmis: apertissimum est, maximeque perspicuum, ῥαπίζειν loco illo Matthaei declarare *palmis caedere os*, non *colaphos impingere*, vt Henr. Stephanus cum aliis vertit: qui idem, ne forte Matthaeus videretur eandem rem bis dixisse, verbum ῥαπίζειν ita interpretandum esse censebat cum Beza, vt esset *bacillis caedere;* quem Bezae errorem iam a Petro Fabro [33] recte notatum esse videmus. Perperam enim a multis, in his ab ipso Gesnero in thesauro linguae Latinae, traditur, *colaphum*, et *alapam*, esse verba idem significantia, quum tamen colaphi pugnis ducantur, alapae palmis, colaphis fere caput, et vertex, percutiatur, alapis os, et malae. Certe vt Matthaeus verba κολαφίζειν, et ῥαπίζειν, distinxit inter se: ita Hyperides, vel Philinus, in oratione contra Dorotheum, formulis κονδύλους λαμβάνειν, hoc est, κολαφίζεσθαι, *pugnis caedi*, et ῥαπίζεσθαι τὴν γνάθον, id est, *palmis caedi malam*, vt inter se discrepantibus, vsus est, Harpocratione [34] auctore. Atque sic verbum ῥαπίζειν vsur-

29. 4. p. 261. Salmas. 4, 15. p. 376. Bod.

30. Idyl. 14, 34. s.

31. Rann. 556. Moeris: Πὺξ, Ἀττικῶς· γρόνθος, Ἑλληνικῶς. Hesychius: Πύξ· πυγμὴ, γρόνθος· item: Πυγμή· γρόνθος —, ἤγουν τὸ συγκεκλεῖσθαι τοὺς δακτύλους. vid. Eustathius ad Il. Ψ' p. 1322. Rom. et Tzetzes ad Lycophron. 981. p. 157. b Steph.

32. Interdum enim etiam malae pugnis caesae inueniuntur. vid. Aristoph. Rann. 555. s. Theocrit. Idyl. 14, 34. s. Terent. Adelphph. 2, 1. 17.

33. Agonist. 1, 19. p. 71.

34. v. ἐπὶ κόῤῥης. Sic vero facile apparet, quam pa-

vſurpatum legitur etiam apud auctorem libri primi Eſrae [35]. Sed vt Hyperides huic verbo nomen τὴν γνάθον adiunxit, ita eidem addita repeꝛiuntur ab poſteriorum maxime temporum ſcriptoribus, tanquam ab Achille Tatio [36], et aliis [37], verba ἐπὶ κόῤῥης, et κατὰ κόῤῥης, vt ſit *palma caedere:* quam ipſam rationem ſequutus eſt Matthaeus, vſus loquendi Hebraeorum admonitu, alio loco [38], ita, vt verbo ῥαπίζειν ſubiunxerit verba ἐπὶ τὴν σιαγόνα, vt Alexandrini Iudaei loco quodam oraculorum Hoſeae [39] ῥαπίζειν ἐπὶ τὰς σιαγόνας dixere. Expreſſit enim formula illa Graeca Hebraicam הַכּוֹת עַל־הַלְּחִי, quae ipſa vſurpatur de iis, qui *os* alicuius *palmis caedunt* [40],

E 3 ſic,

parum ſubtiliter explicata legantur nomina κολαφισμὸς, et ῥαπισμὸς, in catena Euthymii Zigabeni ad Matth. 26, 67. ap. Matthaeum Lectt. Moſquenſſ. P. I. p. 46.: ἔστι δὲ κολαφισμὸς μὲν τὸ παίειν κατὰ τοῦ τραχήλου κοίλῃ ἀφῇ, πρὸς τὸ ποιεῖν ψόφον· ῥαπισμὸς δὲ τὸ παίειν κατὰ τοῦ προσώπου.

35. C. 4, 30. ἐῤῥάπιζε τὸν βασιλέα τῇ ἀριστερᾷ.

36. 2. p. 119. 5. p. 341. 6. p. 405.

37. Plutarch. Sympoſſ. 7, 8. p. 713. C To. 2. Vechel. ἐπὶ κόῤῥης ῥαπίζων. Ariſtaenet. 1. ep. 4. p. 12. Abreſch. οἷος ἦν ἐπιῤῥαπίζειν με κατὰ κόῤῥης. v. Kypquius ad Matth. 5, 39. p. 28. ſ.

38. C. 5, 39. Hunc locum laudarunt Athenagoras Apol. 1, 12. et Baſilius M. orat. de legendis libris Graecis ſ. 13. p. 308. Schroed. Et hic quidem pro verbis Matthaei ῥαπίζειν ἐπὶ τὴν δεξιὰν σιαγόνα habet verba τύπτειν κατὰ τῆς σιαγόνος· ille haec ipſa Euangeliſtae verba commutauit verbis κατὰ κόῤῥης προσπηλακίζειν.

39. C. 11, 4. Nam pro כִּמְרִימֵי עוֹל עַל־לְחֵיהֶם legiſſe videntur כִּמוֹרֵט עַל־לְחֵיהֶם, omiſſo nomine עוֹל. v. Proluſſ. de Verſſ. Grr. V. T. 5, 9. p. 155. et Scharfenbergius ad Capelli Crit. S. 4, 3. 5. p. 552.

40. 1. Regg. 22, 24. Pſ. 3, 8.: quo loco הִכִּיתָ לֶחִי dictum eſt pro הִכִּיתָ עַל־הַלְּחִי, ἐπάταξας κατὰ σιαγόνα, vt vertit Symmachus; מְחִיתָ עַל לִיסְתְּהוֹן, quae ſunt Chaldaei

ſic, vt generis verbum habeat vim verbi formae. Atque inde cauſſa quoque repeti debet, cur Lucas [41] dixerit τύπτειν ἐπὶ τὴν σιαγόνα; cur Alexandrini Iudaei [42], et Symmachus [43], formulis πατάξαι ἐπὶ τὴν σιαγόνα, et πατάξαι κατὰ σιαγόνα, vſi ſint eo ſenſu, quo formula *os verberare* apud Tacitum [44] legitur, hoc eſt, ita, vt declararet *os palma percutere* [45]. Sed vt verba generis his in formulis poteſtate verbi formae gaudent: ita verbum ῥαπίζειν viciſſim reperitur non raro ita poſitum in libris recentiorum ſcriptorum, vt ſit omnino *caedere*, *percutere*, *verberare*, adeo, vt vocabulum rei, qua quis alterum percuſſerit, aut additum ſit, aut certe e vicinia verborum reperiri debeat. Quare in gloſſematis eius, et interpretamentis, habetur etiam verbum τύπτειν in Heſychii Gloſſario. Etenim apud Antoninum Liberalem [46] Mercurius Battum legitur ῥαπίσαι τῇ ῥάβδῳ, et in fabellis Aeſopiis [47] aquila ſcarabaeum ῥαπίσαι τῇ πτέρυγι· vt apud Michan [48], vatem, extat formula בַּשֵּׁבֶט הַכּוֹת עַל־הַלְּחִי, quum tamen verbum הַכּוֹת, verbis עַל־הַלְּחִי ſimpliciter iunctum, ſit, vt ſupra diximus, *palma caedere*: et quum idem Heſychius verbum κολαφίζεσθαι interpretatus ſit verbo ῥαπίζεσθαι [49]· non dubi-

daei Paraphraſtae verba: a quo nec Syrus interpres diſſentit, vertit enim ܡܚܝܢ ܠ ܥܠ ܦܟܘܗܝ.

41. C. 6, 29.
42. I. Regg. 22, 24.
43. Pſ. 3, 8.
44. Ann. 4, 3.
45. Vid. Plin. 3. ep. 14, 7.
46. Metamorphph. 23. p. 158. Verheyqu.
47. fab. 2.
48. C. 4, 14.
49. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Κολαφιζόμενος· ῥαπιζόμενος. Omnium diligentiſſime explicauit vim verbi κολαφίζειν Theophylactus ad Matth. 26, 67. p. 121.

dubitandum videtur, quin intellegi debeat κολάφῳ, ſiue κονδύλῳ, ne forte erraſſe grammaticus, et verba inter ſe diuerſa confudiſſe, putetur: quem tamen me non fugit nec nomen κόλαφος diligenter ſatis a nomine κόνδυλος diſtinxiſſe [50]. Denique quum verba rerum ſaepenumero pro verbis orationis ponantur: mirandum ſane non eſt, verbum ἐπιῤῥαπίζειν, et nomen ἐπιῤῥάπισις, de iis, qui *obiurgant* alios, poſita inueniri [51]. Ex hactenus igitur diſputatis ſperamus omnibus apertum eſſe id, quod ſupra oſtendimus, vocabulo ῥάπισμα ſignificari *alapam*, vel *ſalapittam*: quo vtroque verbo in antiquis Gloſſariis explicatum legitur: et quum formulae ῥαπίσμασι βάλλειν, et ῥαπίσματα διδόναι, quarum haec apud Iohannem [52], illa in Marci commentariis [53], extat, idem declarent, quod verbum ῥαπίζειν· quis dubitet, quin ipſae quoque reddi Latine debeant *os palmis caedere*, vno verbo *alapare*, *depalmare*? Quam quidem vocabuli ῥάπισμα interpretationem mirifice adiuuat, vt ante ſignificauimus, Latini interpretis veteris auctoritas. Hic enim, non modo formulas ῥαπίσμασι βάλλειν, et ῥαπίσματα διδόναι, formulis *alapis caedere*, et *alapas dare*, expreſſit, ſed etiam verbum ῥαπίζειν vertit *palmas in faciem dare* [54]: quam eius auctoritatem,

121. Rom., Κολαφίζειν δὲ, inquiens, ἐστι τὸ διὰ τῶν χειρῶν πλήττειν, συγκαμπτομένων τῶν δακτύλων· καὶ ἵνα ἀφελέστερον εἴπω, διὰ τοῦ γρόνθου κονδυλίζειν. v. ſupra not. 24. et 31.

50. Heſychius: Κόνδυλος· ἕτερόν τι τοῦ κολάφου.

51. Vid. Athenaeus 10, 5. p. 422. D et 13, 8. p. 604. C: vbi v. Caſaubonus p. 716. et p. 883.

52. C. 18, 22. 19, 3.

53. C. 14, 65.

54. Matth. 26, 67.

tem, praeter doctores ecclesiae antiquae alios multos [55], sequutus Lactantius, et verbum ῥαπίζειν, et vtramque illam formulam, interpretatus est [56] *palmis caedere.* Atque haec eorum interpretatio quam vera sit, atque idonea, satis declarat vsus loquendi Iudaeorum Alexandrinorum, qui verba Esaiae [57] נָתַתִּי לְחָיַי לְמֹרְטִים verterunt ἔδωκα τὰς σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα, hoc est, *sinam os meum palmis caedi*, vel, vt apud Lactantium [58] reddita leguntur, *posui maxillas meas ad palmas.* Sane verba τὰς σιαγόνας μου plane docent, ῥαπίσματα de *alapis* accipienda esse, vt verba χερσὶν ἀνάγνοις in versiculo oraculorum Sibyllinorum, quem idem Lactantius [59] laudat, hoc, Δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις. Accedit, quod, non modo apud Suidan nomen κόσσος vocabulo ῥάπισμα explicatur, sed etiam apud Phauorinum legitur, Κόσσος· Ῥωμαϊστὶ, μαξίλλα· Γραικιστὶ δὲ ῥάπισμα· quae ipsa glossa cum iisdem glossematis inuenitur in Lexico Cyrilli nondum edito [60]: quo ex fonte sua Phauorinus hausisse videtur. Κόσσος enim, et μαξίλλα, in libris recentiorum Graecorum *alapam* significant [61]. Caeterum quum nomen ῥάπισμα non minus, quam verbum ῥαπίζειν, apud nullum scriptorem Graecum, qui interpretes Veteris Testa-

55. Vid. Suicerus Thes. ecclef. in v. ῥαπίζω.

56. Institutt. diuinn. 4, 18. 8.

57. C. 50, 6.: qui locus ab Iustino Martyre Apol. 1, 48. p. 75. Grab. ita laudatur, τὸν νῶτόν μου τέθεικα εἰς μάστιγας, καὶ τὰς σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα.

58. 4, 18. 13.

59. 4, 18. 15.

60. Vid. Cangius Glossar. in v. Μαξίλλα. Particulam aliquam huius Lexici edidit e cod. Mosqu. Christi. Frider. Matthaeius Anecdd. Graecc. Vol. 1. p. 11. — 50.

61. Vid. Cangius Glossar. in v. Κόσσος, et Μαξίλλα.

Teſtamenti Alexandrinos aetate antecedat, de *alapis* ſimpliciter poſita occurrant: neminem facile fore ſperamus, qui non libenter aſſentiatur Salmaſio, qui haec verba Alexandrinis, vel omnino Macedonicis, vocabulis annumeranda cenſuit [62]. Sed quod ambiguitatis vitium in explicanda vocabuli ῥάπισμα poteſtate notauimus, idem deprehendent conſultores Lexicorum Novi Teſtamenti diligentes in multorum aliorum verborum interpretatione. Ἀργύρια enim in Matthaei commentariis [63] Suartius, aliique, tradunt eſſe *numos argenteos*. At quis eſt tandem, qui poſſit inde vel coniectura conſequi, quodnam genus numorum intellegi debeat, et quales adeo numos acceperit Iudas a principibus ſacerdotum Iudaeorum? Tolli certe omnem ambiguitatem, et dubitationem, ita oportebat, vt doceretur, ἀργύρια apud Matthaeum valere *tetradrachma* Attica, vel *didrachma* Alexandrina, qui numi ab auctore vulgatae verſionis [64], et *ſicli argenti*, et ſimpliciter *ſicli*, etiam *argentei*, praeeuntibus Alexandrinis Iudaeis, dicerentur, ab ipſo Matthaeo [65], interpretibuſque Veteris Teſtamenti caeteris [66], στατῆρες. Nam, non ſolum in codice Cantabrigienſi Bezae pro ἀργύρια legitur στατῆρας [67], quam lectionem ex interpretamento extitiſſe Millius veriſſime iudicauit, ſed certiſſimum etiam eſt, Matthaeum vocabulo ἀργύρια reddidiſſe nomen Hebraeorum כֶּסֶף. Hoc vero

62. ad Achil. Tat. p. 656. ſ.

63. C. 26, 15. 27, 3. 5. 6. 9.

64. Gen. 23, 16. 2. Sam. 18, 11. 24, 24. Numerr. 3, 47. Gen. 20, 16. Sachar. 11, 12. ſ.

65. C. 17, 27. coll. v. 24.

66. Aqu. et Sym. Ex. 38, 24. Numerr. 3, 47. Ioſu. 7, 21. v. Proluſ. 24, 5.

67. C. 26, 15.: vbi cod. Baſil. 6. Reuchlinii habet στατῆρας ἀργυρίου.

nomen ab Hebraeis ſolet vocabulis numeralibus, intellecto nomine שֶׁקֶל, aut שְׁקָלִים [68], ita iungi, vt *ſiclos*, hoc eſt, numos drachmas Atticas quatuor [69], Alexandrinas duas [70], valentes ſignificet [71]. Quare Syrus interpres verba Matthaei τριάκοντα ἀργύρια ſcienter vertit ܬܠܬܝܢ ܕܟܣܦܐ, neque minus eleganter Alexandrini Iudaei nomen כֶּסֶף interpretati ſunt in Geneſi [72] vocabulo δίδραχμα, quo aliis in locis [73] explicaſſe reperiuntur nomen שֶׁקֶל. Aeque vero incertos omnes, dubioſque, redituros eſſe ſcimus, ſi conſuluerint Lexica Noui Teſtamenti, quam vim habeat vocabulum σινδὼν in libris diuinis. Reſpondent enim, ſignificari eo *indumentum, veſtem, e ſindone confectam.* Iam eat nobis aliquis, et dicat, qualis veſtis illa fuerit. Reſpondendum ſane, o boni, non ita obſcure, et ambigue, ad modum Apollinis, conſulentibus erat, vt veſtra reſponſa egerent aliorum interpretum opera, atque ſolertia. Quod ſi dixiſſetis, σινδόνα in commentariis Euangeliſtarum eſſe *amiculum, pallium, e ſindone*, hoc eſt, lino, fere xylino, ſubtiliter texto,

68. Vid. Zach. 11, 12. 13. Gen. 20, 16. coll. c. 23, 16. Ioſu. 7, 21. vid. Proluſ. 24. 5.

69. Ioſeph Archaeol. 3, 8. 2. p. 159. To. 1. Hauerc. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν Ἀττικὰς δέχεται δραχμοὺς τέσσαρας. Neque vero repugnat Xenophon, qui [anab. 1. 5. 6. p. 202. Leucl.], ὁ δὲ σίγλος, inquit, δύναται ἑπτὰ ὀβολὰς, καὶ ἡμιοβόλιον Ἀττικὰς. Loquitur enim ibi de numo huius nominis Perſico. vid. Heſychius in v. σίγλος. Proluſ. 24, 5. et Proluſſ. in V. et N. T. 6, 3. p. 158. n. *v*, itemque Relandus diſſertatt. miſcell. 8, 134. p. 237. To. 2.

70. Vid. Petauius ad Epiphan. de menſuris et pondd. p. 428. To. 2. et Proluſſ. in V. et N. T. 6, 3. p. 158. n. *v*.

71. Iudd. 17, 10. 2. Sam. 18, 11. ſ.

72. C. 20, 16.

73. Gen. 23, 15. 16. Ioſu. 7, 21.

texto, *confectum;* profecto non esset, quod quis responsa vestra obscuritatis et ambiguitatis, vt Cicero Apollinis Pythii oracula, accusaret. Etenim quanquam Graeci grammatici, quos in patefacienda, tradendaque, verborum orientalium origine, ob linguarum inscitiam, fere grauiter errasse, et peccasse, constat [74], *σινδόνα* dictam esse praecipiunt ab Sidoniis, artis huiusmodi vestes texendi inuentoribus [75]: tamen recte dubitari

74. Huius generis vocabula sunt ista: *Ζιζάνιον*· v. Etymol. M., et ex eo Phauorinus, h. v.: *Θωμᾶς*· v. Etymol. M. v. *Θαυμᾶς*· *Ἰησοῦς*· v. Etymol. M., et ex eo Phavorinus, h. v.: *Ἰσραήλ*· v. Etymol. M., et ex eo Phauorinus, h. v.: *Κήδαρ*· v. Etymol. M., et ex eo Phauorinus, h. v., et Drusius Obseruatt. 6, 20.: *Παράδεισος*· v. Etymol. M. h. v., et Relandus dissertatt. miscell. 8, 107. p. 211. To. 2.: *Τύραννος*· v. Etymol. M. h. v. et schol. Sophoclis in argum. Oedipi tyranni, cuius verba suum in Lexicon transtulit Suidas v. *τύραννος*, vt Neocorus iam animaduertit. Atque eiusdem notae est notatio nominis *ὀθόνη* in Lexico Cyrilli apud Albert. ad Hesych. p. 720. To. 2., *Ὄθω*· *τὸ λεπτύνω*· *ἐξ οὗ καὶ ὀθόνη, τὸ λεπτότατον ἱμάτιον.* Nam Eustathius ad Odyss. *τ'* p. 1854. 35. Rom., *Ὅλως δὲ εἰπεῖν*, inquit, *γέμει διὰ τὰς ἐπιμίξιας μυρίων ἐθνικῶν λέξεων ἡ Ἑλλὰς γλῶσσα.* Stephanus Byzantius v. *Τάναϊς*· *Ἑλληνίσθαι δὲ τὰ πολλὰ τῶν βαρβαρικῶν ὀνομάτων, ὡς Νικάνωρ φησί.* add. Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. p. 350.

75. Etymol. M. *Σιδὼν*, [*Σινδὼν*], *ἀπὸ Σιδῶνος τῆς πόλεως*· *οἱ γὰρ Σιδόνες ἐφεῦρον πρῶτον κάμνειν σιδόνας* [*σινδόνας*]. *Σιδονία κάλυπτρα* est apud Aeschylum Supplicc. 128. 139. Pollux 7, 172. *Σινδὼν ἐστιν Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ' ἂν εἴη, τὸ νῦν δίκροσσον καλούμενον.* Quare fuere viri docti multi, qui originem vocabuli *σινδὼν* in lingua Aegyptia quaererent. vid. Braunius de vest. sacerdd. Hebraeorum 1, 7. 103. p. 113. s. Amstel.: Munthius ad Matth. 27, 59.: Forsterus de bysso antiquorum s. 18. p. 85. ss.: quo

tari non posse putamus, quin σινδὼν sit Hebraeorum vocabulum סָדִין, quo, quum significatio verbi סָדַן interierit, indicatum esse suspicamur *omnis generis linum, maximeque xylinum, subtiliter textum* [76]. Quod quum Graeci viderent exprimi sua in lingua vno verbo non posse: retinuerunt Hebraicum vocabulum, forma eius ad ingenium, naturamque, oris sui effecta, et inserta litera ν, ita, vt existeret σινδών· e quo natum est apud Syros nomen ܣܕܘܢ, quo interpres Noui Testamenti vsus inuenitur. Sed verbo Hebraico סָדִין, atque adeo Graeco σινδὼν, significari arbitramur *textum omnis generis*, et quia forma est Participii passiua, et quia legitur in libris, et Graecorum, et Hebraeorum, etiam in versionibus librorum diuinorum orientalibus, non solum de *pallio* [77], et *tunica* [78], sed etiam de *velo capitis* [79], et *sudario* [80], et *linteo* [81], aliisque textorum generibus. Declarari autem eodem vocabulo *textum lineum, maximeque xylinum*, cum ex eo intellegitur, quod a Polluce [82] ponitur in numero vestium linearum,

quo loco varia sindonum genera, post Braunium d. l. 1, 7., diligenter persequutus est. Conf. Ioh. Iac. Chifletius de linteis sepulcralibus Christi c. 5.

76. Schol. min. ad Il. ἑ, 194. πέπλοι δὲ λεπτὰ ὑφάσματα, ἢ σινδόνες.

77. Laërt. 6, 90.

78. Prou. 31, 24.: vbi in Paraphrasi Chald. est פַּתְגָא. Intellegi enim puto *tunicam* muliebrem, *stolam*, quia coniungitur cum *cingulo*, חֲגוֹר. Gloss. vett. Σινδὼν *Tunica lintea*.

79. Esai. 3, 22.: vbi Paraphrastes Chaldaeus habet קַרְטַסְיָא: et Iarchius, של פשתן הם, inquit, המתעטפין בהם. Interpres autem Arabicus Erpenii eo vsus est pro Graeco nomine ἐξȣσία 1. Cor. 11, 10.

80. Luc. 19, 20. in versione Syriaca pro Gr. σȣδάριον.

81. Ioh. 13, 4 f. in versione Syriaca pro Gr. λέντιον.

82. Onom. 7, 72.

rum, et Crates Cynicus legitur [83] ab Aſtynomis Athenienſium notatus eſſe, quod amictus inceſſerit σινδόνι, quum pallia reliquorum ciuium eſſent lanea; tum inde perſpicitur, quia Lucas, et Iohannes [84], σινδόνα, qua corpus Chriſti exanime ab Ioſepho inuolutum eſſe Matthaeus, Marcus, et ipſe Lucas [85], tradunt, nomine ὀθόνια comprehendunt, vt Heſychius nomen ὀθόνη interpretatur vocabulo σινδών [86]. Ὀθόνια autem proprie dicuntur *lintea* [87], maximeque xylina. Accedit, quod Alexandrini Iudaei loco quodam Prouerbiorum Salomonis regis [88] pro סָדִין nomen

83. Vid. Laërt. 6, 90. Sic Artapanus in hiſt. Iud. apud Euſeb. P. E. 9, 27. p 434. Colon. tradit, Chenephren, Aegypti regem, elephantiaſi correptum eſſe, διὰ τὸ τοὺς Ἰουδαίους προστάξαι σινδόνας ἀμφιέννυσθαι, ἐρεᾶν δ' ἐσθῆτα μὴ ἀμπέχεσθαι, ὅπως ὄντες ἐπίσημοι κολάζωνται ὑπ' αὐτοῦ. Strabo 15. p. 1036. A de Indis, σινδόνας τε φοροῦσιν εὐανθεῖς· ſed Nearchus apud Arrianum Indicc. p. 539. Blanc., ἐσθῆτι Ἰνδοὶ λινέῃ, inquit, χρέονται, λίνου τοῦ ἀπὸ τῶν δενδρέων. Herodo. 7, 65. Ἰνδοὶ δὲ εἵματα μὲν ἐνδεδυκότες ἀπὸ ξύλων πεποιημένα. Idem 3, 106. τὰ δὲ δένδρα τὰ ἄγρια αὐτόθι [in India] φέρει καρπὸν, εἴρια καλλονῇ τε προφέροντα, καὶ ἀρετῇ, τῶν ἀπὸ τῶν οἴων· καὶ ἐσθῆτι οἱ Ἰνδοὶ ἀπὸ τούτων τῶν δενδρέων χρέωνται.

84. Luc. 24, 12. Ioh. 19, 40. 20, 5. 6. 7.

85. Matth. 27, 59. Marc. 15, 46. Luc. 23, 53.

86. Philoſtratus V. Apollon. Tyan. 8, 5. p. 334. Olear. τί βελτίων ἡ ὀθόνη τοῦ ἐρίου;

87. Heſychius: Ὀθόνια· λινᾶ ἱμάτια· quae gloſſa ſumta videtur ex Hoſ. 2, 5. 9. Hoſeas ipſe vſus eſt nomine פִּשְׁתָּה: de cuius nominis origine Aegyptia v. Forſterus de byſſo antiquorum ſ. 14. p. 63. ſ. Nomen ὀθόνιον ipſum eſt Hebr. אֵטוּן Prou. 7, 16. De variis generibus ὀθονίων accurate diſputauit idem Forſterus ſ. 17. p. 74. ſſ.

88. C. 31, 24.

men *βύσσος* [89] posuere. Atque haec ipsa verba, *ὀθόνια* et *βύσσος*, docent, *σινδόνα* esse *textum lineum*, xylinum, *subtile*. Nam tenuia lintea subtilitate filorum censentur, et Hesychius omnia tenuia texta dici ostendit [90] *ὀθόνας*. *Σινδόνα* autem, qua amictus fuisse legitur adulescens ille, qui Christum ab hostibus comprehensum sequi instituerat [91], fuisse pallium, cum hoc arguit, quod subuculae iniecta erat, tum vel maxime verbum *περιβεβλημένος ἦν*. Nam verbum *περιβάλλεσθαι*, vt fere [92] *ἀμφιέννυσθαι*, et *amiciri* apud Latinos, semper ponitur de veste exteriore, hoc est, de *toga* Romanorum, et Graecorum

89. Huius nominis [בּוּץ] originem quaerendam esse in lingua Aegyptia, Hebraeosque illud vsurpare coepisse post aetatem Salomonis regis, quum antea nomine שֵׁשׁ vsi fuissent, et significari eo genus lini, quod in India, et Arabia, et Aegypto, cum ex arboribus, tum e plantis, collectum fuerit, docere conatus est Ioh. Reinoldus Forsterus libello peculiari, qui Londini editus est A. C. 1776. octonis. Certe *λίνον*, et *βύσσος*, distinguuntur inter se apud Pausan. 10, 32. p. 880. Kuhn.: qui idem 5, 5. p. 384. et 6, 26. p. 519. tradit, byssum natam esse in nulla alia Graeciae regione, quam in Elide. add. Pollux 7, 75. et Philostrat. V. Apollon. Tyan. 2, 20. p. 71. et ibi Olearius, itemque Salmasius exercitatt. in Solin. p. 701. s.

90. Hesychius: Ὀθόνη· — *γυναικεῖον ὀθόνιον λεπτὸν, καὶ πᾶν τὸ ἰσχυὸν, κἂν μὴ λινοῦν ᾖ*. add. Suidas v. *ὀθόναις*, et *ὀθόνη*. vid. Salmasius ad Achil. Tat. p. 747. et exercitatt. in Solin. p. 824. a, atque Olearius ad Philostrat. V. Apollon. Tyan. 1, 7. p. 8. Diod. Sic 5. p. 294. To. 1. Rhodom. *τεχνίτας τε γὰρ ἔχει* [*Melite insula*] *παντοδαποὺς ταῖς ἐργασίαις, κρατίστους δὲ τοὺς ὀθόνια ποιοῦντας τῇ τε λεπτότητι, καὶ τῇ μαλακότητι, διαπρεπῆ*.

91. Marc. 14, 51. s.

92. Apud Xenoph. Cyrop. 1, 3. 14. *ἀμφιέσαι* legitur de eo, qui induit alteri tunicam, vt idem sit, quod *ἐνδῦσαι*.

rum *pallio*. Quare etiam Ferrarius [93] e verbis Diogenis Laërtii de Cratete his, ὑπὸ τῶν Ἀθήνησιν ἀςυνόμων ἐπιτιμηθεὶς, ὅτι σινδόνα ἠμφίεσο, ἔφη, καὶ Θεόφρασον ὑμῖν δείξω σινδόνα περιβεβλημένον, rectiſſime collegit, veſtes illas Cratetis, ac Theophraſti, fuiſſe *pallia*. Et σινδόνα, qua Ioſephus inuoluit Chriſti mortui corpus, fuiſſe *linteum* tenue *maius*, quod ab Homero [94] ἑανὸς λῖς appellatur, mos Graecorum docet, qui cadauera linteis tenuibus inuoluebant, ita, vt etiam faſciis eiuſdem generis vincirentur, quas Iohannes κειρίας vocat [95]. Neque vero πορφύρα, quod vocabulum in Marci commentariis [96] legitur, reddi a Lexicographis debebat *veſtis purpurea*, ſed *pallium coccineum*, *chlamys coccinea*. Iohannes [97] enim veſtem, qua milites Romani Chriſtum capitis damnatum illudentes ornaſſe perhibentur, nominat ἱμάτιον πορφυροῦν, Matthaeus [98] χλαμύδα κοκκίνην. Ἱμάτιον autem etiam in libris Noui Teſtamenti ſignificat *pallium*, et χλαμύδα ii, qui de re veſtiaria veterum ſcripſerunt, ſatis docuere fuiſſe ipſum quoque *pallii* genus, quo apud Graecos viri principales amicti inceſſerint. *Purpuram*

δῦσαι. Sic ἀμφιέσαϑαι χιτῶνας de iis, qui ſe induunt tunicis, extat Odyſ. ψ', 132.

93. R. V. 2, 4. 20. p. 201. Locus Laërtii eſt 6, 90.: quem tamen Salmaſius ad Tertul. de Pallio p. 411. ſ. interpretatus eſt de *ſubucula*, repugnantibus verbis ἠμφίεσο, et περιβεβλημένον, vti oſtendimus. add. Caſaubonus exercitatt. Antibaronn. 16, 65.

94. Il. σ', 352.

95. C. 11, 44. Vid. Chifletius de faſciis ſepulcralibus Chriſti c 28. ſ.: Salmaſius ad ſcriptt. hiſt. Aug. p. 347. ſ. Pariſ.: Cuperus Obſeruatt. 2, 9. et Deylingius Obſeruatt. 3, 37. 9. Apud Herodo. 2, 86. vocantur σινδόνος βυσσίνης τελαμῶνες. add. 7, 181.

96. C. 15, 17. 20.

97. C. 19, 2. 5.

98. C. 27, 28. 31.

puram vero, אַרְגָּמָן, ab omnibus fere vtriusque linguae scriptoribus saepenumero confusam esse cum *cocco*, תּוֹלָע, quod purpura maxime Tyria accessisset quam proxime ad ruborem, nitoremque, cocci [99], Salmasius [100], aliique plures, et diuinorum, et humanorum, librorum interpretes, loco non vno commonuerunt. Sed ab veste exteriore, age, veniamus ad interiorem, hoc est, *tunicam*. Ἐπενδύτης enim, quo verbo Iohannes [101] semel vsus est, a plerisque ita explicatur, vt eo significari aiant *amiculum*, vel, vt inscitiam occultent verbo barbaro, Graecique formam referente, *superindumentum*. Ergone *toga* fuit, aut *pallium*? Hae quidem certe vestes Latine dici possunt, et vero etiam dicuntur [102], *amicula*. Huic vero rationi repugnare reperitur vsus loquendi Graecorum, qui togam, et pallium, nunquam ἐπενδύτην dixere. Alii ἐπενδύτην docent esse *indusium*: paulo illi quidem melius, sed non omnino tamen recte, vt a nobis paulo post demonstrabitur. Hieronymus accepit de *tunica superiore*, et post eum Theodoretus [103]: neque aliter intellexere vulgatae versionis auctor, et interpres Syrus. Hic enim vertit ܟܘܬܝܢܐ, quod est ipsum Graecum vocabulum χιτών: ille *tunica*. Quam

99. De natura et ingenio cocci v. Pausan. 10, 36. p. 890. Kuhn.

100. ad Achil. Tat. p. 567.: Bochartus Hieroz. 2, 5. 10. p. 733. To. 2.: Gataquerus Aduerss. posthumm. 40. p. 840. s. Sic quam *vestem* Horatius 2. sat. 6, 102. s. *rubro cocco tinctam* vocauit, eam v. 106. appellat *purpuream*.

101. C. 21, 7.

102. Vid. Cic. N. DD. 3, 34.: de diu. 2, 69.: Iustin. 15, 3. 8.: Corn. Nepos Cimon. 4, 2.

103. Hieron. epist. 130. et Theodoret. in Exod. quaest. 66.: quos eorum locos iam Grotius laudauit ad Ioh. 21, 7.

Quam quidem verbi ἐπενδύτης interpretationem, cui omnes veritatis notas inesse videmus, sequi cum Camerario, neque deserere, debebant Lexicorum Noui Testamenti auctores, ita, vt non parum miremur, multos summos viros, et librorum diuinorum interpretes, vt Erasmum, Bezam, Ludouicum Deum, etiam Suicerum in Thesauro ecclesiastico, e quo Ioh. Lamius [104] omnia excerpsit ad verbum, haesisse in explicando isto vocabulo: sed multo etiam vehementius miramur, Ioh. Boisium, vindicem doctrinae Latini interpretis veteris acerrimum, et summum admiratorem, Nonni Paraphrastae [105], et Theophylacti [106], auctoritate se ita decipi passum esse, vt ἐπενδύτην fuisse crederet *velamentum earum partium corporis, quae conspici honeste non possunt.* Graeci enim, Romanique, et, exemplo eorum, Iudaei, illius aetatis [107] gerere solebant, fere duas tunicas: quarum vna, quae cutem tangeret, a Latinis *interula* dicitur, et *subucula*, etiam *indusium* [108]; ab Graecis, et quidem ab Atticis χιτωνίσκος [109], a reliquis ὑποδύτης.

104. de erudit. Apostolorum p. 86. edit. pr.

105. Ioh. 21. v. 40. ff.

106. ad Ioh. 21, 7. p. 576. Romm.

107. Nam viri Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: postea substrictas et breues tunicas, citra humerum desinentes, habebant. v. Gellius 7, 12.: Manutius Quaesitt. per epist. 2, 2. p. 39. ff. Venet. et Casaubonus exercitatt. Antibaronn. 16, 84. Augustus autem hyeme quaternis tunicis, et subuculae thorace laneo, munitus est. v. Sueton. V. Aug. 82.

108. Massurius Sabinus apud Gellium 10, 15. eam vocat *tunicam intimam*.

109. Vid. Xen. Memorr. 2, 7. 5. Theophrast. Charr. 25. Gloss. vett. Χιτωνίσκος *Indusium, interula.* Etiam mulieres indutae tum erant duabus tunicis, quae apud Athe-

 naeum

της [110] ab Iudaeis חָלוּק: alteram, togae, et pallio, propiorem, atque adeo inter ſubuculam, et exteriores veſtes, mediam, Attici χιτῶνα, caeteri Graeci ἐπενδύτην, nominant [111]: quod vocabulum, cuius de elegantia Pollux [112] iam, aliique grammatici veteres, dubitaſſe reperiuntur, Hebraei ſuam in linguam receperunt. Scriptores enim Talmudici hanc tunicam אַפּוּנְדָּה dicunt, quae Latine *ſuperaria*, ſaepiſſime *tunica* abſolute [113], vocatur: qua qui careret, is ab Atticis quidem ἀχίτων dicebatur, vt Socrates ab Antiphonte apud Xenophontem [114], ſed ab Iohanne [115] appellatur γυμνός. Iam vero ea, quae de poteſtate

naeum 13, 6. p. 590. E χιτωνίσκοι vocantur: ſed exterior earum, quam Latini *ſtolam*, etiam *inſtitam*, dicunt; Gellius 6, 10. *tunicam longam muliebrem*; ab Anacreonte Odar. 20, 7., et Aeliano V. H. 12, 1., χιτὼν, ſed a Demoſthene p. 182. To. 2. Tayl. χιτωνίσκος, nominatur; et ab Ariſtophane Plut. 985. χιτώνιον· interiorem Athenaeus d. l. appellat ἐγχέσαρκον χιτώνιον, et Ariſtaenetus 1. ep. 7. ἔσχατον χιτωνίσκον. Sic vero facile iudicari poteſt, quatenus probanda ſint praecepta Euſtathii ad Il. σ' p. 1166. 50. et Ammonii v. χιτώνιον, de vſu, et diſcrimine, horum vocabulorum.

110. Euſtathius ad Odyſſ. γ' p. 1462. 3. εἶεν δ' ἂν ὑποδύται οἱ τοῖς ἐπενδύταις ὑποκείμενοι.

111. Vid. Salmaſius ad Simplicii commentar. in Epicteti Enchir. p. 229. ſ.

112. 7, 45. ἐπεὶ καὶ ὁ ἐπενδύτης ἐςὶν ἐν τῇ τῶν πολλῶν χρήσει· ὅςις βȣ́λοιτο καὶ τȣ́τῳ τῷ ὀνόματι βοηθεῖν φαύλῳ ὄντι, ληπτέον αὐτὸ ἐκ τῶν Σοφοκλέȣς Πλυντριῶν. De hoc loco Sophoclis, itemque de locis Theſpidis, et Nicocharis, qui a Polluce laudantur, vid. Gataquerus Aduerſſ. poſthumm. c. 9. p. 496.

113. Vid. Cic. Tuſc. 5, 20. Horat. 1. ep. 1, 95. ſ.

114. Memorr. 1, 6. 2. add. Laërt. 6, 31. et Plutarchus Apophthegmm. p. 210. B To. 2. Vechel.

115. C. 21, 7. Sed apud Ariſtoph. Nubb. 498. γυμνοὶ ſunt *qui carent palliis*. coll. v. 497.

ſtate vocabulorum vtriuſque tunicae Graecorum, in primiſque de nomine ἐπενδύτης, tradidimus, auctoritate grammaticorum veterum, age, confirmemus. Nam locos ipſorum ſcriptorum ſponte poterit quiſque inter legendum attentus obſervare [116]. Et in Gloſſariis quidem Graecolatinis haec leguntur, Ἐπενδύτης *Inſtata*, *ſuperaria*: *Subuicula* ὑποδύτης, ὁ χιτών. Sed vt pro *inſtata*, et *ſubuicula*, reſcribi oportet *inſtita*, et *ſubucula*: ita ὁ χιτὼν omnino de *tunica* accipi debet *. Apud Suidan enim habentur interpretamenta vtriuſque vocabuli haec, Ὑποδύτην· τὸ ἐσώτερον ἱμάτιον [117]· ἐπενδύτην δὲ, τὸ ἐπάνω [118]· et, Ἐπενδύτης· τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον, ὃ καὶ ὑποκάμισον λέγεται. Sed his in verbis, quae Phauorinus quoque tranſtulit ſuum in Lexicon, et quae iam Fullero [119] vitioſe ſcripta viſa ſunt, Vetſtenius [120] ὑποδύτης, Pierſonius [121] ὑπενδύτης, reponi pro ἐπενδύτης iubebant.

116. In verſ. τῶν ὁ ἐπενδύτης legitur 1. Sam. 18, 4. 2. Sam. 13, 18., vt ap. Theodotionem 1. Sam. 2, 19. Iob. 1, 20., pro Hebr. מְעִיל, quem οἱ ὁ Eſai. 61, 10. χιτῶνα, Vulg. 1. Sam. 2, 19. *tunicam*, vocant. Conf. Braunius de veſtitu ſacerdd. Hebrr. ſ. 412. edit. ſec.

* Gloſſ. vett. Ὑποχίτων *Subcula*. leg. *Subucula*.

117. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Ὑποδύτης· τὸ ἐσώτερον ἱμάτιον.

118. Strabo 15. p. 1067. C Almelou. χιτὼν δὲ χειριδωτὸς διπλοῦς ἕως γόνατος· ὁ ὑπενδύτης, μὲν λευκὸς, ἄνθινος δὲ ὁ ἐπάνω.

119. Miſcell. theologg. 2, 11. p. 264. ſ.

120. *In notis ad Ioh. d. l.*

121. In notis ad Moeridem Atticiſtam p. 417. Sic apud Strabonem 16. p. 1082. A, ἐσθὴς δ᾽ αὐτοῖς ἐστι χιτὼν λινοῦς ποδήρης, καὶ ἐπενδύτης ἐρεοῦς, ἱμάτιον λευκὸν, pro ἐπενδύτης haud dubie reſcribi oportet ὑπενδύτης. vid. not. 118. Sed ap. Demophilum ſimil. 31. pro ὑπενδύεσθαι δεῖ τῷ μὲν θώρακι χιτῶνα in libris Antonii Meliſſae c. 240. p. 790. Vechel. perperam legitur, ἐπενδύεσθαι δεῖ κ. τ. λ.

bant. Nobis tamen ἐπενδύτης retinendum, sed ἐσώτατον in ἐσώτερον mutandum, videbatur. Nam primum ex iis, quae Cangius congessit de vsu vocabuli ὑποκάμισον, intellegitur, eo a nonnullis etiam *superariam* appellatam esse [122]: deinde dubitari nullo modo potest, quin *superaria*, habita ratione *pallii*, recte dicatur ἐσώτερον ἱμάτιον, hoc est, *interior vestis*: denique in Lexico Cyrilli nondum edito apud Cangium *, e quo Suidas sua haud dubie petiit, diserte scriptum ἐσώτερον, non ἐσώτατον, legitur. Sed tum etiam ἐπικάμισον pro ὑποκάμισον vbique reponendum esse censemus. Etsi enim haec tunica ὑποκάμισον dicitur etiam alibi in libris Suidae [123], vt in codice Traiectino Etymologici magni ὑποκάμυσον [124]. tamen non solum ab Eustathio [125], et Tzetza [126], ἐπικάμισον appellatur, sed nec ipsa vocabuli origo aliam eius admittit scripturam. Nam quum nomina κάμισον, et καμίσιον, ex Arabica lingua petita sint [127], ita, vt *tunicam* significent: facile apparet, *superariam* ἐπικάμισον, *subuculam* ὑποκάμισον, ab recentioribus Graecis ita vocatas esse, vt ab Graecis veteribus hanc ὑπενδύτην, illam ἐπενδύτην, dictas esse nouimus. De elegantia autem nominis ἐπενδύτης, reliquorumque vocabulorum vtriusque tunicae, eorumque vsu in lingua Atticorum,

122. In v. ἐπενδύτης, et ὑποκάμισον. add. Nansius ad Nonni Paraphr. Ioh. d. l. p. 232.

* In v. ὑποκάμισον.

123. Vid. Suidas v. χιτὼν, et χλαῖνα.

124. Vid. Car. Segarii ep. critica ad Valquenarium p. 18.

125. ad Il. χ' p. 1282. 38. ad Odyss. α' p. 1428. 49. Rom.

126. ad Hesiod. Ἔργ. p. 126. b Heins.

127. Vid. Fulleri miscell. theologg. 2, 11. p. 265. Atque inde extitit vocabulum linguae patriae *Kamisol.*

corum, et aliorum Graecorum, Moeris Atticista ita praecipit, Χιτωνίσκος, χιτὼν, Ἀττικά· ὑποδύτης, καὶ ἐπενδύτης, Ἑλληνικά. Sic enim Salmasius [128], et Cangius [129], e suis codicibus ediderunt, non Ἀττικῶς, et Ἑλληνικῶς, vt legitur in exemplo Hudsoniano, et Piersoniano. Atque ex iis, quae hactenus disputata sunt de vi et potestate vocabuli ἐπενδύτης, facile intellegi poterit ab omnibus, Simonem Petrum, de quo loquitur Iohannes loco supra laudato, ornatum fuisse sola *subucula;* huc enim spectant verba Euangelistae ἦν γὰρ γυμνός [130]· sed, cognito Christi aduentu, tum vero *superulam* induisse, et cinxisse, hoc est, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Nam vel ex hoc verbo poterant cognoscere, et vero debebant, docti homines, ἐπενδύτην esse *tunicam*, adeo, vt vehementer miremur, nec magnum illum Stephanum [131] se expedire inde satis potuisse. Vt enim περιβάλλεσθαι proprie de *toga*, et *pallio*, dicitur, quia iis totum corpus operiebatur: ita περιζώσασθαι, et διαζώσασθαι, vtrumque enim verbum respondet Hebraeorum verbo חָגַר, de *tunica*

 vsur-

128. ad Tertulliani Pal. p. 410.

129. In v. ἐπενδύτης.

130. Libanius differt. de auidit. p. 948. B To. I. Morel. sic dixit ἦμεν ἐν μόνοις χιτωνίσκοις, h. e. γυμνοί. Atque sic intell. verba ἐπὶ γυμνοῦ, et γυμνὸς, Marc. 14, 51. s.: vbi v. Heumanus. Etiam ab Hebraeis tum, quum ornare se solerent palliis, et tunicis singulis, is, qui tunica cinctus esset, non item pallio amictus, dictus est עָרוֹם. vid. 1. Sam. 19, 24. Neque aliter vtuntur Graeci, et Latini, verbis γυμνὸς, et *nudus*. vid. Cuperus Obseruatt. 1, 7. et Graeuius ad Hesiod. Ἔργ. 391.

131. Thes. L. Gr. in h. v. Sic Eustathius de amorr. Ismen. 10. p. 398. Paris. ἀπεδύσατο χιτῶνα, sed p. 402. τὸν χιτῶνα διαζωσάμενος. Laërt. 6, 102. χιτὼν φαιὸς ποδήρης, περὶ αὐτῷ ζώνη φοινική.

vſurpantur, quia cingebatur. Sed ſatis diu circa veſtes haeſimus: pergamus ad alia. Paſor enim, et alii, tradunt, οἰκουμένην eſſe *terram habitabilem.* recte. Anne vero ſic reperire tirones, alioſque librorum diuinorum lectores, poſſe ſperemus, quae ſit illa πᾶσα ἡ οἰκουμένη, de qua Lucas in euangelio [132] loquitur, et illa ὅλη ἡ οἰκουμένη, quam, imperatoris Claudii ſaeculo, fames ſaeua inuaſiſſe, in actis Apoſtolorum [133] legitur? Non opinor. Immo vero melius conſuluiſſent imbecillitati tironum, aliorumque, boni illi viri, ſi praecepiſſent, οἰκουμένην eſſe, etiam in libris Noui Teſtamenti, Latinorum *orbem*, eoque vocabulo, vt ſaepe *vniuerſum orbem terrarum* [134], quatenus habitatur, eiuſque incolas, ita nonnunquam, nunc imperium Romanum, nunc Iudaeam, modo Graeciam, modo aliam terrarum partem, et regionem, ſignificari, idque intellegi facile, et reperiri, ſemper, et vbique, poſſe, ſi viderent, et attenderent, vel quis loqueretur, vel de quo, quaue de re, ſermo inſtitutus eſſet, ita tamen, vt, ſicubi opus eſſet, hiſtoriam quoque aetatis cuiuſque adhiberent [135]. Iam quum Lucas perhibeat, imperatorem Auguſtum edixiſſe, vt quiſque in toto orbe terrarum cenſeretur, vt nomen cuiusque in tabulas referretur in vniuerſo orbe: ſane procliue eſt intellectu, οἰκουμένην accipi debere, aut de toto imperio Romano, aut certe de certa quadam illius parte. Quia autem hiſtoria illorum temporum docet, cenſum illum, relationem illam nominum in tabulas, non ad

132. C. 2, 1.

133. C. 11, 28.

134. Vid. Matth. 24, 14. coll. Marc. 13, 10. et Euſeb. H. E, 3, 5. Act. 17, 31. Romm. 10, 18. Hebrr. 1, 6.

135. Vid. Keuchenius, et Carcinus, ad Luc. 2, 1.

ad vniuerſum orbem Romanum pertinuiſſe, ſed ad ſolam Iudaeam; quis enim credat, hiſtoricos Romanos neglecturos fuiſſe rem tantam, tamque memorabilem, ſi ad omnes ciuitates, quae imperio Romanorum parerent, ſpectaſſet? quia ea res etiam ad ipſum Lucam, et ad Ioſephum, Mariae ſponſum, refertur; quia reliqua ipſius Lucae oratio idem perſuadere lectoribus reperitur [136]: ſane in promtu eſt, πᾶσαν τὴν οἰκουμένην loco illo Euangeliſtae eſſe *Iudaeam*. Atque hoc ipſum valet de eo loco, qui eſt in eiuſdem Lucae commentariis de rebus Apoſtolorum. Conſtat enim e Ioſephi libris [137], Iudaeorum orbem, imperatoris Claudii aetate, miſere vexatum eſſe famis, annonaeque caritatis, iniuria. Lucam enim vtroque in loco facile apparet ſequutum eſſe, non barbarorum ſcriptorum, ſed Hebraeorum, rationem, a quibus *Iudaeam* appellari nouimus, vel ſimpliciter הָאָרֶץ, vel כָּל־הָאָרֶץ [138]. Στάμνος a Paſore, Suartio, aliiſque Lexicorum Noui Teſtamenti auctoribus, Latine vertitur *vrna:* quod verbum, vt complura alia, petiiſſe videntur e verſione Latina vetere. At vero Latinum illud vocabulum non aſſequi Graeci vim, atque adeo ambiguum eſſe, ex iis, quae dicentur a nobis deinceps, fiet, vt ſperamus, planum. Στάμνος enim, vulgare, neque ſatis elegans, verbum, ab grammaticis, et ſcholiaſtis, antiquis idem ſignificare traditur, quod in Atticorum lingua nomen ἀμφορεύς. Thomas quidem Magiſter in Eclogario, Ἀμφορεὺς λέγε, inquit, μὴ

136. Vid. Keuchenius ad h. l.

137. Archaeol. 20, 5. 2. p. 965. To. 1. Hauerc. Conf. Grotius ad Matth. 24, 7.

138 Vid. Ruth. 1, 1. 2. Sam. 24, 8. add. Ioſephus Archaeol. 8, 13. 4. Hauerc.

ϛάμνος, μηδὲ μετρητὴς, εἰ καί τινες. Et in Moeridis Atticiſtae Λέξεσιν haec leguntur, Ἀμφορέα, τὸν δίωτον ϛάμνον, Ἀττικῶς· ϛάμνον, Ἑλληνικῶς· quae eius verba non parum illuſtrantur iis, quae leguntur in ſcholiis Homeri minoribus ad ſecundum Odyſſeae librum [139], indeque in Phauorini Lexicon tranſlata ſunt, Ἀμφιφορεῦσι· κεράμεοι ἦσαν ἀμφοτέρωθεν φερόμενοι, ὅ ἐϛιν ἄμφωτοι, δίωτοι· — Ἄλλως, Ἀμφιφορεῦσιν· ἀμφορεῦσιν· ὁ δὲ ἀμφορεὺς εἶδος κεραμίȣ ἀμφώτȣ. Vnde ϛάμνον fuiſſe *vas vtrinque anſatum* [140], quis non videt? quale vas ab Horatio [141] *diota* nominatur: quo ipſo vocabulo explicatum extat in Gloſſariis Graecolatinis verbum Graecum ἀμφόριον. Iam vero e libris Veteris Teſtamenti [142] compertum habetur, vas illud, de quo Paulus in epiſtola ad Hebraeos [143] loquitur, quod Moſes צִנְצֶנֶת, ipſe cum Alexandrinis Iudaeis ϛάμνον, vocat, continuiſſe ſeptem fere ſextarios. Tot enim ſextarii Romani cum quinta ſextarii parte aequarunt fere menſuram Hebraeorum, quam עֹמֶר appellavere [144]. Itaque vocabulo ϛάμνος declarari liquet *vas vtrinque anſatum, ſeptem fere ſextarios capiens*. Quod quidem etſi Latine exprimi vno verbo vix poterit, quum Romani veteres non reperiantur vſi eſſe huius modi vaſis: ex iis tamen, quae a nobis dicta ſunt, conſequi putamus, rectius illud,

139. v. 290.
140. Vid. Relandus diſſert. 2. de inſcriptione nummorum quorundam Samaritanorum p. 3.—48.
141. 1. Od. 9, 8.
142. Ex. 16, 33. 36.
143. C. 9, 4. Vid. Proluſſ. in V. et N. T. 6, 3. p. 162. ſſ.
144. Vid. Epiphanius de menſuris, et ponderibus, p. 183. To. 2.: vbi v. Petavius p. 425.: et Vaſerus de antiquis menſuris Hebraeorum 2, 3. 4.

lud, atque aptius, *diotam*, quam *vrnam*, vocari. Etenim ſi *diotam* dixeris, etſi non magnitudo, et amplitudo, vaſis, tamen forma eius, et ſpecies, offeret ſe quodammodo, atque oſtendet, menti cuiuſque: ſed ſi *vrnam* appellaueris, neque figuram eius, neque capacitatem, cogitare lectores in animo poterunt. Et vt tollatur omnis cauſſa obſcuritatis, et ambiguitatis: vocabulo *diota* addi recte licebit, modi vaſis definiendi ergo, verba *ſeptem fere ſextarios capiens*. Sic κώνωψ, quod vocabulum ſemel in Matthaei euangelio [145] legitur, non ſimpliciter *culex* reddi debebat in Lexicis, quum multa ſint, atque varia, culicum genera, ſed *culex vinarius*; muſca vinaria, hoc eſt, vermiculus alatus, qui ex vino aceſcente natus, eodem alitur, et nutritur, qui ab ſcriptoribus Talmudicis יַבְחוּשׁ nominatur, vt Ioh. Vorſtius in vtiliſſimo commentariolo de adagiis Noui Teſtamenti [146], praeeuntibus Buxtorfio, et Bocharto [147], accurate docuit. Eademque de cauſſa, quum *quadrupedes*, vel *cicures* ſint, vel *ferae*, τετράποδα non debebant abſolute *quadrupedes* dici. Nam in libris Noui Teſtamenti τετράποδα, et τετράποδα τῆς γῆς, iunguntur ἑρπετοῖς, et πετεινοῖς, vel τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, cum ſimpliciter [148], tum ita, vt diſtinguantur a θηρίοις [149]. Iam ſi τετράποδα abſolute memorantur, omiſſis θηρίοις, intellegi debent *beſtiae*, et *cicures*, et *ferae*, omnes; ſed ſi comites iis dantur θηρία, τὰ τετράποδα τῆς γῆς ſunt *cicures beſtiae* ſolae. Atque huius formae loquendi ratio omnis ducenda eſt ab

145. C. 23, 24.

146. C. 3, 2. p. 771. ſ. Lipſ.

147. Hieroz. 2, 4. 17. p. 564. ſ. To. 2. vid. Kypquius ad Matth. 23, 29.

148. Romm. 1, 23.

149. Act. 10, 12. 11, 6.

ab Hebraica consuetudine. Etenim Hebraei primo vocabulum בְּהֵמָה, quo significantur *bestiae*, praeter repentes, et volatiles, *omnes*, et quod diuini scriptores alterius Testamenti cum Alexandrinis Iudaeis verbo Graeco τετράποδα interpretati sunt, nunc simpliciter ponunt, et nude [150], nunc ita, vt ei addant nomen הָאָרֶץ [151]: deinde reptilibus, et volucribus, adiungunt, modo solas בְּהֵמָה [152], hoc est, *bestias*, et *feras*, et *mansuetas*, modo בְּהֵמָה, et חַיָּה [153], ita, vt hoc quidem verbo *feras bestias* significent, illo *bestias cicures*, et maiores, et minores, quas septuaginta interpretes fere κτήνη vocant, quod genus equi, asini, pecus, armenta. Sed numerus verborum ambigue expositorum in Lexicis Noui Testamenti tantus est, vt, si persequi omnia, et recensere, vellemus, non vnus nobis esset, sed plures, eiusmodi libelli conscribendi.

III. Quum igitur consilio satisfecisse nostro videamur, quod hoc fuit, vt doceremus, auctores Lexicorum Noui Testamenti nec ambiguitatis vagae, et obscurae, vitium vitasse in explicanda verborum simplicium potestate, et vt admoneremus eorum consultores, ne in praeceptis horum hominum ita acquiescerent, vt plura, et maiora, intellegentiae verborum diuinorum subsidia non requirerent: veniemus ad id, cuius caussa hunc ipsum libellum proponere iussi sumus. Petierunt enim a nobis alumni disciplinae nostrae nonnulli, qui, quum partes discipulorum modestorum, bonarumque literarum cupidorum, bene agere semper studuissent, pii quoque, et grati, aduersus Patronos, euergetasque, scholae animi

150. Gen. 1, 26.
151. Esai. 18, 6.
152. Gen. 1, 26.
153. Gen. 7, 21.

animi laudem collegere vellent, vt ipſos ſineremus ante, quam e ſchola Thomana in Academiam tranſirent, facultatis ſuae Latine dicendi qualiſcunque documenta publice dare. Nomina eorum ſubiecimus: CHRISTI. ASARIAS FRIDER. VEBELIVS, *Poſerna Miſnicus*, Bornianae liberalitatis alumnus: IOH. LV DOV. STOLLIVS, *Sula Hennebergicus*: IOH. FRIDER. ADOLPHVS KIRSTI VS, *Nebra Thuringus*: quem quidem, cum ob ſtudium modeſtiae, et pietatis in nos, ſingulare, tum propter flagrantiſſimam literarum cupiditatem, praecipuo ſemper quodam amore complexi ſumus. Fuimus igitur iis auctores, vt perſequerentur oratiunculis, atque celebrarent, pro ingeniorum modulo, *laudes et virtutes Sethi Caluiſii*, cuius doctrina ſcholam noſtram ſuperiori ſaeculo vehementer ornatam fuiſſe ſcirent; ita quidem, vt, exemplo viri ſummi, immortalique memoria digniſſimi, appareret, bona ingenia, neque poſſe, neque debere, honeſtae egeſtatis incommodis deterreri, quo minus magna ſpectarent, et rectis ad ea ſtudiis contenderent; vt intellegeretur, ſolius bonarum literarum ſcientiae magnae, publiceque, et priuatim, vtilis, auxilio comparari poſſe, et gratiam omnium bonorum maximam, et celebritatem nominis, atque gloriam, certam, et ſtabilem; vt cognoſceretur denique, quomodo paupertatem ingenioſam, et magnanimam, verſari oporteret in ſtudio literarum, et virtutis, vt haec tanta bona, atque ornamenta, conſequeretur. Cuius quidem rei cogitatio acris, et diligens, vt non modo dirigere feliciter curſum induſtriae liberalis poteſt, vt, quo tendat, eo perveniat, ſed etiam incendere, et vero inflammare, ani-

animos ingenuorum adulescentium totos amore, et studio, omnis humanitatis, atque virtutis, quod extingui nullo vnquam modo possit; nemo enim facile adeo alienus ab omni laudis cupiditate reperitur, qui nolit ea excogitare, et reperire, ea suscipere, et perficere, quibus sibi amorem bonorum conciliet, nominisque memoriam posteritati prodat: ita, quum Caluisius doctrinae suae luce, non modo Saxoniam, sed vniuersum Germanorum orbem, tantopere illustrarit, vt ipse Scaliger filius, parcissimus caeteroquin aliorum, exterorum maxime, laudator, eum fassus sit primum inter chronologos nugari desiisse; quum ipsius iustitiae leges iubeant memoriam nominis magnorum, clarorumque, virorum, non modo seruari, sed etiam coli omnibus modis, et ornari; quum nulla facile alia Germaniae vrbs tot viros magnos, et claros, ostentare possit, quam Lipsia, qui hanc iustitiae, aequitatisque, vocem studiosissime sequantur, qui merita maiorum in literas, et rempublicam, diligentissime cohonestent, quia ipsi ab grata, aequaque, posteritate exspectant eadem officia, et virtutis praemia; eo minus dubitamus, quin praecones illi doctrinae, grauitatisque, Caluisii nacturi sint auditores, et fautores, quam plurimos. Huius vero audientiae, et fauoris, memoria eam semper in animis nostris vim habebit, vt studiis nostris in dies plus prodesse conemur rebus scholae Thomanae, atque adeo patriae communis rationibus. Scripsimus in Schola Thomana a. d. XIIII. Kalendas Maias A. C. CIↃIↃCCLXXIIII

PROLV

PROLVSIO QVARTA

DE NOTIONIBVS INCERTIS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS IVNCTIS ET DICENDI FORMVLIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Cuum in notandis, corrigendisque, Lexicorum Noui Testamenti vitiis institueriinus ita versari, vt a verbis simplicibus ad iuncta proficisceremur; quum in libello nuper edito videamur satis docuisse, quam ambigue, et obscure, interpretati sint auctores istorum librorum multa verba simplicia: ordinis rationem postulare apparet, vt ostendamus, et vincamus, eosdem illos homines nec in verbis iunctis explicandis vitasse semper, et fugisse, ambiguitatis, atque obscuritatis, vitium. Cuius quidem rei animaduersio, et admonitio, debet videri eo magis necessaria, quum haec orationis interpretum ambiguitas, et obscuritas, non modo impediat, et obstet, ne reperiri sensus scriptorum diuinorum ab consultoribus, et teneri, possit, sed etiam ita decipiat, et fallat, lectores librorum sacrorum incautos, vt ea narrari, et doceri, ab Euangelistis, atque Apostolis, putent, quae his quidem in mentem nunquam venerint. Qui opinionis error quam late pateat, quam periculosus sit, et pestifer, quam

quam perturbare omnia, et confundere, possit in iis maxime doctrinae Christianae partibus, quae dogmatis, vitaeque, et morum, praeceptis, continentur, quis non intellegit?

II. Sed vt nec hoc in genere dixisse quidquam temere, et cupide, videremur; vt excitaremus, acueremusque, diligentiam omnium consultorum Noui Testamenti Lexicorum, ne perplexis se eorum responsis deludi paterentur; faciundum existimauimus, vt huius quoque ambiguitatis, et obscuritatis, exempla quaedam idonea, et luculenta, et ad admonendum efficacia, proponeremus. Etenim quum Christus, optimus seruator, ex eo monte, propter quem habuerat ad Apostolos, reliquosque discipulos [1], concionem illam nobilem, planeque diuinam, qua complexus est summam omnium praeceptorum, quorum ad normam oporteret dirigi vitam omnem, moresque conformari, eorum omnium, qui digni reperiri ipsius disciplina vellent, in opidum, in quo tum habebat domicilium, reuenisset: occurrit ei centurio quidam Romanus, qui ab eo serui sui, qui resolutione neruorum laboraret, salutem ita peteret, vt persuasissimum sibi esse ostenderet, posse ab ipso incolumitatem puero vel verbo restitui, hoc est, ipsum esse dei filium, neque nudum hominem. Quae quidem virtus, et pietas, hominis barbari noua quum admonuisset Christum singularis impietatis, et pertinaciae, principum Iudaeorum, qui ipsum, spretis omnium prophetarum vocibus, reiectaque omnium portentorum fide, regem suum esse, atque dominum, pernegarent: ille

1. Vid. Luc. 6, 12. 17.

ille non modo exquisitis laudibus extulit hanc tantam centurionis grauitatem, sed Iudaeorum quoque leuitatem non ferendam ita obiurgauit, vt confirmaret comitibus suis, Iudaeos, contumaciae istius caussa, summis, aeternisque, miseriis, ac suppliciis, affectum iri, quum multi omnis generis barbari essent aliquando, virtutis suae caussa, maximis, sempiternisque, gaudiis, et laetitiis, fruituri. Eo enim spectant verba optimi seruatoris apud Matthaeum [2] haec, Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Iam vt verba λέγω ὑμῖν, ὅτι [3], et λέγω ὑμῖν [4], quibus praemitti aliis in locis Noui Testamenti particula ἀμὴν [5], aliaeque idem valentes [6], solent, idem declarant, quod formulae ἴσε, ὅτι, et εὖ ἴσε, ὅτι, aliaeque similes [7], in libris Graecorum auctorum, hoc

2. C. 8, 11.

3. Matth. 3, 9. 5, 20. 6, 29. 11, 24. 12, 6. —. Marc. 9, 13. Luc. 10, 12. 18, 8. 19, 26. 40. 22, 16. 18. 37. —.

4. Matth. 11, 22. Luc. 17, 34. 18, 14. —.

5. Matth. 5, 18. 6, 2. 5. 10, 15. 13, 17. 16, 28. 17, 20. 23, 36. 24, 34. 47. —. Marc. 6, 11. 9, 41. —. Luc. 18, 17. 29. 21, 32. —. Ioh. 5, 19. 24. 25. 6, 26. 32. 8, 34. 51. 58. —.

6. Luc. 12, 44. 21, 3. ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι· sed c. 9, 27. λέγω ὑμῖν ἀληθῶς· vbi tamen nescio, an Adu. ἀληθῶς ad verba sequentia referri debeat. Matth. 11, 9. Luc. 7, 26. 11, 51. coll. Matth. 23, 36.: c. 12, 5. ναὶ λέγω ὑμῖν. Iohannes autem sic vsus est formulis, ἐγὼ τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν c. 16, 7., et πίσευσόν μοι, ὅτι c. 4, 21.: et Matthaeus c. 24, 42. dixit ἐκεῖνο γινώσκετε.

7. Ἴσε, ὅτι Xen. Cyrop. 4, 2. 18.: vbi tamen cod. Brod. et Guelferb. legunt εὖ ἴσε, ὅτι· quae formula legitur in eodem opere 2, 2. 15. 8, 1. 1., vt ἴσθι, ὅτι 4, 1. 8. 7, 3. 4.: εὖ ἴσθι, ὅτι 1, 3. 13. 1, 6. 19. 2, 1. 2. 3, 1. 5. et apud Aristoph. Plut. 183.: εὖ ἴσθι simpliciter 5, 2. 5.

hoc eſt, *mihi credite*, *ſcitote*: ita vocabulum πολλοὶ in promtu eſt de *barbaris*, et *externis*, *hominibus*, qui a Luca maxime, et Paulo, nunc ἔθνη [8], nunc Ἕλληνες [9], dicuntur, accipiendum eſſe, quum referatur ad verba *οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας*, quibus *Iudaeos* ſignificari, inter omnes, qui ſint vſus loquendi Hebraeorum non ignari, ſatis conſtare arbitramur. Etenim ἡ βασιλεία [10] illa in formula idem valet, quod ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, et ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, quae duae formulae in libris diuinis commutatae inter ſe non vno loco [11] leguntur, vt ſatis appareat, τοὺς οὐρανοὺς eſſe ipſum *deum*, atque adeo τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν *caelum*.

2. 5. 5, 5. 5. 7, 1. 9.: et ἴσθι abſolute apud Aeſchyl. Prometh. 288: εὖ ἴσθι τοῦτο, ὅτι Cyrop. 1, 6. 19.: τοῦτο εὖ ἴσθι, ὅτι ibid. 2, 1. 2.: εὖ τοῦτ' ἴσθι ap. Ariſtoph. Plut. 216.: εὖ τόδ' ἴσθι ap. Aeſchylum Perſſ. 173. 431. 435.: σάφ' ἴσθι Cyrop. 1, 6. 10. 15.: σάφ' ἴσθ', ὅτι ap. Ariſtoph. Plut. 890.: εὖ ἐπίσασθε Cyrop. 3, 3. 18.: εὖ τοῦτο ἐπίσω ibid. 3, 3. 17.: ἐπίσω τοῦτο, ὅτι ibid. 3, 2. 7.: σαφῶς ἐπίσασο ap. Aeſchylum Prometh. 839. 966. Ariſtophanes Plut. 445. ita poſuit verbum λέγω ſimpliciter, vt Iuſtinus M. Apol. 1, 14. verbum φημί· ſed idem ille poëta Plut. 608. ſic dixit ἦ μὴν, vt Cicero 9. ep. 15, 13. *ſcito*.

8. Act. 26, 23. 28, 28.

9. Romm. 1, 16. 2, 9. ſ. 3, 9. 29. 10, 12.

10. Vt Matth. 25, 34. coll. v. 41.

11. Vid. Matth. 8, 11. coll. Luc. 13, 29. Matth. 19, 23. 24. 2. Theſſ. 1, 5. Act. 14, 22. Et quum eccleſia, cui Chriſtus, tanquam rex, praeeſt, in multis librorum diuinorum locis dicatur ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν [Matth. 11, 11. coll. Luc. 7, 28. Matth. 16, 19. coll. v. 18. 20, 1.]; quum *οἱ οὐρανοὶ* etiam hac in formula idem ſit, quod ὁ θεὸς, vt *deus* a Daniele [c. 4, 23. coll. v. 22.] vocatur שְׁמַיָּא: intellegitur, recte inde doceri poſſe, Chriſtum eſſe deum. Quae quidem res non debebat praetermitti ab auctoribus librorum dogmaticorum eo loco, quo de Chriſti deitate quaeritur.

caelum [12]. Hoc vero inde apertum esse, atque perspicuum, putamus, quia τῇ βασιλείᾳ, et τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, ab ipso Christo opponitur τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· quibus verbis omnes sciunt, et fatentur, indicari *tartara*, hoc est, locum, in quo homines scelerati post mortem torquentur suppliciis aeternis; praesertim quum verba ἐκβληθήσονται, et ἐκεῖ ἔσται, menti lectoris formam, et speciem, loci alicuius sponte offerant. Nam vt lux in lingua Hebraica est imago felicitatis omnis generis [13], ita tenebras iidem Hebraei, ipsa ratione, naturaque, magistra, indices omnis generis miseriae esse iusserunt: et tartara dicuntur τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, quia sunt extra caelum, tanquam oecum dei, hominum domini, hoc est, extra domicilium numerorum piorum [14]; quippe

12. Vid. Marc. 9, 47. coll. v. 43. 45. 10, 23. 24. 25. coll. v. 17. 26.

13. Vt apud Cic. Phil. 1, 2.

14. Scilicet ergastula apud Romanos erant carceres rustici subterranei, sedibus, et angustissimis fenestris, instructi, atque adeo loca poenalia, quorum custodes dicti sunt *ergastularii:* in ea a dominis dedebantur serui omnino mali: hi erant compedibus ferreis constricti semper, etiam inscripti, literisque, et notis, in facie compuncti: alebantur pane, aqua, sale: interdiu ruri opus faciebant vincti, lapides caedebant, aquam hauriebant, molebant: vid. Lipsius Elect. 2, 15.: sed serui egregie mali videntur in ergastulis vsque iacuisse quadrupedes constricti: vid. Matth. 22, 13.: sine vlla spe salutis, ita, vt, et fletus effuderint, et crepitus dentium ediderint, prae indignatione, et impatientia. vid. Matth. 22, 13. 25, 30. 51. Ergastulum igitur quum fuerit carcer, locus, tenebrosus in agris extra domum domini vrbanam, atque adeo extra diaetam, et oecum: propterea vocatur apud Matthaeum c. 22, 13. 25, 30. τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. Tale autem ergastulum, quis non videt, quam elegans sit, atque apposita, imago tartarorum?

pe quum certissimum sit, Matthaeum, vel potius interpretem commentariorum eius, vocabulo Graeco τὸ ἐξώτερον reddidisse, Alexandrinorum Iudaeorum exemplo, Hebraicum nomen הַחִיצוֹן, certe Syriacum ܒܪܝܐ, adeo, vt comparatiuus vim primi gradus, non tertii, habere intellegatur [15]: quemadmodum terra a Paulo Apostolo [16] vocatur τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, hoc est, הַתַּחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ, *inferae*, non *infimae*, *partes terrae*, quia partes eius, id est, ipsa, caelo est subiecta. Nam apud Euripidem [17] quoque *ager Thebanus* μέρη χθονὸς, hoc est, χθὼν, nominatur. Cuius quidem obseruationis obliuio interpretes fere omnes eo adduxit, vt verbis illis Pauli tartara significari putarent, multaque de profectione Christi, et descensu, ad inferos frustra disputarent, vt alio iam huiusce disputationis loco [18] demonstrauimus. Iam vero nomen υἱὸς, vt apud Hebraeos בֵּן, vocabulis locorum ita iungitur, vt declaret *eum*, *qui est*, *habitat*, *viuit*, *in loco* eo, cuius vocabulum additum est [19]. Vt igitur *Iudaei*, qui patria pulsi exularant in Babylonia, in Esrae commentariis [20] בְּנֵי הַמְּדִינָה, υἱοὶ τῆς χώρας, appellantur: ita οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας sunt proprie quidem *ii*, *qui sunt in caelo*, *incolae*, *et habitatores*, *caeli*, qui fruuntur gaudiis aeternis,

15. Gloss. vett. Ἐξώτερος *Exterior*, *exter*, *externus*. Κατώτερος *Inferior*, *infernus*, *inferus*, *a*, *vm*.

16. Eph. 4, 9.

17. Phoeniss. 80. 614.

18. Prolus. 2, 2.

19. I. Macc. 4, 2. οἱ υἱοὶ τῆς ἄκρας sunt *custodes*, *milites praesidiarii*, *arcis*. Sic ab Aeschylo Perss. 578. s. *pisces* vocantur ἄναυδοι παῖδες τῆς ἀμιάντου. Schol. ἀναύδων δὲ παίδων τῆς θαλάσσης, τῶν ἰχθύων λέγει.

20. C. 2, 1. Vid. Vorstius Philol. c. 24, 3. p. 491.—498.

nis, vno verbo *caelicolae*: sed a Christo ita appellantur *Iudaei*, maximeque eorum primores, quia putabant, et gloriabantur, caelum, felicitatem aeternam, ad se pertinere, sibi deberi, exclusis ciuitatibus barbaris, et externis, omnibus, adeo, vt sibi iam in caelo esse, gaudiisque frui aeternis, viderentur. Felicitatem autem aeternam in libris diuinis comparari, omnes norunt, cum coena, et conuiuio, vt caelum cum oeco *, credo propterea, quod, sicut in conuiuiis gaudia, et laetitiae, regnant, ita felicitatis aeternae summa gaudiis, et laetitiis, aeternis contineatur. Barbari certe quidem deos suos nectare, et ambrosia, delectari, nullo finxisse alio consilio videntur, quam vt ostenderent, eos esse beatissimos, quod gaudiis continuis, atque maximis, fruerentur. Hoc in conuiuium admoueri, in hoc conuiuio accumbere, hoc est, huius felicitatis aeternae participes esse, dicuntur Abrahamus, et Isaacus, et Iacobus, ciuitatis Iudaeorum principes, ita, vt ἀνακεκλίσθαι μετὰ Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν sit *accumbere, coenare, cum Abrahamo, et Isaaco, et Iacobo, in caelo*, easdem cum iis epulas ibi capere, hoc est, *eadem cum iis felicitate, iisdem gaudiis, et laetitiis, frui in caelo*. Nam ἀνακεκλίσθαι verbum conuiuale est, et epulare, quod de iis vsurpatur, qui in conuiuiis *accubant*, qui a Luca [21], Xenophonte [22], et aliis, κατακεκλίσθαι,

* Vid. Matth. 25, 21. 23. coll. v. 30. 34. c. 26, 29. Marc. 14, 25. Luc. 14, 15. Conf. Gataquerus Aduersarr. posthumm. c. 28. p. 724. Trai.

21. C. 14, 8. 24, 30.

22. Sympos. 1, 8. 13. Athen. 1, 19. p. 23. C, Κατακεῖσθαι δὲ λέγεται καὶ κατακεκλίσθαι, ὡς ἐν Συμποσίοις Ξενοφῶν [Sympos. 1, 14.], καὶ Πλάτων [Sympos. 3.].

σθαι, a Iosepho [23] κατακεκλίσθαι εἰς τὸ δεῖπνον, dicuntur: et Lucianus [24] formulis συνανακλίνεσθαι μετά τινος, ξυνδειπνεῖν μετά τινος, et ξυνδειπνεῖν τινι, vt idem declarantibus, vſus reperitur: vt ipſe Matthaeus formulam ἀνακεκλίσθαι μετά τινος alio loco [25] permutauit formula συνανακεῖσθαί τινι, et hanc interpretatus eſt formula ἐσθίειν, hoc eſt, δειπνεῖν, μετά τινος. Huius igitur felicitatis, horum gaudiorum, et laetitiarum, vſuram pertinere Chriſtus docet, ſecus, ac Iudaei opinabantur, etiam ad barbaros, externoſque, omnes, quod multi eorum ſint ipſum, centurionis Romani exemplo, et agnituri ſeruatorem, et complexuri. Huc enim ſpectant verba eius, ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι· quae a Lexicographis tantum non omnibus video ſic eſſe explicata, *ab oriente, et occidente, venient.* Hanc vero eorum interpretationem non carere ambiguitate, et obſcuritate, omnes, qui paulo diligentius attenderint, reperire ipſos poſſe ſperamus. Neque enim intellegi ita, e Latina quidem ratione, vllo modo poteſt, vtrum ad omnes ciuitates barbaras pertineat gaudiorum aeternorum vſura, an tantum ad orientales, et occidentales. Hoc vero ambiguitatis vitium ita vitari, et poterat, et debebat, vt verba illa Chriſti Latine verterentur hunc in modum, *mihi credite, multi ex*

23. Archaeol. 6, 5. p. 155. Baſil.

24. Aſin. p. 78. Gal. p. 166. Paraſit. p. 260. To. 2. Graeu.

25. C. 9, 10. f. add. Marc. 2, 15. coll. v. 16. Ioh. 12, 2. Athenaeus 1, 19. p. 23. C, Ἀνακεῖσθαι δέ φαμεν ἐπὶ ἀνδριάντος· ὅθεν τοὺς ἐπὶ κατακειμένων χρωμένους τῇ λέξει, διέσυρον. — Ἔστι δὲ εὑρεῖν καὶ ἐπὶ ἐννοίας ταύτης σπανίως τὸ ἀνακεῖσθαι, add. Suidas, et ex eo Phauorinus, v. ἀνακεῖσθαι.

ex omnibus ciuitatibus barbaris, et externis, aeterna felicitate donabuntur, aeternis gaudiis cumulabuntur. Nam Matthaeum, atque adeo eius interpretem, vt alibi, ita hoc quoque loco, consuetudinem loquendi Hebraicam sequutum esse, quis non videt? Hebraei autem, vniuersum terrarum orbem indicaturi, vel orientem nominant, et occidentem [26], vel orientali, et occidentali, plagae quasi comites adiungunt septentriones, et meridiem, vt Sophocles [27]. Esaias quidem, vates, deum alicubi [28] ita loquentem inducit, לְמַעַן יֵדְעוּ מִמִּזְרַח־שֶׁמֶשׁ וּמִמַּעֲרָבָה, hoc est, *vt videant omnes ciuitates, et homines*: sed auctor hymni septimi et centesimi [29] verbis מִמִּזְרָח וּמִמַּעֲרָב addit verba מִצָּפוֹן וּמִיָּם. Atque hanc posteriorem rationem apparet obuersatam fuisse Lucae menti, qui eandem illam Christi vocem complexus est his verbis [30], *ἥξȣσιν ἀπὸ ἀνατολῶν, καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ βοῤῥᾶ, καὶ νότȣ·* quum Matthaeo placuerit praeoptare rationem illam superiorem, qua Esaiam vsum esse vidimus. Et hic ipse Matthaeus eodem capite [31] narrat, puerum centurionis recuperasse salutem, et valetudinem, *ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ·* quae verba, alii vertunt *hora illa*, alii interpretantur *illo tempore:* ambigue, et obscure, omnes. Neque enim intellegi ita satis potest, vtrum seruo cen-

26. Latini hoc in genere vti solent formula *ad occasum ab ortu solis*, aliisque similibus: vid. Sallustius Catil. 36, 4. et ibi Cortius: vt Graeci dicunt *ἀφ' ἡλίȣ ἀνίσχοντος μέχρι ἡλίȣ δυομένȣ·* vid. Aeschines Socr. fragmm. 3, p. 175.: *ἀπὸ τῆς ἕω, ἄχρι πρὸς ἑσπέραν·* v. Lucian. Somn. p. 20. s. To. I. Graeu.: *ἐπὶ νύκτα, καὶ πρὸς ἀῶ* Theocrit. epigr. 19, 3.

27. Oedip. Colon. p. 371. v. 1240. ff. Cantabrig.

28. C. 45, 6.

29. v. 3.

30. C. 13, 29.

31. v. 13.

centurionis incolumitas ſtatim reſtituta ſit, ſimulac Chriſtus eam redire iuſſiſſet, an vero ei hoc beneficium paulo poſt contigerit. Quod vt reperiatur, non dux adhibendus eſt vſus loquendi ſcriptorum Graecorum, ſed veſtigia conſuetudinis linguae Hebraeorum ſequenda ſunt. Etenim in veterum quidem Graecitatis auctorum libris vocabulum ὥρα, vel de iis partibus poſitum legitur, in quas deſcriptum ab ipſa natura eſſe videmus, vt annum [32], hoc eſt, de vere, aeſtate, auctumno, hyeme [33], ſed in primis tamen de vere [34], atque aeſtate [35], eaque adulta [36], ita etiam diem, id eſt, de tempore matutino, antemeridiano, meridiano, pomeridiano, veſpertino [37], et noctem, hoc eſt, de prima face, concubio, et conticinio, nocte media, et gallicinio [38], vel de ſpatio diurno [39], vel omnino de tempore quodam ma-

32. Ammonius: Ὥρα, διαστάσεως, τοῦ ἔτους, καὶ τῆς ἡμέρας. Phauorinus, neſciebam vnde: Ὥρα, ἐφ' ἑκάστου ἔτους τῶν τεσσάρων τμημάτων τοῦ χρόνου, οἷον ἔαρος, θέρους, καὶ τῶν λοιπῶν. add. Suidas v. ὥρα ἔτους.

33. Vid. Index Aeſchin. v. ὥρα.

34. Vid. Hom. Odyſ. *I*, 51. Schol. min. ὥρῃ· τῷ τοῦ ἔαρος καιρῷ.

35. Heſychius: Ὥρα ἔτους· καιρὸς ἔτους, τὸ ἔαρ, καὶ τὸ θέρος.

36. Vid. Graeuius ad Heſiod Ἔργ. 31. et Spanhemius ad Iulian. orat. 1. p. 123. ſ.

37. Graeci enim ſpatium diei naturalis deſcripſere in partes quinque, quarum haec fuiſſe nouimus vocabula, πρωΐ, πληθούσης ἀγορᾶς, μεσημβρίαν, δειλὴν πρωΐαν, δειλὴν ὀψίαν. Harum partium aliquam ſignificari nomine ὥρα Matth. 24, 36. 43. 51. 25, 13., ex eo plane intellegi poſſe videtur, quia v. 42. ὥρα ad ἡμέραν refertur, vt v. 43. Φυλακὴ ad noctem.

38. Sic ap. Herodo. 9, 52. ὥρη idem eſt, quod δευτέρη Φυλακὴ c. 51.

39. Matth. 14, 15.: vbi v. Raphelius: Marc. 6, 35.: vbi v. Raphelius, et Kypquius.

maturo, certo, ſtato, et opportuno [40], quod Hebraei vocabulo עֵת indicare ſolent: ſed ſcriptores Graeci recentiores, et in his interpretes Veteris Teſtamenti Alexandrini, Nouique Teſtamenti auctores, eodem verbo vti coeperunt de vna earum partium duodecim, in quas ars, ingeniumque humanum, diurna, nocturnaque, ſpatia diviſit *, quam veteres Graeci *σημεῖον* dixere [41], etiam *ςοιχεῖον* [42], et *μέρος* **; ita tamen, vt addiderint fere aliud verbum, quo ordo illius partis, atque numerus, definiretur. Sed ad intellegenda verba Matthaei ſupra laudata, neque antiqua ratio quidquam facit, neque recentior: immo ſolus vſus loquendi Hebraicus ſenſum eorum ita demonſtrat, atque aperit, vt tollatur omnis dubitatio, nihilque ambiguitatis, et obſcuritatis, relinquatur. Iudaei enim illorum temporum vocabulo שָׁעָה, non tantum partem diei ciuilis quartam, et viceſimam, ſed minimam quoque temporis particulam, quam vetus Latinitas *punctum temporis* [43], *punctum*, etiam *momentum, temporis*, nuncupat, notaſſe reperiuntur.

40. Vid. Luc. 10, 21. coll. Matth. 11, 25. Xen. Cyrop. 3, 3. 12. 5, 3. 16. Plato Apol. 33. Sic *ὥρα ἀρίϛȣ* Cyrop. 8, 1. 15.: *δείπνȣ ὥρα* ibid. 5, 5. 13. Herodo. 1, 119. 7, 119.: *ὥρη κοίτȣ* V. Hom. 22.: *ἀρότοιο ὥρη* Heſiod. Ἔργ. 460.: *ὥρη ἀμητȣ͂* ibid. v. 575.

* Suidas: Ὥρα· τὸ δωδέκατον τῆς ἡμέρας· ἀπὸ τȣ͂ διορίζειν τὰ διαςήματα τῆς ἡμέρας.

41. Pollux 1, 71. — *ὥρα δὲ, καὶ ἡμιώριον, σημεῖον, ὡς Μένανδρος, ὠνομάζετο παρὰ τοῖς παλαιοῖς.* Vid. omnino Salmaſius exercitatt. in Solin. p. 446. et Hindenburgius, vir Graece doctiſſimus, Animaduerſſ. ad Xen. Memorr. 4, 3. 4.

42. Vid. Ariſtoph. Eccleſſ. 648.

** Vid. Herodo. 2, 109.

43. Vid. Lucret. 2, 263. 455. 6, 229.

Certe, non modo Chaldaici interpretes librorum Veteris Testamenti multis locis, quos Buxtorfius in Lexico Chaldaico indicauit, illo ipso verbo reddidere nomen Hebraicum רֶגַע, quo vel tirones norunt *momentum*, *punctumque*, *temporis* significari; sed iam in ipsis Danielis prophetae oraculis multa extant huius notionis vestigia. Eo quidem loco [44], quo Nabuchodonosorus, rex Babyloniae, edixisse perhibetur, vt ciues ad vnum omnes venerarentur procumbentes statuam auream a se positam, ita, vt, qui id facere recusassent, ii in fornacem ardentem coniicerentur, eo igitur loco leguntur haec verba, וּמַן־דִּי־לָא יִפֵּל וְיִסְגֻּד בַּהּ־שַׁעֲתָא יִתְרְמֵא לְגוֹא־אַתּוּן נוּרָא יָקִדְתָּא, hoc est, *sed qui omiserit venerari statuam, is continuo coniicietur in fornacem ardentem.* Nam בַּהּ־שַׁעֲתָא esse *continuo*, *eo ipso temporis puncto*, statim simulac noluerit venerari statuam, ex iis locis Noui Testamenti clare, et euidenter, apparet, quibus Syrus interpres particulas εὐθέως [45], et παραχρῆμα [46], et ἐξαυτῆς [47], illis ipsis verbis expressit. Hebraeorum igitur auctoritatem sequuti, hoc quoque in genere, Iudaei Alexandrini, aliique Veteris Testamenti interpretes Graeci, non minus, quam librorum Noui Testamenti auctores, aliique scriptores recentiores [48], vocabulum ὥρα, quod primam notionem temporis scilicet certi communem haberet cum nomine שָׁעָה, ita vsurpare instituerunt, vt *momentum*, et *punctum*, *temporis* indicaret, quod Lucas

44. C. 3, 6. add. 4, 30. 5, 5.

45. Matth. 8, 3. 26, 74. Act. 9, 34.

46. Act. 3, 7. 5, 10.

47. Act. 10, 33. 11, 11.

48. Aesop. fab. 138. τῇ ὥρᾳ ταύτῃ.

Lucas [49] στιγμὴν χρόνου, Paulus [50] ῥιπὴν ὀφθαλμοῦ, et ἄτομον, vocant, Attici ἀκαρές [51]. Certe pro verbis prophetae Chaldaicis בַּהּ־שַׁעֲתָא in Alexandrina verſione verba αὐτῇ τῇ ὥρᾳ extant, quae, praeter Theodotionem, qui tamen ταύτῃ ſubſtituit pro αὐτῇ, Lucas in commentariis de rebus Apoſtolorum [52] retinuit. Quae quum ita ſint, Matthaei verba, καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, quis non videt eſſe ita explicanda, *et puer*, ſeruus, *eius ſalutem recepit*, conualuit, *continuo*, hoc eſt, illo ipſo temporis puncto, quo Chriſtus eum conualeſcere iuſſerat? Quam quidem eorum interpretationem non modo res ipſa confirmat; amici enim centurionis quum domum eius reueniſſent, ſeruum deprehenderunt, Luca [53] auctore, ſaluum, et incolumem: ſed etiam Syrus interpres auctoritate ſua, et ſententia, comprobat, qui formulam ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, Iohannes in Apocalypſi [54] dixit, inuerſo verborum ordine, ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, vt particulas ſupra commemoratas, verbis ܒܗ ܒܫܥܬܐ interpretatur. Neque vero aliter eam intellexiſſe reperitur Iuuencus preſbyter, qui verba Matthaei, καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, ita explicauit [55], *Dixerat, et dicto citius cum voce loquentis Ad puerum celeris*

49. C. 4, 5.

50. 1. Corr. 15, 52.

51. Gloſſ. vett. Ἀκαρὲς *Momentum*. Ἀκαρὴς *Momentarius*. Apud Ariſtoph. Plut. 244. eſt ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ· qui locus laudatur, cum in Etymol. M. v. ἀκαρὴς, tum ab Suida v. ἀκαρῆ· qui ipſe grammaticus gloſſas ἀκαρῆ, et ἀκαρῶς, interpretatus eſt verbis ἐν βραχείᾳ ὥρᾳ, ἐν ἀτόμῳ· quibus verbis in Phauorini Lexico ſubiuncta extant haec, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, ἐν στιγμῇ.

52. C. 16, 18. 22, 13.

53. C. 7, 10.

54. C. 11, 13.

55. Hiſt. euang. 1, 766. ſ.

leris transcurrunt munera verbi. Et quis eſt, qui non ex hactenus dictis ipſe intellegat, a quo fonte Matthaeus deduxerit hanc formulam, ex eodem fluxiſſe formulas ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης, et πᾶσαν ὥραν? quarum illa quidem in iiſdem Matthaei commentariis [56] ita legitur, vt ſit *continuo, extemplo, actutum*, quod Lucas [57] vno verbo παραχρῆμα dixit: hac Paulus vſus eſt in priore ad Corinthios epiſtola [58] eo ſenſu, vt ſit *ſingulis temporis punctis.* Omnino iis, quae de vſu formulae ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ diſputauimus, planum feciſſe arbitramur, quantum praeferenda ſit opera Bezae, Druſii, Vorſtii, Keuchenii, aliorumque, qui formularum Noui Teſtamenti vim, adhibito vſu loquendi Hebraeorum, aperire, et demonſtrare, inſtituerint, ſtudiis eorum, qui eandem orationis ſcriptorum diuinorum partem e libris auctorum Graecitatis veterum illuſtrare conati ſint. Namque hoc perſuaſum ſibi, et exploratum, habere quiſque debet, vt ſcriptores Noui Teſtamenti rationem Hebraeorum ſequuti ſint in vſurpandis verbis ſingulis, et in componendis, coagmentandiſque, orationis partibus, atque membris, ita omnes propemodum dicendi formulas ab iis expreſſas eſſe, atque effictas, e formulis Hebraicis. Cuius quidem rei argumentum vel maxime idoneum, et grauiſſimum, hoc eſſe putamus, quod multarum formularum, et origo, et poteſtas, lateat abdita plane, atque omnino ignoretur, niſi indicium linguae Hebraicae

56. C. 9, 22. 15, 28. 17, 18. Interpres Hebraeus Munſteri vſus eſt *formula* מִשָּׁעָה הַהִיא.

57. C. 8, 44. 47.

58. C. 15, 30. Sic apud Cic. p. red. in ſen. 6. leguntur verba *horam nullam* pro momentum nullum.

cae accesserit. Loci enim barbarorum scriptorum fere nihil valent, neque ad indagandum fontem, vnde formulae, quibus scriptores diuini vtuntur, fluxerint, neque ad naturam earum patefaciendam: immo prosunt tantum hactenus, vt, si potestas eiusmodi formularum, linguae Hebraicae auxilio, reperta fuerit, quae eodem modo vsurpatae ab externis scriptoribus legantur, conuenientia linguae Graecae inde cum Hebraica, atque adeo vtriusque sermonis necessitudo, et coniunctio, summa cognoscatur. Ex quo quidem sponte iudicari posse speramus, quam inanem susceperint operam Horatius Vitringa, Georgius, et alii, qui ausi sunt Vorstii, eruditissimi viri, praeclarum opus de Hebraismis Novi Testamenti labefactare, et euertere: sed omnibus istis moliminibus nihil egere aliud, nisi vt prouidentia singularis, et diligentia, auctoris eo magis emineret, et appareret, qui opus suum ita fundasset, vt conuelli nulla machinarum vi posset. Atque hoc in numero ponere non dubitamus formulam εἰπεῖν πᾶν πονηρὸν ῥῆμα κατά τινος, quae legitur eo loco commentariorum Matthaei [59], quo Christus ostendit, discipulos suos accusatum iri, grauibusque criminibus, sed falsis illis, et fictis, oneratum, ab inimicis, et aduersariis, doctrinae diuinae, ita tamen, vt istae iniuriae, et criminationes, iniquorum comparaturae ipsis sint ingentem quandam summorum bonorum, commodorumque, vim, et copiam, post mortem in caelo. Hanc igitur formulam Latine explicant, Beza praeeunte, Lexica tantum non omnia *quiduis mali dicere aduersus aliquem.* Quae

59. C. 5, 11.

Quae quidem eius interpretatio quam incerta ſit, et ambigua, quis non videt, quum, quid ſignificetur *mali* nomine, non ſatis appareat? Sed omnia perſpicuitatis impedimenta remoueri, et tolli, omnes ambiguitatis tenebras diſcuti, et fugari, poſſe ſperabamus hoc modo. Chriſtus enim quum attigiſſet [60] eas iniurias, quibus futurum eſſet vt afficerentur Apoſtoli, diuinaeque doctrinae interpretes, in vita communi, et extra iudicia: etiam docuit, et tanquam vates cecinit, quae euentura iiſdem eſſent in ipſis iudiciis, et conciliis, coetibuſque, hominum publicis, *μακάριοί ἐϛε*, inquiens, *ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς, καὶ διώξωσι, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ᾽ ὑμῶν, ψευδόμενοι, ἕνεκεν ἐμȣ̃.* Iam dubitari a nemine recte poſſe videmus, quin verbum *ὀνειδίζειν* pertineat ad probra, quae aduerſarii doctrinae Chriſtianae Apoſtolis obiecturi eſſent apud magiſtratus, et ad maledicta, quibus eoſdem eſſent vexaturi in conciliis, conuentibuſque, hominum publicis. Nam primum quidem verbum illud etiam a Polybio de huius generis probris, et maledictis, vſurpatum eſſe, Raphelius docuit: deinde e multis locis actorum Apoſtolorum [61] apparet, eos laceratos eſſe publice a philoſophis, aliiſque hominibus barbaris, probris, et maledictis, acerbiſſimis: denique quum *διώκειν* ſit verbum forenſe, et iudiciale, quod *accuſare*, *litem intendere*, ſignificet; quum quis, vel apud populum accuſetur, vel apud magiſtratus: nec verbi *ὀνειδίζειν* ingenium ab ingenio verbi *διώκειν* diſcrepare poſſe, quis non intellegit? Sed hac ipſa ex re, quum vtrique illi verbo ſubiuncta ſit formula

60. v. 10.

61. Vt c. 17, 18.

mula *εἰπεῖν πᾶν πονηρὸν ῥῆμα κατά τινος*, eam recte existimari posse arbitramur eiusdem esse generis, atque adeo valere *afferre criminationes omnis generis aduersus aliquem*, ita, vt, addito participio *ψευδόμενον*, idem declaret, quod apud Graecos formula *διαβάλλειν τινὰ*, quam ipsam Isocrates alicubi [62] aduerbio *ψευδῶς* auxit, *criminari aliquem* quouis modo, *criminationes* omnis generis *falsas contra aliquem afferre.* Expressa enim est e formulis Hebraicis הוֹצִיא דִבָּה עַל־פְּלֹנִי, et הוֹצִיא דִבַּת פְּלֹנִי רָעָה, quae quarto in libro Mosis [63] leguntur de exploratoribus; qui mentiti erant, Palaestinam esse regionem asperam, cuius agri essent longe malignissimi, et macerrimi, incolae procerissimi, et inuicti; sed vsurpantur omnino de iis, qui infamant, qui spargunt infamia, alios. Quod quidem quis ignorat propositum maxime esse falsarum, commenticiarumque, criminationum auctoribus? Iudaei autem Alexandrini, qui verba Mosis לְהוֹצִיא דִבָּה עַל־הָאָרֶץ verterunt *ἐξενέγκαι ῥήματα πονηρὰ περὶ τῆς γῆς*, ipsos exploratores, qui a Mose dicuntur אֲנָשִׁים מוֹצִיאֵי דִבַּת־הָאָרֶץ רָעָה, nominant. *ἀνθρώπους τοὺς κατειπάντας πονηρὰ κατὰ τῆς γῆς.* Quorum quidem locorum comparatio, et contentio, quem non doceat, fontem, e quo manarit formula illa Graeca, cuius de potestate quaerimus, esse sermonem Hebraicum? quem non iubeat, atque adeo cogat, assentiri Bezae, qui nomen *ῥῆμα* recte, saluaque Christi sententia, abesse posse censuit? Certe in codice eius admodum vetusto, sed lectionibus versionis Latinae veteris multis contaminato, simpliciter scriptum lege-

62. ad Nicoclem p. 44. Basil. a. 1571.

63. C. 13, 32. 14, 36. f.

legebatur πονηρόν· cuiusmodi codicibus, praeter Chrysostomum [64], aliosque ecclesiae veteris doctores, vsus reperitur Latinus non minus, quam Hebraeus Munsteri, quem tamen ipsum novimus fere Latini vestigia sequi, interpres. Hic enim verba Christi ante commemorata sic interpretatus est, וַיֹּאמְרוּ אֵת־כָּל־רָעָה עֲלֵיכֶם: ille hunc in modum, *et dixerint omne malum aduersum vos.* Et quum eodem illo loco Mosis [65] pro Hebraico vocabulo דִּבָּה in Aquilae reliquiis extet nomen Graecum διαβολή· quis dubitet, quin formula εἰπεῖν πονηρὸν ῥῆμα κατά τινος ψευδόμενον idem declaret, quod διαβάλλειν τινά; praesertim quum haec eius interpretatio adiuuetur, atque adeo confirmetur, ipsius historiae illorum temporum auctoritate, et fide. Quis enim e Iustini Martyris, Athenagorae, Tertulliani, aliorumque eiusdem aetatis scriptorum, libris non habet cognitum, ab hostibus doctrinae diuinae allatas esse contra Christianorum familiam, eiusque duces, et principes, apud magistratus barbaros criminationes omnis generis grauissimas, quod omnem vim, numenque diuinum, tollerent, quod delectarentur flagitiis nefariis, et impiis, quod infantes occiderent, eorumque carnibus corpora replerent sua [66]? Sed in eiusdem Matthaei commentariis [67] princeps, et magister, geniorum malorum legitur adscendisse cum Christo in montem quendam praealtum, qui esset Hierosolymis vicinus, eique inde demonstrasse πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου. Haec scriptoris diuini verba plerique Lexicographi Latine vertunt, *omnia regna mundi:* nonnulli interpre-

64. lib. 3. de sacerdotio c. 11. p. 130. Bengel.

65. Numerr. 14, 37.

66. Vid. Iustinus Martyr Apol. 1, 35. s.

67. C. 4, 8.

pretantur, *omnia regna orbis terrarum*. Hoc vero non est explicare, atque illustrare, orationem Matthaei, immo etiam obscurare, et implicare, magis. Neque enim sic intellegi vllo modo potest, ostenderitne Satanas Christo omnia regna vniuersi orbis terrarum, an certae cuiusdam regionis, et partis; sed multo etiam minus apparet, quaenam fuerit regio illa, orbisque terrarum pars. Vt igitur remouerentur omnia intellegentiae verborum illorum impedimenta; vt legentibus omnis tolleretur dubitatio: verba Euangelistae arbitramur reddi Latine debuisse, *omnes partes, et regiones, Palaestinae*, vel, omisso orationis circuitu, *vniuersam Palaestinam*. Nam primum quidem in promtu est, vt opinor, et manifestum omnibus, Satanan propterea adscendisse cum Christo in montem altissimum, vt inde ostenderet oculis eius eas partes, eas regiones, orbis terrarum, quas obire oculis vterque e specula montis posset. Si enim Satanas voluisset tantum menti seruatoris optimi obiicere species omnium regnorum orbis, quae erat Theophylacti [68] opinio; si ea ipsi verbis tantum, atque oratione, persequi voluisset, qua in sententia videmus fuisse, praeter plures alios, Palaretum: nihil sane caussae erat, cur se cum eo in montem, eumque praealtum, conferret, quum idem fieri

68. Scripsit enim ad h. l. p. 16. Rom., Τινὲς μὲν νομίζουσιν ὄρος ὑψηλὸν τὸ τῆς φιλοχρηματίας πάθος, εἰς ὃ σπουδάζει ἀναγαγεῖν τὸν Ἰησοῦν ὁ ἐχθρός· ἀλλ᾽ οὐ καλῶς νομίζουσιν. Αἰσθητῶς γὰρ ἐφάνη αὐτῷ ὁ διάβολος. Λογισμοὺς γὰρ ὁ Κύριος οὐκ ἐδέξατο· μὴ γένοιτο. Αἰσθητῶς οὖν αὐτῷ ἔδειξεν ἐν τῷ ὄρει πάσας τὰς βασιλείας κατὰ φαντασίαν ὑποστήσας αὐτῷ πρὸ ὀφθαλμῶν ταύτας.

fieri in campo, atque planitie, recte potuisset. Sed, neque orbis terrarum vniuersus, neque partes eius promiscue omnes, propinquae, remotae, perlustrari oculis e montis specula poterant, nec si Satanas, vt Charon, et Mercurius, apud Lucianum, Olympo Ossam, et Pelion, imposuisset: immo sola Palaestina. Nam Hierosolymorum moenia cincta erant multis montibus altissimis [69]: quorum vnius e vertice quin prospici potuerit tota Palaestina, quis dubitet? quum deus etiam Mosi legatur [70] e Nabo monte, qui erat trans Iordanem in Moabitide contra Ierichuntem situs, ostendisse eandem terram. Deinde decepti esse plerique interpretes librorum Noui Testamenti videntur vocabulo κόσμος, eoque deducti, vt cogitarent de omnibus vniuersi orbis terrarum regnis, vt omnia mundi videlicet regna somniarent. Sed in libris diuinis meminisse debebant isto vocabulo non semper *mundum*, sed saepenumero, nunc *orbem terrarum vniuersum*, nunc *certam* quandam illius *partem*, et *regionem*, significari. Petrus quidem Apostolus [71] vndis obrutum interiisse ait τὸν τότε κόσμον, hoc est, *totum orbem terrarum:* sed Paulus in epistola [72], quam ad Christianos, qui Romae erant, misit, grauitatem eorum, et virtutem, celebrari ostendit ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, hoc est, *in vniuersa Graecia.* id quod ex eo apparere arbitrabamur, quod Paulus literas illas Romam Corintho misit. Et ὁ κοσμος, quem Christus apud Iohannem [73] ostendit, et sibi

69. Vid. Ps. 125, 2.
70. Deut. 34, 1. ss.
71. 2. ep. 3, 6. coll. v. 7.
72. C. 1, 8. Sic *India* vocatur ὁ ἡμέτερος κόσμος a Dandamio, Bragmanum magistro, apud Palladium de Bragmanibus p. 12. Londin.
73. C. 15, 18. coll. 12, 19. 18, 20. add. Romm. 4, 13.

ſibi moleſtum fuiſſe, et Apoſtolis moleſtias allaturum eſſe, ſane nulla alia ciuitas eſt, quam ciuitas Iudaeorum. Sed noui iſti, Graeciſque antiquis inauditi, ſignificatus vocabuli κόσμος ducti eſſe videntur ab vſu loquendi Iudaeorum illius aetatis. Iudaeos enim tum in vita communi, et conſuetudine cotidiana, ſuſpicor nomine עולם vſos eſſe, non tantum de *mundo*, rebuſque omnibus, quae eius ambitu continentur, ſed etiam de *orbe terrarum*, eiuſque ornamentis omnibus [74], atque adeo de *partibus* eius, et *regionibus*, certis. Certe Syrus interpres librorum Noui Teſtamenti in omnibus iis locis, quibus vocabulum κόσμος ita poſitum occurrit, illud nomine ܥܠܡܐ reddidiſſe reperitur. Quae quidem omnia ſatis declarare, κόσμον apud Matthaeum recte accipi de *Palaeſtina* poſſe, quis non videt? Iam vero Lucas eo commentariorum loco, quo eandem illam rem perſequutus eſt [75], Satanan Chriſto monſtraſſe tradit πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης· ſed *Iudaeam*, et ab ipſo Luca alibi [76], et ab Ioſepho [77], appellari πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, nemo ignorat. Et profecto, id quod maximum eſt, nulli alii parti, et regioni, orbis terrarum, quam Palaeſtinae, tribui multa regna poſſunt. Haec enim deſcripta tum, et diuiſa, erat in Iudaeam, Idumaeam, Samariam, Galilaeam, Peraeam, Batanaeam, Auranitidem, et Trachonitidem. His Palaeſtinae regionibus, et partibus, praeerant tres

74. Matth. 16, 26.
75. C. 4, 5.
76. C. 2, 1. Act. 11, 28. Vid. Proluſ. 3, 2.
77. Archaeol. 8, 7. p. 256. Baſil. 8, 13. ſ. 4. Hauerc. Intell. ὑπὸ Ἰουδαίους· vt *orbis Romanus* ab Herodiano 5, 2. 4. vocatur ἡ ὑπὸ Ῥωμαίους οἰκουμένη.

tres Herodis magni filii, Archelaus, Antipas, Philippus: qua de re omni accurate, et diligenter, Iosephus in Archaeologiae [78] libris exposuit. Ii quum non modo ἐθνάρχαι, et τετράρχαι, sed etiam βασιλεῖς, in Euangelistarum commentariis appellentur, atque adeo βασιλεύειν dicantur [79]: quidni regiones Palaestinae, et partes, quibus praeerant, a Matthaeo, et Luca, recte potuerint βασιλεῖαι nominari? Sed ex his omnibus satis perspici a quoque posse speramus, primum πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου a Matthaeo dictum esse pro πάντα, vel ὅλον, τὸν κόσμον· deinde per τὸν κόσμον significari τὸν Ἰουδαῖον κόσμον, hoc est, *Palaestinam:* vt orbis, imperiumque Romanum, a Gelasio Cyziceno in historia consilii Nicaeni alicubi [80] ὁ Ῥωμαῖος κόσμος vocatur: adeo, vt πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου idem sit, quod ὅλην τὴν Ἰουδαίαν [81]. Et quum δόξα, vt כָּבוֹד apud Hebraeos, regnis ita tribuatur, vt eorum ornamenta indicentur; quum ornamenta regnorum contineantur maxime amplitudine finium, vrbiumque, et magnarum, et frequentium, multitudine,

78. 17, 13. Basil. add. Idem de B. I. 2, 9. Basil. et Prolus. 18, 3.

79. Vid. Matth. 2, 22. 14, 9. Marc. 6, 14. 22. 25. 26. 27. Act. 12, 1. Conf. Prolus. 18, 3. Sic Ioh. Malelas chronogr. p. 305. Oxon. Ἀπὸ τότε καὶ ὁ Βαπτιστὴς Ἰωάννης ἐγένετο τοῖς ἀνθρώποις· καὶ ἀπέτεμεν αὐτὸν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς, ὁ Φιλίππου, ὁ τοπαρχῶν, ἤτοι βασιλεύων [leg. τοῦ τοπαρχοῦντος, ἤτοι βασιλεύοντος· vid. Luc. 3, 1.], τῆς Τραχωνίτιδος χώρας.

80. Vid. Suicerus thes. eccles. v. κόσμος p. 152. To. 2. edit. pr. Sic idem orbis Romanus vocatur *mundus* a Trebellio Pollione in Gallienis duobus c. 6. et a Flauio Vopisco in Probo c. 11.

81. Sic Esr. 1, 2. Cyrus, rex Persarum, ait, deum dedisse sibi כָּל מַמְלְכוֹת הָאָרֶץ, πάσας τὰς βασιλείας τῆς γῆς, h. e. *totam Asiam.*

ne, etiam agrorum fertilitate, atque vbertate: vix dubitari posse putamus, quin Satanas Christo ex illo monte, non modo regna Palaestinae omnia monstrauerit, sed finium etiam cuiusque amplitudinem, atque vrbium multitudinem, ostenderit. Nam qui, pro noua sua sapientia, Satanan hic quoque tollere, alium Christi aduersarium, nescio quem, inducere, conantur, eorum ratio, praeterquam quod vsui loquendi scriptorum diuinorum plane repugnat; ab his enim quis nescit principem geniorum malorum vbique vocari τὸν διάβολον [82]? nec propterea valere vllo modo potest, quod Lucas refert, Satanan obiecisse oculis Christi [83] vniuersam Palaestinam ἐν στιγμῇ χρόνου? Quod quidem quis tanta ingenii abundantia praestat, qui, non dicam cogitare, sed somniare, possit, ab vllo mortalium fieri potuisse? Et quem tandem hominem putemus, nisi delirum, et insanum, emittere potuisse has voces, ταῦτα πάντα σοι δώσω [84], et, σοὶ δώσω τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν, ὅτι ἐμοὶ παραδέδοται, καὶ ᾧ ἐὰν θέλω, δίδωμι αὐτήν [85].

III. Sed satis dictum videtur de secundo Lexicorum Noui Testamenti vitio, quod positum esse demonstrauimus in ambiguitate interpreta-

 tio-

82. Vid. Matth. 13, 39. 25, 41. Luc. 8, 12. Ioh. 8, 44. 13, 2. Act. 10, 38. Eph. 4, 17. 6, 11. 1. Pet. 5, 8. Iustinus Martyr Apol. 1, 36. παρ' ἡμῖν μὲν γὰρ ὁ ἀρχηγέτης τῶν κακῶν δαιμόνων, Ὄφις καλεῖται, καὶ Σατανᾶς, καὶ Διάβολος.

83. C. 4, 5. Nam verbum δεῖξαι nominibus rerum, quae sub adspectum cadunt, adiunctum semper significat, vt Hebr. הֶרְאָה, *oculis subiicere, demonstrare, ostendere*. vid. Xen. Cyrop. 3, 2. 1. Aristoph. Nubb. 323.

84. Matth. 4, 9.

85. Luc. 4, 6.

tionis verborum, et ſingulorum, et iunctorum. Id enim vel maxime vitari debuiſſe ab omnibus eiuſmodi librorum auctoribus, etiam caecos videre ſperamus. Nam Noui quoque Teſtamenti Lexica, et componuntur, et eduntur, propterea, vt oratio ſcriptorum diuinorum Graeca ab lectoribus facilius, planiuſque, intellegatur. Sed intellegentiae eius nihil plus obeſt, atque officit, quam orationis interpretum ambiguitas, quae menti legentium fere offerat, et imprimat, omnes alias rerum formas, et ſpecies, quam quae ſcribentium animo obuerſatae fuerint.

IIII. Reliquum eſt, vt veniamus ad rem eam, cuius cauſſa hic ipſe a nobis libellus propoſitus eſt. Conſtituerunt enim alumni diſciplinae noſtrae duo, CHRISTI. DAN. BECQVIVS, et IOH. FRIDER. SCHLEVSNERVS, *Lipſienſes*, quibus ſe ſocium addere iuſſimus CHRISTI. GODOFR. THOMASIVM, *Lengefelda Nariſcum*, e ſchola Thomana in Academiam patriam ita tranſire, vt facultatis antea Latine dicendi qualiſcunque ſuae documenta darent publice: quos non dubitamus, quin libenter ornaturi ſint praeſentia ſua omnes bonarum literarum fautores, in primiſque ii, qui, vel principis, vel ſenatus, nomine ſcholae praeſunt. Nam vt iuuenes illi omnes fauore doctorum hominum digni videntur, ob magnam cupiditatem literarum, et virtutis ſtudium non mediocre: ita in primis *Becquius* ſic eminet his laudibus, ea dedit nobis adhuc documenta, et ſummae modeſtiae, et ardentis cuiuſdam omnis liberalis doctrinae amoris, vt, non tam ſperare, quam confidere, poſſe videremur, eum, et genti

ti Stemleriae, quam neceſſitudine attingit, et patriae, atque literis, magno aliquando fore ornamento. Et nos nouo hoc fauoris, beniuolentiaeque, argumento excitati, et obſeruantiam ſemper declarare ſtudebimus omnibus modis erga rei Thomanae fautores noſtram, et elaborabimus in dies magis, acriuſque, in eo, vt patriae, et literis, educemus probos, doctoſque, adoleſcentes. Quam quidem operam noſtram multo gratiorem fore ſperamus optimo cuique, quam omnia cultus, et obſeruantiae, tralaticiae ſingularia, et exquiſitiſſima, genera. Scripſimus in Schola Thomana a. d. VI. Nonas Maias A. C. CIↃIↃCCLXXV

PROLVSIO QVINTA

DE NOTIONIBVS IVSTO AMPLIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS E PRAEPOSITIONIBVS COMPOSITIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Quum is, qui partes interpretis aliorum librorum ſuſcipere, et bene agere, velit, ſequi debeat, et ſpectare, vnice hoc, vt excitentur, atque effingantur, in mente legentium imagines, formaeque, rerum eae, quae menti ſcribentium obuerſatae fuerint; ſiue illa lingua vtatur, qua ſcriptores ipſi vſi ſunt, ſiue alia: facile intellegitur, qui in explicanda aliorum oratione ita verſentur, vt, vel falſae, et mendaces, rerum imagines offerantur menti lectoris, vel incertae, et obſcurae, eos graui interpretum nomine neutiquam dignos eſſe cenſendos. Itaque nos, qui vitia Lexicorum Noui Teſtamenti inveſtigare diligentius, et liberius notare, inſtituiſſemus, vanitatem, atque ambiguitatem, orationis, quam conditores iſtorum librorum adhibuiſſent in euoluendis, et tradendis, notionibus verborum Graecorum, et ſimplicium, et iunctorum, vel in primis proferendam, reprehendendamque, putauimus: et vt vitaremus ſuſpicionem

nem cupiditatis, atque temeritatis, omnem, propofuimus fuperioribus in libellis magnam copiam vtriufque generis verborum, vel male, et perperam, in iftis Lexicis, vel obfcure, et ambigue, explicatorum. Sed ab eorundem librorum auctoribus videmus etiam hanc in partem esfe peccatum, vt multis verbis, et fimplicibus, et iunctis, tribuerint, nunc maiorem, et ampliorem, nunc anguftiorem, et minorem, vim, atque poteftatem, quam iis vfus loquendi, vt omnino bonorum Graecitatis auctorum, ita maxime fcriptorum diuinorum, dedifle, et quafi asfignaffe, reperiretur. Boni enim, idoneique, interpretis officium eft, rerum verbis expreffarum imagines menti legentium exhibere integras, quae, non modo partes fuas omnes habeant, neque fint earum vlla truncatae, fed nec alienis, et adfcitis, partibus ornatae, et auctae. Nam vt omnis benignitas, malignitafue, inepta, et ftulta, femper reperitur rationibus, et commodis, aliorum obeffe: ita nimia, et importuna, interpretum fedulitate, quae fignificationes verborum, et fimplicium, et iunctorum, vel augeat, vel minuat, lectores librorum, vt humanorum, ita etiam diuinorum, impediri, ne, quid fenferint fcriptores, quidque dixerint, videant, quis non intellegit?

II. Atque illud quidem vitium, quod cernitur in tribuenda verbis fingulis vi, et poteftate, iufto maiore, atque ampliore, commune effe cognouimus Lexicis Noui Teftamenti propemodum omnibus, ita tamen, vt veftigia eius appareant maxime in interpretatione verborum e praepofitionibus compofitorum, nominum item pluralium, et vocabulorum tralatorum, atque

 immu-

immutatorum, quae vulgo tropica appellantur. Sed ne forte quis vitium iſtud a nobis confictum putaret, quo, non tam diſputandi materiem, quam conquerendi cauſſam, nanciſceremur; vt viderent omnes, querelas noſtras de hac inſcitia, et neglegentia, plerorumque Lexicographorum Noui Teſtamenti veras eſſe, neque inanes: viſum eſt, verba triplicis illius generis ſimplicia nonnulla proferre, quorum poteſtatem planum faceremus in iſtorum hominum libris circumſcriptam eſſe finibus, et terminis, iuſto ampliorìbus. Et quoniam huius diſputationis eam eſſe videbamus vbertatem, et copiam, quae coniici, et conferri, in vnius libelli anguſtias recte non poſſet: nunc quidem primi tantum generis exempla quaedam depromere ex aduerſariis noſtris, atque exponere, placuit.

III. Quum enim plerique interpretes librorum diuinorum Noui Teſtamenti recentiores in ea reperiantur fuiſſe ſententia, vt putarent, in omnibus eorum particulis, atque adeo ſyllabis, vim, neſcio quam, ſepoſitam latere, ac reconditam; quum Lexica Noui Teſtamenti fere omnia ex horum hominum verſionibus Latinis, et commentariis, tota, tanquam e fontibus riui, fluxerint: mirandum profecto non eſt, verba e praepoſitionibus compoſita iſtis in libris legi ita explicata, vt iis plus ſignificari, quam verbis ſimplicibus, lectores doceantur. Ἀναστενάζειν igitur eſt, auctoribus Lexicographis, *ſurſum, alte, ingemiſcere*, non *gemere*, *ſuſpirare;* ἀνθομολογεῖσθαι *viciſſim confiteri*, *voce conſentiente celebrare*, non *laudare;* ἀποθλίβειν *comprimere*, *undiquaque premere*, non *premere;* ἀποκαραδοκία *attenta exſpectatio*, *exſpectatio ad finem vſque*, *et exſerto capite*, *vehemens de-*

desiderium, non *exspectatio*; *διατηρεῖν solicite*, *solerter*, *constanter*, *seruare*, non *conditum tenere*; *ἐγκομβοῦσθαι intus se ornare*, non *se ornare*; *καταφιλεῖν deosculari*, non *osculari*; *παραπορεύεσθαι praeterire*, *proxime praeterire*, non *ire*, *transire*. Iam vero quam falsa sit, et vana, horum, aliorumque eius generis, verborum interpretatio; quae si apponere omnia, persequique, voluissemus, non vnus nobis, duoue, sed plures, eiusmodi libelli fuissent componendi; neminem, qui quidem vsum loquendi scriptorum, et profanorum, et sacrorum, teneat, futurum esse speramus, qui non sponte, et sine nostro admonitu, videat. Nam primum quidem sciunt hodie fere omnes, vnoque consensu fatentur, scriptores Graecos ad vnum omnes, in primisque Atticos, verbis e praepositionibus compositis, vt *ἀνὰ*, *ἀπὸ*, *διὰ*, *ἐκ*, *κατὰ*, plerumque ita esse vsos, vt iis notionem, et vim, verborum simplicium subiecerint. Hanc vero obseruationem, cuius auctores nouimus esse, non recentiores, multo minus hodiernos, sed veteres, grammaticos, qui ea de re lectores scriptorum, maximeque poëtarum, diligenter admonuisse reperiantur [1], innumerabilis eiusmo-

1. Schol. Apollonii Rhod. ad Argonautt. 3, 665. *ἐπιπρομολοῦσα· περιττεύει ἡ ἐπὶ πρόθεσις· ὡς ἐν τῷ ἐπιβουκόλος.* Idem ad 1, 786. *προφανέντι· περιττὴ ἡ πρὸ πρόθεσις·* et ad 1, 1351. *ἀποκρίναντες· — πλεονάζει δὲ ἡ ἀπὸ πρόθεσις.* Schol. Sophoclis ad Philoctet. 847. p. 160. Cantabr. *ἐξιδοῦ· θεώρησον, βλέψον· πλεονάζει γὰρ ἡ ἐξ, καθάπερ καὶ ἐπὶ τούτων, ἀνεπίστασο ἀντὶ τοῦ ἐπίστασο, καὶ ἐνδίδαξον ἀντὶ τοῦ δίδαξον.* Harpocratio, et ex eo Phavorinus: *Ἀπολαχεῖν, ἀντὶ τοῦ ἁπλοῦ λαχεῖν.* —. Eustathius ad Il. *α* p. 17. *προΐαψεν· — ἢ ἁπλῶς ἔπεμψεν, ὡς πλεοναζούσης τῆς προθέσεως.*

di locorum multitudinis auctoritas ita confirmat, vt, qui contra ſentire cum Abreſchio [2], nonnulliſque

σεως., καθὰ καὶ ἐν τῷ νῆας προπάσας, καὶ ἐν ἄλλοις πολλοῖς. add, idem ad Il. ζ′ p. 641. 25. ad Il. ι p. 763. 46. ad Odyſ. δ′ p. 1501. 37. ad Odyſ. ϑ′ p. 1593. 8. Moſchopulus ad Iliad. α′, 3. προΐαψεν, ἀντὶ τȣ̃ βλάψασα ἔπεμψεν· ἢ πρὸ περισσή· ὡς ἐν τῷ προλιπεῖν· et ad v. 82. μετόπισθεν· περισσὴ ἡ μετά. Schol. Ariſtoph. ad Equitt. 37. παραιτησώμεθα· περιττὴ ἡ παρά· ἔςι γὰρ αἰτησώμεθα, παρακαλέσωμεν. Πλεονάζȣσι γὰρ, καὶ ἐλλείπȣσι, ταῖς προθέσεσι Ἀττικοί. Conf. Etymol. M. v. παραιτεῖσθαι. Idem ſchol. ad Plut. 499., et ex eo Phauorinus v. ἀνερώτα· τὸ δὲ ἀνερώτα, ἢ περιττὴν ἔχει τὴν πρόθεσιν, ἢ δηλωτικόν ἐςι τȣ̃ πολλάκις ἐρωτᾶν. Et prior quidem ratio vera eſt. vid. Xen. Cyrop. 1, 4. 3. Macrobius de differentt. et ſociett. Graeci Latinique verbi p. 651. Gronou. *Memineris, nullam fere inueniri apud Latinos praepoſitionem, quae nihil addat ſenſui, ſicut apud Graecos ſaepe praepoſitio nullam ſenſus facit permutationem.* Stephanus Theſ. L. Gr. v. ἀνακαθαίρω p. 4. To. 2. *Praepoſitio ἀνὰ interdum auget, interdum nihil ſignificationi addit, ſicut nec caeterae nonnunquam.* Idem praeceptum de vi verborum huius generis tradidit, multiſque exquiſitis exemplis illuſtrauit, Reineſius in epiſtolis ad Rupertum, ep. 69. p. 605. Etiam Ioh. Boiſius, in collatione veteris interpretis cum Beza, aliiſque recentioribus, grauiter notauit, reprehenditque, multis locis ſtultitiam eorum, qui verbis e praepoſitionibus compoſitis ſemper plus ſignificari in libris diuinis putarent, quam verbis ſimplicibus. vid. p. 3. 145. 173. et 435.: quo loco, *cum praepoſitiones*, inquit, *in compoſitione non raro ad ſpeciem, et pompam, magis faciant, quam ad ſignificationis vſum: arbitror, nullum admitti piaculum, ſi aliquoties negligantur.*

2. Dilucidatt. Thucydd. p. 136.: *Me certe eorum haud eſſe poenitet ſententiae, qui ſtatuunt, rariſſime praepoſitiones in compoſitione* μάτην τίθεσθαι, ἀλλὰ σημαίνειν τι, *vt verbis vtar Euſtathii ad Iliad.* β′ *p. 164. 36.: etſi non aeque facile vbique ſignificationis ratio pateat.* De ſignificatione praepoſitionum Graecarum in compoſitis peculiarem libellum edidit Caſp. Frider. Hachenbergius, Trai. ad Rhen., A. C. 1771. 8.

lisque aliis, audeant, hi saepenumero iis implicentur interpretationis laqueis, e quibus exuere se honeste, atque explicare, nullo modo valeant. Et quomodo tandem a tot librariis potuissent tot in locis librorum veterum pro verbis huius generis compositis substitui verba simplicia, nisi ista adscripta ab grammaticis, vel inter versus paginarum, vel in marginibus, inuenissent [3]? Quae quidem sententia etiam eo adiuuatur, quod illa ipsa verba composita in scholiis, et Glossariis antiquis, leguntur fere simplicibus verbis explanata. Neque vero dubitandum vllo modo putamus, quin vsum huius verborum generis crebrum, et genuerit, et commendauerit stylo scriptorum veterum, vrbanitatis studium, quod eos iuberet rem quamque iis exprimere verbis, quorum sono pleno, et dulci, aures liberales, atque eruditae, iuuarentur, et oblectarentur. Graecos enim omnes, sed in primis tamen Atticos, huius quoque vrbanitatis, humanitatisque, generis fuisse studiosissimos, quis nescit? Deinde attentos, et diligentes, librorum Noui Testamenti lectores non potest fugere, ab auctoribus

3. Sic ap. Xen. Cyrop. 1, 2. 2. διαμνημονεύεται· sed ap. Stobaeum Eclogg. ethth. c. 42. p. 282. Turic. est μνημονεύεται· 1, 4, 6. προΐδοι cod. Brem. Guelf. ἴδοι· 1, 4. 18. ἐξοπλίσασθαι· cod. Guelf. ὁπλίσασθαι· 1, 4. 23. κατέκαινον· Iunt. et cod. Altorp. ἔκαινον· 2, 3. 3. ἀποπειρώμενον· cod. Guelf. πειρώμενον· 2, 3. 10. ἀφηγεῖσθαι· cod. Guelf. ἡγεῖσθαι· 2, 4. 8. προγιγνώσκων· Iunt. et cod. Altorp. γινώσκων· 4, 1. 1. κατεστρατοπεδεύσαντο· cod. Guelf. et Zonar. ἐστρατοπεδεύσαντο· 6, 2. 4. ἐκτεταγμένοι· cod. Altorp. Guelf. τεταγμένοι· 6, 3. 3. καταμανθάνειν· Zonar. μανθάνειν· 7, 5. 12. ἀνέπεμπε· Zonar. ἔπεμπε· 8, 6. 9. κατανύτοι· Zonar. ἀνύη.

bus eorum eadem verba Hebraica reddita esse, interpretum alterius Testamenti Alexandrinorum exemplo, et auctoritate, verbis Graecis, alias compositis [4], alias simplicibus [5], ita, vt verba e praepositionibus coagmentata omnia in libris diuinis per se potestate paria verbis simplicibus ponenda esse appareat. Cuius quidem obseruationis non minus, quam superioris illius, si Lexicorum Noui Testamenti conditoribus rationem habere placuisset: profecto, neque aliis verbis compositis, neque iis, quae supra a nobis, exempli caussa, proposita sunt, tribuissent, inuitis scriptoribus diuinis, maiorem vim, ac potestatem, quam verbis simplicibus. Nam *ἀναστενάζειν*, quo verbo Marcus in commentariis vsus est [6], significare simpliciter *suspirare*, *ingemiscere*, *gemere*, ita certum est, et exploratum, vt vehementer mirandum sit, repertos esse, qui illud docerent valere *alte ingemiscere*. Marcus enim ipse hoc verbum commutauit [7] verbo simplici *στενάζειν*· sed vtroque verbo expressit verbum Hebraicum אֲנָחָה, quo simpliciter *gemitum*, et *suspiratum*, indicari, quis ignorat? Neque tamen id sponte fecit, sed Alexandrinorum Iudaeorum exemplo, qui pro illo ipso Hebraeorum verbo in versione sua, et *στενάζειν* [8], et *ἀναστενάζειν* [9], ita posuere, vt interpres Marci Syrus vtrumque verbum Graecum explicauit eodem verbo ܐܬܬܢܚ, Latinaeque versionis auctor verbo *ingemi-*

4. V. c. *ἐπερωτᾷν* Matth. 16, 1., sed c. 15, 23. *ἐρωτᾷν*.

5. Haec igitur interdum vim verborum compositorum habent: vt *ἥκειν*, et *ἔρχεσθαι*, *reuenire* Matth. 24, 50. 25, 19. coll. Gen. 27, 30.

6. C. 8, 12.

7. C. 7, 34.

8. Threnn. 1, 8. 21.

9. Threnn. 1, 4.

gemiscere: adeo, vt nec illorum librariorum neglegentia magnopere reprehendenda sit, qui in locis Euangelistae supra laudatis, et ἀνεστέναξε pro ἐστέναξε, et στενάξας pro ἀναστενάξας, scripsere. Sed, nec Marcus, nec septuaginta interpretes V. T., debent cuiquam vsum loquendi Graecorum neglexisse videri. Hi enim, vt multis aliis verbis e particula ἀνὰ compositis vsi sunt pro verbis simplicibus [10], ita nec verbum ἀναστενάζειν aliter vsurpasse reperiuntur. In Xenophontis quidem Symposio [11] de Philippo, scurra, haec leguntur, καὶ ὃς ἀναστενάξας εἶπε, ναὶ μὰ Δί', ἔφη, ὦ Καλλία, μεγάλη γε. Hic vero locus quin sit loco Marci simillimus, quis dubitet, quum Euangelistam in promtu sit verbo ἀναστενάξας verba τῷ πνεύματι αὐτοῦ adiunxisse, ex Hebraica ratione, sicut alio commentariorum loco [12] ἐπιγνοὺς τῷ πνεύματι αὐτοῦ dixit, quum, e Graeca ratione, dicere simpliciter ἐπιγνοὺς potuisset? Nam etiam Homerus γνῶναι κατὰ θυμὸν [13], Hebraicam consuetudinem imitatus, dixisse videtur. Atque vsus loquendi Hebraeorum indicio patet, verbum ἀνθομολογεῖσθαι, quod in Lucae commentariis [14] extat de Anna, Phanuelis filia, ita esse explicandum, vt, neglecta particula ἀντὶ, declarare dicatur absolute *laudare*, *celebrare*, non *vicissim confiteri*, vt plerique Lexicographi, Erasmi, et Bezae, auctoritatem sequuti, praecipiunt. Hebraei enim verbo הוֹדוֹת particulas ל, et אֵת, ita adiungunt, vt *laudare*, et *celebrare*, significet, quoniam ii, qui laudant aliquem, et celebrant, ei quasi fatentur, et ostendunt, agnosci a se, atque diligi, virtutes

10. Vid. Prolus. 1, 5.
11. C. 1, 15.
12. C. 2, 8.
13. Il. π', 119. Odyss. χ', 373.
14. C. 2, 38.

tutes eius, et laudes. Ponere autem illud, vel simpliciter [15] solent, vel ita, vt ei comites addant verba idem valentia, שַׁבַּח [16], et זַמֵּר [17], et הַלֵּל [18]. Iam vero septuaginta interpretes reddidisse hoc ipsum verbum reperiuntur, nunc verbo αἰνεῖν [19], vt Symmachus verbo ὑμνεῖν [20], nunc verbis compositis ἐξομολογεῖσθαι [21], et ἀνθομολογεῖσθαι [22]: qua de re iam Vorstium video in praeclaro opere de Hebraismis Noui Testamenti [23], et post eum in thesauro ecclesiastico [24] Suicerum, librorum diuinorum lectores rectissime admonuisse: et quum Lucas cum Matthaeo [25], et Paulo [26], idem verbum Hebraicum expresserit [27] composito verbo ἐξομολογεῖσθαι· cui in mentem veniat dubitare, quin eidem Euangelistae placuerit, Alexandrinorum Iudaeorum exemplo, verbum ἐξομολογεῖσθαι, loco commentariorum supra proposito, commutare verbo ἀνθομολογεῖσθαι, ita quidem, vt eadem gauderet potestate, qua praeditum legitur verbum ὁμολογεῖν

15. Gen. 29, 35. 49, 8. 1. Parall. 16, 8. 2. Parall. 30, 22.

16. Dan. 2, 23.

17. 2. Sam. 22, 50.

18. 2. Parall. 5, 13. 31, 2.

19. Gen. 49, 8.: vbi Aqu. habet verbum ἐξομολογεῖσθαι· 1. Parall. 16, 7. 2. Parall. 6, 26.: vbi exemplum Complut. habet, ἐξομολογήσονται τῷ ὀνόματί σου· quae sunt haud dubie verba Aquilae. Sic ἐπαινεῖν legitur ap. Aristoph. Plut. 745.: vbi schol., Ἀττικὸν δὲ, inquit, τὸ ἐπῄνουν ἐπὶ τοῦ θεοῦ· κυρίως γὰρ ἐπὶ ἀνθρώπου. add. Xen. Cyrop. 4, 1. 2.

20. Ps. 28, 7.: vt Act. 16, 25.

21. 2. Parall. 6, 24. Ps. 118, 19. 21. Vid. Gataquerus de stylo N. T. c. 18. p. 112. Trai.

22. Ps. 79, 13. Dan. 4, 34.

23. C. 5, 9. p. 171. ss. Lips.

24. v. ἀνθομολογέομαι p. 345. s. To. 1. edit. pr.

25. C. 11, 25.

26. Romm. 14, 11. 15, 9.

27. C. 10, 21.

γεῖν apud Paulum in epiſtola ad Hebraeos [28], et in libris ſcriptorum barbarorum verba αἰνεῖν, et ὑμνεῖν? Syrus certe interpres tria illa verba explicauit vno verbo ܫܒܚ, et in Latina verſione vetere omnibus illis locis inuenitur vnum verbum *confiteri*, hoc eſt, *laudare*. Atque eodem modo cognoſci poſſe ſperamus ab omnibus, verbum compoſitum ἀποθλίβειν, quo idem Lucas in Euangelio [29] vſus eſt, non eſſe ſimplici verbo θλίβειν ſignificantius. Etenim primum nemini dubium eſſe poteſt, quin vtrumque verbum, et ſimplex, et compoſitum, in commentariis Euangeliſtarum reſpondeat Hebraico verbo הֵצִיק, cui *premendi* notionem ſubiectam eſſe omnes norunt: deinde ipſi Euangeliſtae [30] reperiuntur commutaſſe inter ſe verba θλίβειν, ἀποθλίβειν, et συνθλίβειν, vt Aquila in Exodo [31] in locum verborum θλίβειν, θλίψις, et θλιμμὸς, quae in verſione Alexandrina, Theodotioniſque, et Symmachi, reliquiis, leguntur, verba ἀποθλίβειν, et ἀποθλιμμὸς, ſubſtituit. Quod quidem quin recte ab iis, et ſcienter, factum ſit, eo minus dubitari poteſt, quo certius eſt, verba compoſita ἀπαμείβεσθαι, ἀποδέχεσθαι, ἀπομηνίζειν, et ἀποσπένδειν, apud Homerum [32], ἀποκνεῖν apud Platonem [33], ἀποκωλύειν, et ἀφηγεῖσθαι, apud Xenophontem [34], alia apud alios ſcriptores, poteſtate paria inueniri verbis ſimplicibus: et in Apoſtolo-

28. C. 13, 15.

29. C. 8, 45.

30. Marc. 3, 9. 5, 24. 31. Luc. 8, 45.

31. C. 3, 9.

32. Odyſſ. α', 63. coll. 44. Il. α', 95. coll. 112. β', 772. Odyſſ. γ', 394. coll. 395.

33. Phaedon. 35.

34. Oecon. 5, 13. coll. Hippic. 11, 13. Cyrop. 2, 3. 20.

ſtolorum actis [35] verbis συμπληρῦσθαι, et συντελεῖσθαι, atque in commentariis Lucae [36] verbo συντηρεῖν, nonne idem ſignificatur, quod verbis τηρεῖν, et πληρῦσθαι, et τελεῖσθαι? At fortaſſe, inquies, particula ἀπὸ addit ponderis aliquid nomini ἀποκαραδοκία, quod bis in epiſtolis Pauli [37] legitur, ita, vt eo, non ſimpliciter *ſpes*, et *exſpectatio*, indicetur, ſed *acre*, et *vehemens*, *deſiderium*, *magna*, et *acris*, *exſpectatio*; μεγάλη, ἐπιτεταμένη, σφοδρὰ, προσδοκία, Chryſoſtomo, et Oecumenio, auctoribus, βεβαία ἐλπὶς καὶ ἀμετάθετος, Theophylacto interprete [38]? Non opinor. Grammaticos quidem veteres illud ita interpretatos eſſe videmus, vt ei nudam ſpei, et exſpectationis, notionem ſubiecerint. Heſychius enim, omnium gloſſographorum facile princeps, nomine ἀποκαραδοκία idem ſignificari tradit, quod nominibus προσδοκία, et ἀπεκδοχή: quam doctiſſimi grammatici interpretationem Suidas, vel potius is, ex cuius fonte Suidas ſua hauſit, ita confirmat, vt dubitari de veritate eius nullo modo poſſit. Neque enim tantum vocabulo ἀποκαραδοκία ipſe quoque praecipit idem declarari, quod nomine προσδοκία [39], ſed etiam participium ἀποκαραδοκῶν oſtendit idem valere, quod προσδοκῶν, in loco hoc, ὁ δὲ καθῆσο ἐν τῇ παρεμ-

35. C. 2, 1. 21, 27.

36. C. 2, 19.

37. Romm. 8, 19. Phill. 1, 20.

38. Vid. Suicerus Theſ. eccleſ. in v. ἀποκαραδοκία p. 451. ſ. To. 1. edit. pr.

39. Phauorinus: Ἀποκαραδοκία· προσδοκία, ἐλπίς. Gloſſ. N. T. Fabric. p. 103. et Gloſſ. Moſqu. epp. Apoſtolicc. ap. Matthaeum Lect. Moſquenſſ. To. 2. p. 60. Ἀποκαραδοκία· προσδοκία. Sed ſchol. Gregor. Nazianz. ad Steleut. 1. p. 11. Eton. Ἀποκαραδοκῦσα· ἐπιμελῶς ἐπιτηρῦσα, καὶ ἀπεκδεχομένη.

παρεμβολῇ, ἀποκαραδοκῶν, ὅποι καὶ τύχης χωρήσοι τὰ πράγματα. Cuius loci [40] sedem etsi Neocorus, qui glossema προσδοκῶν e duobus codicibus Parisiensibus primus addidit, non indicauit: tamen eum e libris Polybii illuc translatum esse suspicamur. Nam primo Suidae Glossarium multis aliis istius historici locis locupletatum nouimus: ita, vt modo nomen eius laudatum legatur, modo non: deinde Polybius videtur vsu, vt simplicis verbi καραδοκεῖν, quo iam Herodotum [41] vsum esse scimus, ita etiam compositi ἀποκαραδοκεῖν, valde fuisse delectatus. Et prioris quidem generis locos multos Raphelius, accuratae doctrinae theologus, in notis Polybianis [42] diligenter congessit: posterioris generis loci duo in excerptis de Legationibus, a Fuluio Vrsino editis, leguntur: quorum vnus hic est [43], καὶ συνεβȣ́λευον αὐτῷ πρεσβευτὰς πέμπειν εἰς τὴν Ῥώμην ὑπὲρ συμμαχίας, ἵνα μὴ δοκῇ τοῖς καιροῖς ἐφεδρεύων. ἀποκαραδοκεῖν τὴν Ἀντιόχȣ παρȣσίαν· in altero [44] verba extant ista, ὃς προσδεξάμενος, ἐνέβαλεν εἰς τὴν τῶν Σαγαλασσέων γῆν, καὶ πολὺ πλῆθος ἐξελασάμενος λείας, ἀπεκαραδόκει τȣ̀ς ἐκ τῆς πόλεως, ἐπὶ τίνος ἔσονται γνώμης. His vero in locis verbum compositum ἀποκαραδοκεῖν non esse significantius verbo simplici καραδοκεῖν, hoc est, respondere Latino verbo *exspectare* [45], quis non credat Livio,

40. Laudatur hic locus etiam in Lex. Mosquensi ap. Matthaeium Lect. Mosquensium To. 2. p. 73.

41. 7, 168. 8, 67. coll. 1, 32.

42. ad Romm. 8, 19.

43. n. 9. p. 23.

44. n. 32. p. 65.

45. Vtrumque verbum, et Latinum *exspectare*, et Graecum καραδοκεῖν, proprie *de iis* ponitur, *qui de loco aliquo caput, et os, saepius conuertunt aliquo*, et prospectant, *vt videant, quid sit euenturum*,

vio, grauissimo auctori, qui priorem illum Polybii locum Latine ita conuertit [46], *Magnopere ei suasit, quoniam pacem impetrasset, ad societatem, amicitiamque, petendam mitteret Romam legatos, ne, si quid Antiochus moueret*, exspectasse, *et temporum opportunitates captasse ad bellandum, videri posset?* Et quum vsus loquendi Graecorum verbis καραδοκεῖν, et ἀποκαραδοκεῖν, addixisse parem potestatem reperiatur: neque enim verbum ἀποκαραδοκεῖν a verbo καραδοκεῖν differt, nisi eo, quod cogitare lectorem iubet de loco, vnde quis, conuerso, exsertoque, capite, aliquid spectat: quis nomini composito ἀποκαραδοκία censere audeat vim maiorem tribuendam esse, quam simplici nomini καραδοκία? praesertim in epistolis Paulianis, quarum auctorem certissimum sit isto vocabulo

rum, quo res sit euasura, [Eurip. Med. 1119. καραδοκῶ τἀκεῖθεν οἷ προβήσεται. Philo de vita Mosis I. p. 604. D Paris. ἀδελφὴ δὲ τοῦ ἐκτεθέντος βρέφους ἔτι παρθένος, ὑπὸ φιλοικείου πάθους μικρὸν ἄποθεν ἐκαραδόκει τὸ ἀποβησόμενον· sed Clemens Alex. Strom. I. p. 343. A Colon. eandem rem verbis complexus est his, ἐπετήρει δὲ τὸ ἀποβησόμενον ἄπωθεν ἑστῶσα τοῦ παιδὸς ἡ ἀδελφή.] an quis adfuturus sit; sed saepissime etiam de *aliis, qui omnino sperant, aliquid futurum*, aliquem venturum, *esse*. Etymol. M., et ex eo Phauorinus: Καραδοκεῖν· τὸ τοῦ πράγματος κεφάλαιον ἐπιτηρεῖν ὅπη χωρήσει· — ἢ τὸ τῇ κεφαλῇ προβλέπειν, καὶ ἐλπίζειν ἐκδεχόμενον —. Hesychius: Καραδοκεῖ· προσδοκᾷ, ἐκδέχεται, ἢ ἐπιτηρεῖ τὸ κεφάλαιον τοῦ πράγματος. add. Suidas in v. καραδοκεῖ. Timaeus Gloss. Platon.: Καραδοκεῖν· τὸ τοῦ πράγματος κεφάλαιον ἐπιζητεῖν [leg. ἐπιτηρεῖν], καὶ ἐπισκοπεῖν ὅπη χωρήσῃ· leg. χωρήσει. Gloss. vett. Καραδοκῶ *Exspecto*. Καραδοκοῦσιν *Aucupantur*. Alia omnia praecipit Pollux 2, 41. τάχα δὲ καὶ τὸ καραδοκῶν εἴη ἂν ἀπὸ τοῦ κάρα πεποιημένον· κυρίως ἐπὶ τῶν παραφερόντων τὴν κεφαλὴν, ὡς μὴ βληθεῖεν.

46. 33, 35.

bulo reddidisse Hebraicum nomen תּוֹחֶלֶת, quo satis constet simpliciter *exspectationem* significari. Id enim a Iudaeis illorum temporum videmus, consuetudinis Graecae admonitu, nunc simplici nomine καραδοκία expressum esse, nunc composito ἀποκαραδοκία. In Aquilae quidem reliquiis, religiosissimi verborum Hebraicorum interpretis, non modo verbum הוֹחִל explicatum legitur verbo καραδοκεῖν [47], sed etiam nomen תּוֹחֶלֶת nomine καραδοκία [48], quod Theodotioni placuit vocabulo προσδοκία commutare, et Symmacho nominibus ἀναμονή, et ὑπομονή [49]. Idem vero ille Aquila verbum Hebraicum הִתְחוֹלֵל, quod verbo הוֹחִל par potestate ponitur ab omnibus, in libro hymnorum Dauidis [50] interpretatus est verbo ἀποκαραδοκεῖν. Quis igitur dubitet, quin etiam nomen תּוֹחֶלֶת ab Iudaeis illius aetatis, qui Graece loquerentur, atque adeo a Paulo, redditum fuerit nomine ἀποκαραδοκία, ita, vt nullo modo amplior ei notio subiici debeat, quam nomini simplici καραδοκία? Quod quidem praeclare iam, non solum ii viderunt, qui in codicibus epistolarum Paulianarum antiquis in locum compositi vocabuli simplex substituerunt, sed etiam Syrus earum, Latinusque, interpres. Hic enim vtroque loco vocabulo *exspectatio*, ille verbo ܡܣܟܝܢ, vsus est. Atque huius interpretationis elegantiam, et veritatem, ipse vsus loquendi scriptorum diuinorum ita declarat, et confirmat, vt, qui contra sentire audeant, iis vehementer ti-

 men-

47. Ps. 130, 5.

48. Ps. 39, 8. Prouu. 10, 28.

49. Ps. 39, 8. Prouu. 10, 28.

50. Ps. 37, 7. Conf. Palaeretus ad Romm. 8, 19.

mendum intellegamus, ne vel hoc nomine magnae inſcitiae, grauiſque erroris, conuincantur facile a doctiſſimo quoque. Solent enim Apoſtoli non minus, quam Euangeliſtae, multis locis coniungere duo verba, et nomina, quae fere idem ſignificent, nullam aliam ob cauſſam, quam quia eadem nomina, et verba, coniungi in lingua Hebraeorum ſolebant: quod genus, ἀνδρίζεσθαι, et κραταιοῦσθαι [51], χαίρειν, et ἀγαλλιᾶσθαι, vel σκιρτᾶν [52], δεήσεις, et προσευχαὶ [53], κλαίειν, et κόπτεσθαι [54], πάροικος, et παρεπίδημος [55], τέρατα, et σημεῖα [56], χαρὰ, et ἀγαλλίασις [57], ὁσιότης, et δικαιοσύνη [58], νόσος, et μαλακία [59]. Exſpectationis autem, atque ſpei, quum ea reperiatur neceſſitudo, et coniunctio, vt, neque exſpectatio ſine ſpe, neque ſpes ſine exſpectatione [60], cogitari a quoquam poſſit: Hebraei, non modo nomen תּוֹחֶלֶת, cui proprie *exſpectationis* notio ſubiecta eſt, de ipſa *ſpe*, quae proprie vocabulo תִּקְוָה ſignificatur, vſurpauere, ſed etiam vtrumque nomen [61], et verba הוֹחִיל, atque קִוָּה [62], in eadem oratione ita coniunxere, vt iis ſimpliciter *ſpem* indicarint. Nonne vero ſic liqueat omnibus, Paulum in epiſtola ad Romanos nomen ἀποκαραδοκία nude poſuiſſe,

51. 1. Corr. 16, 13. coll. Pſ. 27, 14.

52. Matth. 5, 12. Luc. 6, 23. coll. Pſ. 9, 3. 31, 8.

53. 1. Tim. 5, 5. coll. 1. Regg. 8, 45.

54. Luc. 8, 52. coll. Gen. 23, 2.

55. 1. Pe. 2, 11. coll. Gen. 23, 4.

56. Actt. 2, 43. 4, 30. coll. Ier. 32, 20. ſ.

57. Luc. 1, 14. coll. Eſth. 8, 17.

58. Luc. 1, 75. coll. Sap. 9, 3. Conf. Deut. 32, 4.

59. Matth. 4, 23. coll. Deut. 7, 15. 28, 59. ſ.

60. Cic. ad Att. 16. ep. 21. *quod magna cum ſpe exſpectamus.*

61. Prouu. 10, 28. 11, 7.

62. Pſ. 130, 5. Iob. 30, 26.

fuiſſe, ita, vt eo *ſpes* declararetur, atque adeo verba ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως idem valerent, quod ἡ κτίσις ἀποκαραδοκȣ̃σα, vt illa Syrus iam interpres praeclare accepit [63], ſed in epiſtola ad Philippenſes iſti nomini nomen ἐλπὶς ſic adiunxiſſe, vt vtroque *ſpes* denotaretur? Certe ſi verbis ἀποκαραδοκεῖν, et ἀποκαραδοκία, ſignificari reperiatur alicubi magna quaedam, atque acris, exſpectatio, vt verbo *exſpectare* in Salluſtii Iugurtha [64], eius poteſtatis cauſſam exiſtimari oportet, non in ipſa horum verborum natura quaerendam eſſe, immo in animo eorum, de quibus vſurpata legantur, aliiſque rebus, ita, vt pro compoſitis verbis etiam verba ſimplicia ſubſtitui recte potuerint. Et profecto qui has vias, quibus inueſtigari poſſe oſtendimus poteſtatem vocabuli ἀποκαραδοκία in epiſtolis Paulianis, perſequi inſtituerit in indaganda vi verborum καταφιλεῖν, et διατηρεῖν, in commentariis Euangeliſtarum, eum facile cogniturum eſſe ſperamus, neutro verbo compoſito plus ſignificari, quam verbis ſimplicibus. Nam etſi verbum καταφιλεῖν nonnunquam in libris ſcriptorum veterum [65] vſurpatum extat de iis, qui alios oſculantur in primis amanter, et ita, vt, non vno eos, ſed pluribus oſculis, impertiant [66]: tamen primum

63. Vertit verba Pauli ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως ἀπεκδέχεται ita, ܟܠܗ ܒܪܝܬܐ ܡܣܟܝܐ ܘܡܩܘܝܐ:

64. C. 14, 7.

65. Vid. Xen. Memorr. 2, 6. 33. Cyrop. 7, 5. 11. et Theophraſt. charr. 17, 1. Vana enim eſt, atque inepta, praeceptio gloſſographi ap. Montefalconium biblioth. Coiſlin. p. 434., Φιλεῖν φασὶ δεῖν λέγεσθαι τὸ κατὰ ψυχὴν, καταφιλεῖν δὲ, καὶ κῦσαι, τὸ διὰ τȣ̃ ςόματος.

66. Nos in lingua patria ſic vtimur verbis *abherzen*, *abküſen*.

ex illis ipsis locis clarissime apparet, vim illam ab aliis rebus, non ab ipsa particula κατὰ, pendere: deinde de vsu loquendi scriptorum diuinorum iudicium faciundum esse, non e consuetudine loquendi Graecorum communi, multo minus e peculiari, et propria, huius, illiusue, scriptoris ratione, verum e consuetudine sermonis Hebraeorum, et ex vsu loquendi septuaginta interpretum, quis nescit? Alexandrinos autem Iudaeos, nunc verbo composito καταφιλεῖν [67], nunc simplici φιλεῖν [68], vsos esse videmus pro verbo Hebraeorum נָשַׁק: quod quum per se sit simpliciter *osculari*, nonne existimemus, vtrique verbo Graeco ab illis interpretibus eandem potestatem esse tributam, eorumque exemplo, et auctoritate, ab alterius Testamenti scriptoribus? Neque sane neglexisse ea in re videri cuiquam debent linguae Graecae praecepta, et leges; praesertim quum etiam Homerus κατακτείνειν pro κτείνειν [69], Euripides καταθνήσκειν pro θνήσκειν [70], Isocrates κατοικίζειν pro οἰκίζειν [71], Plato κατασιγῆσαι pro σιγῆσαι [72], καταπορσύνειν pro πορσύνειν Xenophon [73], Aelianus καταναγκάζεσθαι pro ἀναγκάζεσθαι [74], alii Graecitatis auctores idonei alia huiusmodi verba composita pro simplicibus, posuisse reperiantur. At fortasse Euangelistae, inquies, verbo καταφιλεῖν, non Infinitiuum primae

küssen. Sen. de ira 2, 24. vsus est hoc in genere formula *osculo alicuius adhaerere.*

67. Ex. 4, 27. Ruth. 1, 9.

68. Gen. 27, 26. f. Ex. 18, 7.

69. Odyss. ά, 75.

70. Phoenn. 606.

71. Euagor. p. 454. Volf. a. 1571.

72. Phaedon. 56.

73. Cyrop. 1, 6. 14.: vbi codd. Brem. Bodl. Guelf. et Stob. pro καταπορσύνεσαν legunt πορσύνεσαν.

74. V. H. 9, 21.

mae Coniugationis verbi Hebraici, sed tertiae Coniugationis Infinitiuum, expressere, quo scirent, non simplicem, sed repetitam, atque iteratam, osculationem significari; in primis quum Lucas [75] verbo isti adiunxerit formulam ἐπιπίπτειν ἐπὶ τὸν τράχηλον, quae *complecti*, *amplexari*, valeat, sed, qui amplexetur alterum, is eum fere pluribus osculis impertiat, non vno? Non opinor. Etenim primum Alexandrini Iudaei Infinitiuum נַשֵּׁק etiam verbo simplici φιλεῖν reddidere [76], ita, vt nec iis in locis, quibus pro eodem Infinitiuo verbum compositum posuere [77], huic vim tribuisse maiorem videantur, ex vsu loquendi suorum temporum: quem ipsum sequutus Aquila vtrumque Infinitiuum, נָשׁוֹק, et נַשֵּׁק, explicauit [78] verbo καταφιλεῖν· deinde Lucas verbo καταφιλεῖν comitem addidit formulam ἐπιπίπτειν ἐπὶ τὸν τράχηλον, quia Hebraei cum verbo נָשׁוֹק, et נַשֵּׁק, coniungere solent formulam נָפַל עַל־צַוָּאר [79], quam interdum verbo חָבַק [80] commutasse leguntur: sed septuaginta interpretes locis istis vsi in versione sua, et simplici verbo φιλεῖν, et composito καταφιλεῖν, reperiuntur [81]. Et nos Lucan putabimus verbo composito καταφιλεῖν ampliorem subiecisse notionem, quod ei formulam ἐπιπίπτειν ἐπὶ τὸν τράχηλον adiunxerit? quum tamen Aelianus quoque in variae historiae libris [82] coniunxerit verba φιλεῖν, et περιβάλλειν, atque

75. C. 15, 20. Act. 20, 37.
76. Gen. 29, 13.
77. Gen. 31, 28. 32, 1.
78. Ps. 2, 12. Hos. 13, 2.
79. Gen. 33, 4.
80. Gen. 29, 13.
81. Sic 1. Sam. 10, 1. pro Hebr. נִשַּׁק habent φιλεῖν, sed Ioseph. Archaeol. 6, 5. p. 155. Basil. κατασπάζεσθαι.
82. 9, 26. Sic Hom. Odyss. ω, 235. κύσσαι καὶ περιφῦναι. Achilles Tat. 2, 7. p. 122. Bod. περιβαλὼν κατεφίλει, sed p. 124. περιβαλὼν, καὶ ἐφίλει.

atque Anacreon in iis, quae ipsi vulgo tribuuntur, Odariis [83] verba περιπλέκεσθαι, et φιλεῖν, ita, vt nemini vnquam in mentem venerit, vt verbo φιλεῖν, propter additos ei comites, maiorem tribuendam potestatem doceret. Ex iis igitur, quae hactenus a nobis disputata sunt, satis intellegi ab omnibus posse speramus, verbum compositum καταφιλεῖν in libris Noui Testamenti potestate par esse ponendum simplici verbo φιλεῖν, praesertim quum ipsi Euangelistae reperiantur vtrumque verbum promiscue, et indistincte, vsurpasse [84]. Et quum scriptores Graeci omnes, sed in primis tamen Attici, verbis e praepositione διὰ compositis tantopere delectati fuerint, vt ea fere semper praeoptarint verbis simplicibus [85]; quo in delectu eos, pro singulari suo vrbanitatis studio, aurium maxime teretium iudicio obsequutos esse, quis neget? quum libri diuini ipsi multis eiusdem rationis vestigiis impressi cernantur [86]: profecto non parum mirandum est, Lexicographos non paucos praecipere, verbum διατηρεῖν, quo Lucas in commentariis [87] vsus est, valere *solicite*, hoc est, *diligenter*, *conseruare*. Cuius quidem interpretationis vanitatem patefacere studiosis Noui Testamenti lectoribus vsus loquendi Hebraeorum, quem Lucas est, consensu iudicum intellegentium omnium, sequutus, ita posse videtur, vt omnis dubitationis caussa tollatur.

83. 65, 5.

84. Matth. 26, 48. f. Marc. 14, 44. f. Luc. 22, 47. f.

85. Vt διαμνημονεύεσθαι, pro μνημονεύεσθαι, ap. Xen. Cyrop. 1, 2. 2.: διαπαιδευθῆναι, pro παιδευθῆναι, ibid. f. 15.

86. Vid. Matth. 3, 12. 14. 7, 5. 14, 36. Luc. 4, 10. 11, 17. 18. coll. Matth. 12, 25. 26. Marc. 3, 24.

87. C. 2, 51.

latur. Hebraei enim verbis שָׁמַר, et נָצַר, vt Chaldaei verbo נְטַר, vel ſimpliciter [88], vel additis verbis בְּלִבּוֹ [89], vtuntur de *iis*, *qui animo* aliquid *figunt*, *qui conditum* aliquid *mente tenent*: ſed vtrumque verbum legitur in iis libris, qui ad noſtram peruenere memoriam, etiam de *his*, *qui* aliquem *abſtinent*, et *cauere ſibi iubent*, et defendunt, ab aliquo [90], ita, vt ex hoc illorum vſu recte collegi poſſit, praeſertim quum conſuetudo linguae Syriacae addicat, haec eadem verba, adiectis verbis אֶת־נַפְשׁוֹ, quae vim pronominis reciproci haberent, ita eſſe vſurpata, vt ſignificarent *ſe abſtinere*, *ſibi cauere*, ab aliquo. Septuaginta interpretes vtrumque verbum Hebraicum explicauere, non ſolum verbo ſimplici τηρεῖν [91], ſed etiam compoſito διατηρεῖν [92], quod ipſum verbum caeteri, qui poſtea volumina Hebraica in Graecum conuerterunt, retinuere [93], atque adeo eandem vtrique verbo notionem ſubiecerunt. Eos igitur imitatus Lucas, cui placuiſſet formam loquendi Hebraicam ſequi, dixit, cum διατηρεῖν ἑαυτὸν ἔκ τινος, pro φυλάττεσθαί τι, hoc eſt, *abſtinere*, *ſibi cauere*, *ab re aliqua* [94], vt Iohannes in prima epiſtola [95] formulam τηρεῖν ἑαυτὸν ſimpliciter poſuit pro φυλάττεσθαι, id eſt, *ſibi cauere*, tum διατηρεῖν πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, hoc ſenſu, *iſta omnia condita mente tenere* [96], adeo, vt verbum διατηρεῖν ſignificaret idem, quod verba φυλάσσεσθαι, ἐγκατατίθεσθαι, ἐμ-

I 5 βάλ-

88. Gen. 37, 11.: vbi pro verbo שָׁמַר in Onqueloſi verſione eſt verbum נְטַר.
89. Dan. 7, 28.
90. Pſ. 12, 8. Prouu. 7, 5.
91. Prouu. 7, 5.
92. Gen. 37, 11. Pſ. 12, 8.
93. Prouu. 20, 28. 24, 12. 27, 18.
94. Act. 15, 29.
95. C. 5, 18.
96. C. 2, 51.

βάλλεσθαι, atque ἔχειν, in formulis ἐν θυμῷ πάντα φυλάσσεσθαι, ἐῷ ἐνικατατίθεσθαι θυμῷ, ἐνὶ φρεσὶ βάλλεσθαι ἐῇσιν, et ἐῇσιν ἔχειν φρεσί, quarum haec apud Homerum 97, illae apud Hesiodum 98, leguntur, sed haud dubie et ipsae sunt e thesauris orientis depromtae. De verbo ἐγκομβοῦσθαι, quod Salmasius * vocat verbum ex antiqua comoedia petitum, sed quo Petrus Apostolus in priore epistola 99 vsus est, et de nomine ἐγκόμβωμα, quod inde ductum est, Thomas Gatakerus in libris Aduersariorum miscellaneorum 100, et Ioh. Sibranda in bibliotheca Bremensi 101, etiam Suicerus in thesauro ecclesiastico 102, qui tamen sua paene omnia Gatakeri diligentiae debet, inprimis copiose, ac diligenter, disputarunt: sed e locis, cum ipsorum scriptorum, tum etiam grammaticorum veterum, qui ab iis laudati sunt, intellegitur, nomen κόμβωμα non minus, quam ἐγκόμβωμα 103, dictum esse, non modo de *nodis*, et *vinculis nodosis*, sed etiam de *vestibus*, quae *nodis*, et *vinculis*, *adstringi* solerent, maximeque de genere quodam breuis pallii, quod reliquis vestibus superiniecerint, non tantum ser-
vi,

97. Il. β', 33.

98. Ἔργ. 27. 107. 491.

* le Hellenist. p. 87.

99. C. 5, 5.

100. 1, 9. p. 222. ss.

101. Clas. 7. fasc. 6. n. 1. Add. Mollius ad Longi Pastorr. p. 62.

102. p. 996. s. To. 1. ed. pr.

103. In Hexaplis Origenianis Esai. 3, 20. editum legitur, הַצְּעָדוֹת Θ. τὰ βραχιάλια, τὰ ἐγκομβώματα. At vt prius nomen haud dubie ab Aquila profectum est; hic enim etiam 2. Sam. 1, 10. nomen Hebr. אֶצְעָדָה interpretatus est verbo Graeco βραχιάριον, quod, et βραχιάλιον, et βραχιόλιον, scribitur: v. Suidas, et Cangius Gloss., h. v.: ita nomen posterius sine vlla controuersia referendum est ad nomen Hebr. הַקִּשֻּׁרִים, et eidem Aquilae vindicandum.

vi, ſed etiam mulierculae, et viri ingenui, et quod nomen inde traxerit, quod ceruicibus circumſtrictum, in *fibulae* morſu humeris acquieuerit, vel quod *nodis* connexum, conſtrictumque, ex humeris dependerit, ita, vt ii, qui hoc palliolo amicti eſſent, ſibi vehementer placerent, ſeque in primis ornatos putarent. Hebraei, Apoſtolorum ſaeculo, iſta palliola nuncupaſſe videntur מַעֲטָפוֹת, quae certe ab Eſaia vate [104] numerantur in partibus ornatus muliebris, et ab Symmacho ἀναβόλαια, ab Latino interprete *palliola*, nominantur. Atque hoc recte collegi poſſe arbitrabamur ex eo, quia Syrus interpres verbum ἐγκομβῶσθαι explicauit verbo הִתְעַטַּף. Nam, et κομβῶσθαι, et ἐγκομβῶσθαι, dicuntur ii, qui, vel nodo aliquid, vinculoque, connectunt, vel induunt, vt omnino veſtes, quae nodis, et vinculis, adſtringantur, ita etiam palliola. Sed quemadmodum omnia verba induendi, in linguis priſcis omnibus, eleganter tranſferuntur ad eos, qui ſe virtuti alicui dedunt, qui virtutem aliquam ſequuntur, qui ſtudioſi ſunt alicuius virtutis, qui praediti conſpiciuntur, et ornati, virtute aliqua [105]: ita etiam Petrus, qui cohortari Chriſtianos Aſiaticos vellet, vt modeſtiae ſtuderent, vt, poſita ſuperbia, humilitatem animi ſuſciperent, verbo ἐγκομβῶσθαι vſus eſt, ita, vt ponere pro eo etiam verbum ſimplex κομβῶσθαι potuiſſet, in primis quum veteres grammatici vtrumque verbum interpretati eſſe iiſdem verbis repe-

104. C. 3, 22.

105. Vid. Vorſtius Philol. c. 5, 3. p. 156. ſſ. Lipſ.: Gataquerus d. l.: Kypquius ad Luc. 24, 49. Sic Homer. Il. ή, 164. ἐπιειμένοι ἀλκήν. Il. ά, 149. ἀναιδείην ἐπιειμένε.

reperiantur. Nam vt Hesychius glossas κομβώσασθαι, et ἐγκομβώσασθαι, explicauit verbo στολίσασθαι· ita interpretes Noui Testamenti Graeci[106] glossam ἐγκομβώσασθε verbis ἐνειλήσασθε, περιβάλεσθε, et ἀναστείλασθε, explanarunt. Et quum posterioris aetatis homines inueniantur scripsisse ἐγκομπώσασθαι [107]· origo et caussa scripturae codicum, e quibus exemplum Complutense ductum est, in quo ἐγκομπώσασθε legitur, facile patet. Sed hac ipsa scriptura decepti nonnulli, ἐγκομπώσασθε mutasse videntur in ἐγκολπώσασθε· quali codice quum certissimum sit Latinum interpretem vsum fuisse: intellegi sponte ab omnibus posse speramus, quid sit, quod verba Petri in versione eius legantur ita translata, *omnes autem inuicem humilitatem insinuate.* Nam ἐγκολποῦν idem est, quod ἐγκολπίζειν· quod verbum etiam in Glossariis antiquis verbo Latino *insinuare* explicatum extat. Syrus enim interpres verbo ܐܬܥܛܦܘ addidit Aduerbium ܚܡܝܨܐܝܬ, vt doceret, ἐγκομβοῦσθαι esse *induere vestem, quae nodis, et vinculis, adstringeretur.* Sed ex iis omnibus, quae de hoc ipso verbo a nobis dicta sunt, putamus aperte apparere, verba Apostoli τὴν ταπει-

106. Vid. Albertius Glossar. N. T. p. 217. Oecumenius ad 1. Pe. 5, 5. p. 365. Veron. ἐγκομβώσαθε δὲ ἀντὶ τοῦ ἐνειλήσαθε, περιβάλεθε.

107. Suidas: Ἐγκωμπόσασθαι· στολίσασθαι. Sic enim legitur in Mediol. Ald. Basil., non ἐγκωμπώσαθαι, vt Neocorus edidit. Sed in Phauorini Lexico rectius scriptum extat: Ἐγκομβώσασθαι· στολίσασθαι· qui tamen ipse quoque habet glossas, ἐγκωμπόσασθαι· στολίσαθαι, et ἐγκομβώσαθαι· στολίσαθαι, ex Hesychio. Conf. Albertius ad Hesych. p. 1071. To. 1. et Matthaeius ad 1. Pe. 5, 5.

πεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε Latine conuerti debere, *modestiam induite*, quod Paulus [108] ἐνδύσασθε ταπεινοφροσύνην dixit, et omisso tropo, *modestiam sequimini*, *humilitatis animi studiosi sitis*, ita, vt maximum in ea ornamentum, et decus, positum censeatis; neque adeo composito verbo ampliorem subiectam esse vim, quam verbo simplici: quemadmodum Homerus ἐμβασιλεύειν, et ἐννέπειν [109], dixit pro βασιλεύειν, et ἔπειν, Aristophanes [110], et Plato [111], ἐνσκευάζεσθαι pro σκευάζεσθαι, Aelianus [112] ἐγκαλλωπίζεσθαι pro καλλωπίζεσθαι. Neque vero difficile fore speramus, erroris conuincere eos, qui verbum παραπορεύεσθαι apud Marcum eo loco [113], quo Christus narratur vna cum discipulis suis, primis a die festo Paschae secundo sabbatis [114], iuisse per agros maturo hordeo laetos, significare contendunt *praeterire*. Etenim Christum aiunt discipulis nunquam permissurum fuisse per ipsos agros ire, quum id sine damno possessorum magno fieri non potuisset: et si discipuli Christi issent per ipsos agros, Marcum dicturum fuisse clamant διὰ μέσων σπορίμων, non simpliciter διὰ σπορίμων [115]. At, vt taceamus, istam differentiam harum loquendi formarum excogitatam esse, atque confictam, ab ipsis huius interpretationis auctoribus, quae non confirmari reperiatur vsu loquendi scriptorum, ne-

108. Col. 3, 12.

109. Il. β', 572. Odyss. α', 1.

110. Acharnn. 383.

111. Criton. 15.

112. V. H. 9, 35.

113. C. 2, 23.

114. Vid. Luc. 6, 1. et Relandus Antiquitt. sacrr. vett. Hebrr. 4, 8. 4.

115. Vid. Abreschius ad Marc. 2, 23. et Luc. 17, 11. et Carcinus ad Luc. 17, 8.

neque humanorum, neque diuinorum, quum particula בְּ, et nomine בְּתוֹךְ, in lingua Hebraeorum conſtet vnum idemque declarari [116]: primum τὰ σπόριμα, non ſunt *ſata*, ſed *agri meſſibus veſtiti*, hoc eſt, *maturo hordeo laeti*. Nam diſcipuli Chriſti dicuntur ſpicas auulſiſſe e culmis, indeque grana palmis extriuiſſe, et initia meſſis, quae in Iudaea inciderent in menſem Niſan, fieri ab hordeo ſolebant: ſed per hos agros in promtu eſt Chriſtum cum diſcipulis ita tranſiiſſe, vt inſtiterint ſemitae, quae per eos ferret, ſine vlla iniuria, et damno, dominorum. Deinde dubitari a nemine vllo modo recte poteſt, quin verbum παραπορεύεσθαι, vt in verſione Veteris Teſtamenti Alexandrina, ita etiam in libris diuinis alterius Teſtamenti, verbo Hebraeorum עֲבוֹר reſpondeat. Iam vero huic verbo, nunc ſimpliciter caſus quartus nominum locorum iungitur, ita, vt ſignificet *praeterire* aliquem locum [117], nunc eiuſdem generis vocabula adduntur, interueniente particula בְּ [118], ſic, vt valeat *ire*, *tranſire*, per locum aliquem. Hanc verbi Hebraici conſtructionem ſequuti ſeptuaginta interpretes formulam παραπορεύεσθαι τὰ ὅρια, hoc eſt, עֲבוֹר אֶת-גְּבוּל, poſuere de iis, qui *fines* alicuius regionis *tranſeunt*, ſed formula παραπορεύεσθαι διὰ τῶν ὁρίων, id eſt, עֲבוֹר בִּגְבוּל, vſi ſunt de his, qui *per fines* alicuius ciuitatis *tranſeunt*, ita, vt verbum compoſitum hac in formula haberet vim verbi ſimplicis. Itaque ſatis euidens eſſe, atque apertum,

116. Vid. Glaſſius Gram. S. 3, I. 38. Sic Luc. 17, 11. διήρχετο διὰ μέσε Σαμαρείας, h. e. διὰ Σαμαρείας: vt 1. Corr. 10, 1. διὰ τῆς θαλάσσης διῆλθον.

117. Deut. 2, 18.

118. Deut. 2, 4.

tum, arbitramur, verba παραπορεύεσθαι διὰ τῶν σπορίμων in Marci commentariis accipi oportere de iis, qui *per messes eunt*, qui *per agros maturo hordeo laetos transeunt*, ita, vt παραπορεύεσθαι idem declaret, quod apud Matthaeum [119] verbum simplex πορεύεσθαι, quod Lucas [120] verbo composito διαπορεύεσθαι commutauit. Atque hoc non modo interpretes veteres, Latinus, et Syrus [121], viderunt, sed etiam ii, qui verbum παραπορεύεσθαι interpretati sunt e Luca verbo διαπορεύεσθαι, quod in codicibus nonnullis migrauit e marginibus in ipsum orationis Marci textum: cuius migrationis exemplis nec Alexandrinae versionis codices carere videmus. Nam etiam a Graecis scriptoribus ipsis verba παριέναι, et διοδεύειν, commutata inter se non raro leguntur, et *viatores* ab iisdem non minus οἱ παριόντες, quam παροδῖται, dicuntur [122]. Neque vero aliam vim verbo παραπορεύεσθαι subiiciendam esse eo loco Marci [123], quo Christus cum discipulis perhibetur iter fecisse per Galilaeam, neminem futurum speramus, quin ex iis, quae supra dicta sunt, sponte intellegat. Sed satis expositum videtur de primo genere verborum, quibus multi Lexicographi reperiantur maiorem tribuisse potestatem, quam iis tribuerint ipsi librorum diuinorum auctores.

IIII.

119. C. 12, 1.

120. C. 6, 1.

121. Interpres Latinus verba Marci, παραπορεύεσθαι αὐτὸν διὰ τῶν σπορίμων, vertit, *quum ambularet per sata*: Syrus, ܟܕ ܐܙܠ ܒܝܬ ܙܪܥܐ.

122. Vid. Obseruatt. miscell. nouu. p. 490. s. To. 6. Vol. 2.

123. C. 9, 30. coll. Matth. 17, 22.

IIII. Caeterum ex hac eadem disputatione cognosci plane posse confidimus ab omnibus maximam vtilitatem, et summam necessitatem, scientiae linguarum veterum accuratae, atque idoneae, sine qua nemo vllo modo consequi vnquam possit excellentis theologi, hoc est, librorum diuinorum interpretis, nomen, ac laudem. Et quum meminissemus, quantis laudibus doctrinae Graecae, et Latinae, sed maxime tamen huius, floruisset Georgius ille Fabricius, Chemniciensis; quam diligenter idem, et quam grauiter, commendasset studia linguarum veterum iis, qui collegere cuperent eam disciplinarum, et artium, liberalium scientiam, qua consulere rationibus rei, et publicae, et Christianae, possent; ita, vt inter vindices, et instauratores, bonarum literarum, non tantum in Saxonia, sed in vniuersa Germania, bonorum omnium consensu, referretur: auctores fuimus alumnis disciplinae nostrae tribus his, IOH. SAM. FESTO, *Monra Thuringo*, GODOFREDO MOSIGIO, *Panitio Misnico*, CHRISTI GODOFR. THOMASIO, *Lengefelda Narisco*, optimae spei adulescentibus, vt *memoriam virtutum, laudumque, Fabricii* prope intermortuam oratiunculis Latinis ita renouarent, vt, non solum vias demonstrarent, quas ingressus ille, et persequutus, esset in contrahendis liberalis doctrinae copiis, sed etiam exponerent de variis doctrinarum generibus, et partibus, quarum accurata idem, grauique, scientia tantopere eminuisset, honoresque, et praemia, ostentarent, quibus doctrina eius, atque virtus, publice condecoratae splenduissent; quo, et ipsi,

et

et alii literarum bonarum ſtudioſi, viderent, quanta ingenii ſolertia, quanta exercitationis aſſiduitas, quanta laboris patientia, quanta induſtriae, et diligentiae, pertinacia, quae ſolas literas ſequeretur, et ſpectaret, alia omnia auerſaretur, et fugeret, requireretur ab iis, qui in ſtudio ingenuarum artium recte verſari, atque ita, vellent, vt laudarentur ab optimo quoque, et a patria ornarentur. Quod quidem pietatis officium ſchola Thomana manibus Fabricii etiam propterea debere videtur, quia vir diuinus de rebus eius, et ſalute, praeclare meritus eſt tum, quum Caſpar ille Bornerus eam gubernauit ſua prudentia, doctrinaque illuſtrauit [124], vt paulo ante, Poliandro rectore, Pe. Moſellanus. Quo magis etiam confidimus, non ſolum eos, ad quorum peculiarem curam pertinere rationes ſcholae noſtrae princeps optimus, et ordo ciuitatis ampliſſimus, iuſſere, ſed etiam alios ingeniorum bonorum, ſcholaſticorumque inſtitutorum, fautores, oratiunculis diſcipulorum noſtrorum, quorum duo poſteriores, relicta noſtra diſciplina, maiores in Academia Lipſienſi diſciplinas tractare, iuuante deo, conſtituerunt, libenter eſſe, et ita, interfuturos, vt, et diſcentium, et docentium, ſtudiis faueant. Nos vero nouo huic beniuolentiae, et fauoris, documento, non modo omni cultus, et obſeruantiae, gene-

124. Fabricius Annalium vrbis Miſnae lib. III. ad A. C. CIↃIↃXXVII p. 84.: *Quae* [Hana] *etiam patria Caſpari Borneri, Theologi, qui longo tempore Lipſiae floruit, optime de Academia, et de me quoque priuatim, meritus, dum ei collega eſſem*: nempe in ſchola Thomana.

genere, ſed etiam ita, reſpondere conabimur, vt maiorem in dies operam, curamque, ponere ſtudeamus in tradendis ingenuae iuuentuti bonarum artium praeceptis. Liberalium enim magiſtrorum ſtudia nulla re incitari acrius, certiuſque inflammari, et poſſe, et ſolere, experti nouimus, quam doctiſſimorum, ſalutiſque ſcholarum, atque adeo rei, et Chriſtianae, et publicae, amantiſſimorum, hominum fauore, et ſtudio. Scripſimus in Schola Thomana prid. Nonas Maias A. C. CIƆIƆCCLXXVI

PROL. V

PROLVSIO SEXTA

DE NOTIONIBVS IVSTO AMPLIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. NOMINIBVS RERVM PLVRALIBVS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

In vtroque ſermone, et Graeco, et Latino, videmus hoc ſaepenumero fieri, vt numerus multorum nominum pluralis, perſona ſua quaſi poſita, partes alterius numeri ſuſcipiat. Scriptores enim antiqui quum, ipſius rationis admonitu, cognouiſſent, pluratiuum numerum eſſe, non ſolum dignitati, atque maieſtati, certarum perſonarum, magnitudini, atque praeſtantiae, certarum rerum, conuenientiorem, ſed etiam ad declarandam earundem grauitatem, excellentiamque, aptiorem, ſingulari numero: inſtituerunt frequentare iſtum numerum de iis rebus, quae, vel diis, et regibus, et aliis ciuitatum principibus, omninoque claris, et excellentibus, ſuo in genere hominibus, tribuerentur, vel certe per ſe eſſent eiuſmodi, vt multas ſui, cognatiue, generis res, vi ſua, et natura, complecterentur, aut magnitudine, et vtilitate, aliaue quadam virtute, excellerent. Qua quidem ex re quis non intellegit, primo pluratiuo numero,

non ſemper multas res, ſed ſaepenumero tantum vnam, magnam fere illam, et excellentem, ſignificari; deinde eundem numerum ea praeditum eſſe poteſtate, vt admoneat lectorem de dignitate, et praeſtantia, rerum ſingularium, vt magnitudinem, et excellentiam, perſonarum, quibus res inſunt, aut tribuuntur, menti lectoris prius, et facilius, offerat, eumque de illa vel inuitum cogitare cogat, non hac, vt ipſam rerum praeſtantiam reddat maiorem, vt virtutes ipſas augeat, earumque formas, et ſpecies, illuſtriores, magnificentioreſque, praeſtet? Cuius de praecepti veritate eo magis ſperamus neminem futurum eſſe, qui dubitet, quum ſcriptores eam ipſi confirmare, omnemque reprehenſionis anſam tollere, reperiantur eo, quod de iiſdem rebus, de iiſdem virtutibus, etiam vitiis, vſi ſunt, modo plurali, modo ſingulari, nominum, vel eorundem, vel certe idem valentium. Sed rem, age, quamuis apertam, neque obſcuram, tamen, tironum cauſſa, patefacere magis, atque illuſtrare, inſtituamus exemplis nonnullis, quorum memoria adiuti ſapere hoc quoque in genere diſcant mature, huiuſque ſapientiae fructus, in legendis libris diuinis Noui Teſtamenti, ita percipiant, vt ſenſa mentis auctorum reperiant, neque eorum verbis vim iuſto maiorem tribuere conentur.

II. Nam apud Homerum, primo Iliadis libro [1], Apollo legitur, Chryſae, ſacerdotis, precibus laceſſitus, deſcendiſſe de caelo, τόξ' ὤμοισιν ἔχων. Quo quidem in loco nemo, opinor, ita ſtultus erit, atque ineptus, qui poëtarum prin-

1. v. 45.

principem plurali numero τόξα propterea vſum eſſe clamet, vt Apollinem multos tum arcus, aut vnum arcum, ſed vaſtum illum, et pulcrum, humeris ſuſpenſum geſtaſſe ſignificaret; immo ſapientiſſimus quiſque, et doctiſſimus, fatebitur facile, numerum iſtum ab poëta praeoptatum eſſe alteri numero, quod eum videret decentiorem eſſe, perſonaque, et maieſtate, Apollinis digniorem [2]. Haec vero eruditorum hominum confeſſio quam vera ſit, et liquida, quae vanitatis conuinci a nemine vllo modo poſſit, vſus loquendi, non ſolum ipſius Homeri; qua de re iam Euſtathius poëtae lectores rectiſſime admonuit [3]; ſed etiam reliquorum ſcriptorum vtriuſque linguae, ſane ita docet, vt nullus dubitandi locus relictus videatur: quippe qui ea omnia, quae diis, et deabus, regibus item, eorumque vxoribus, et liberis, omninoque ciuitatum primoribus, tribuuntur, numero nominum expreſſiſſe plurali reperiantur, nullam vtique aliam ob cauſſam, quam vt dignitatis, decoriſque, rationem a ſe habitam eſſe docerent. Cuius quidem rei indicium vel clariſſimum eſt, vt ſupra demonſtrauimus, hoc, quod aliis locis vſi fere legun-

tur

2. Sic ap. Eurip. Phoenn. 155. *arcus* Dianae dicitur τόξα, vt ab Ouidio Amorr. 1, 11. 11. *Cupidini* tribuuntur *arcus.*

3. Ad Iliad. ά, 45. p. 38. Rom. Ὅτι ἔθος Ὁμήρῳ, ἐν πολλοῖς πληθύνειν τὰ ἑνικὰ, ὡς ὅτε τὸ ἅρμα λέγει ἅρματα, καὶ τὸ τȣ̃ Αἴαντος πρόσωπον, πρόσωπα· ȣ̃τω καὶ τὸ τȣ̃ Ἀπόλλωνος τόξον, τόξα ἐνταῦθα φησὶ διὰ σεμνότητα εἰπὼν, τόξ' ὤμοισιν ἔχων· et ad Odyſſ. γ', 478. p. 1477. Ὅτι, ὡς ἐν Ἰλιάδι, ȣ̃τω καὶ ἐνταῦθα τὸ ἅρμα πληθύνει σεμνότερον, καὶ ἡρωϊκώτερον, εἰπών· ἔζευξαν ὑφ' ἅρμασιν ὠκέας ἵππȣς. Conf. Daueſius miſcell. critt. p. 154. edit. pr.

tur iisdem de rebus singulari numero, vel eorundem, vel certe idem declarantium, vocabulorum. Nam templum Apollinis Delphici ab Euripide in Phoenissis appellatur [4]. Φοίβȣ μέλαθρα· sed illa ipsa aedis, alio eiusdem fabulae loco [5], δῶμα Φοίβȣ dicitur: vt Christus, seruator hominum optimus maximus, templum Hierosolymitanum, in Lucae commentariis [6], τὰ τȣ̃ πατρὸς αὐτȣ̃ nominauit, quod tamen ab eo, in commentariis Iohannis [7], τὸν τȣ̃ πατρὸς αὐτȣ̃ οἶκον nuncupatum esse videmus: et corona laurea, quam Aesculapius in capite habebat, ab Aristophane * τὰ στέμματα vocatur. Xenophon in libris, quos de vita, disciplinaque, Cyri reliquit, domum regis Babyloniorum, vno et eodem loco [8], et τὰ βασίλεια, et τὸ βασίλειον, vocat: et Euripides regiam Oedipi, et, qui parenti successerat, Eteoclis, non modo δώματα, atque δόμȣς, appellat [9], sed etiam δόμον [10]. Neque vero solum ipsae regum, principumque, aedes, et domus, insignitae reperiuntur, vt ab aliis scriptoribus, ita a poëtis maxime, optimis vrbanitatis magistris, atque arbitris, nominibus pluralis numeri, verum conclauia quoque earum singula, et cubicula, etiam partes externae, atque membra, eiusdem numeri vocabulis notata leguntur. Etenim idem ille

4. v. 215.

5. v. 35.

6. C. 2, 49. Iuuencus hist. euang. 1, 300. f. *An nondum sentis, genitrix, quod iure paternis Sedibus, et domibus, natum inhabitare necesse est?* vid. Fullerus miscell. theologg. 4, 17., omninoque Keuchenius ad Luc. d. l.

7. C. 2, 16.

* Plut. 686.

8. 7, 5. 9. f.

9. Phoeniss. 284. 286.

10. Ibid. 330. Sic apud Eurip. Alcest. 134. 168. *domus* Admeti vocatur δόμοι, et v. 194. οἶκοι, sed v. 79. δόμος.

ille Euripides *gynaeceum*, in quo Antigone erat, Oedipi, et Iocaftae, filia, παρθενῶνας vocauit [11], et *conclaue* regiae illud, quo Oedipus inclufus tenebatur, dixit [12] οἴκους, et δώματα, et δόμους· fed Homerus *veftibulum* regiae Vlyffis, vno eodemque Odyffeae loco [13], et πρόθυρα, et πρόθυρον, appellauit. Eandemque rationem tenuiffe videmus fcriptores Graecos in exprimendis omnibus aliis rebus, ad reges, et ciuitatum principes, quocunque modo pertinentibus. Euripides quidem, qui Solis *currum* in Phoeniffis [14] dixit δίφρους χρυσοκολλήτους, eadem in fabula *currum*, quo vectus Laius, rex Thebarum, Oedipo, filio, occurriffe perhibetur, ὀχήματα nuncupat [15], qui ab Apollodoro, in bibliothecae libris [16], ἅρμα nominatur: quemadmodum in Odyffea *currus*, in quem Pififtratus, Neftoris filius, infcendiffe vna cum Telemacho, Vlyffis filio, legitur, non tantum ἅρματα [17], fed etiam δίφρος [18], dicitur. Et profecto Euripides Polynicen *exilium*, in quod fponte profectus erat, quod non ferret iniurias Eteoclis, fratris, nuncupare φυγὰς [19] propterea iuffiffe videtur, quod iftum

 nume-

11. Phoeniff. 89. 204. add. Aefchyl. Prometh. 647. Sic *cubiculum hofpitale* regiae Admeti dicitur ξενῶνες ap. Eurip. Alceft. 543. 547., vt *idem* hoc *cubiculum* regiae Agamemnonis ἀνδρῶνες εὔξενοι δόμων apud Aefchyl. Choephph. 710., et *arca veftiaria* Alceftidis δόμοι apud Eurip. Alceft. 158.

12. Ibid. 66. 339. 341. 366. 389.

13. Odyf. α', 103. 119.

14. v. 2.

15. v. 44.: ad quem locum fchol. Baroc. ὀχήματα, inquit, ἀντὶ τοῦ ὄχημα· ἓν γὰρ ἦν ὄχημα, ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ [Oedip. tyr. 763.], Ἀπήνη δ' ἦγε Λάϊον μία.

16. 3. p. 183. Fab.

17. Odyf. γ', 478.

18. Odyf. γ', 481.

19. Phoeniff. 391.

numerum videret esse persona filii, generique, regis digniorem. Vt igitur haec, quae attulimus, exempla satis docere quemque posse speramus, scriptores Graecos substituisse pluralem numerum nominum saepenumero in locum alterius numeri, vt sese didicisse decori leges ostenderent, atque adeo nosse, quid esset personae cuiusque dignitati aptum, et congruens: ita non difficile erit exemplis aeque luculentis planum facere, vocabula eiusdem numeri posita inueniri in libris eorundem hominum de rebus singularibus, non vt istis rebus magnitudo quaedam, atque excellentia, adderetur, sed vt forma, ac species, dignitatis, et praestantiae, et nouitatis, quae iis iam natura inesset, menti lectoris, auditorisue, occurreret eo citius, atque certius. Quare enim *antrum* Pythonis in Parnasso monte, custodis templi, et oraculi, Delphici ab Apolline interemti, ab Euripide in Phoenissis [20] ἄντρα dictum esse arbitrabimur? Certe nullam aliam ob caussam, quam vt spectatores fabulae, atque lectores, statim ipsi viderent insignem amplitudinem sedis, et domicilii, serpentis, qui ferretur maximus, vastissimusque, fuisse. Tityus fingitur apud inferos, ob tentatam Latonam, hoc affici supplicio, vt iecur eius immortale a vulturibus tondeatur rostro immani, atque exedatur: qua iecinoris immortalitate, et vero etiam amplitudine, quum videret Axiochi auctor pluralem numerum digniorem esse numero singulari, illud eleganter sane σπλάγχνα [21] appellauit. Quem quidem numerum ne putemus ipsum hac gaudere vi, vt iecur *ingens*, atque *amplum*, significet: quem

20. v. 241.

21. s. 21.

quem non commoneat loci Homerici [22] memoria, vbi idem illud iecur ἧπαρ nuncupatur? Nam quum corpus Tityi a poëtis fingatur fuisse adeo vastum, vt porrectum amplitudine sua, et proceritate, complexum sit nouem terrae iugera: quis non concedat facile, atque fateatur, nomine ἧπαρ aeque, ac vocabulo σπλάγχνα, indicari iecur ingens, et amplum, quum etiam extorum modus sequi intellegatur rationem trunci corporis, aliarumque partium eius, ac membrorum, adeo, vt nihil interesse appareat inter singularem, et pluralem, numerum, nisi quod hic, et conuenientior sit naturae iecinoris Tityi, et lectores citius, atque facilius, cogitare de mole eius praecipua iubeat? Et cur tandem portentum illud nobile, et singulare, quod acciderat Graecis ad Aulidem, Boeotiae opidum, sacrificantibus, ab Homero, vno eodemque Iliadis loco, non solum τέρας μέγα [23], sed etiam δεινὰ πέλωρα [24], nominatur? Scilicet propterea, vt lectoribus carminis plurali vocabuli numero admiratio nouitatis prodigii eo prius, et certius, excitetur. Iocasta, Laii vxor, caedem mariti, ab Oedipo filio factam, apud Euripidem in Phoenissis [25], non τὸ κακὸν vocauit, sed τὰ κακά, quo magis, et facilius, cognoscerent spectatores fabulae, et lectores, magnitudinem non minus, quam multitudinem, malorum, et calamitatum, quae ex isto casu, tanquam e fonte, manassent. Et Chremylus apud Aristophanem in Pluto [26] vt ostenderet, quantum, et quam singulare, bonum

22. Odys. λ', 577.: qui locus laudatur ab Sexto Empir. c. mathematt. 9, 2. p. 567. Fabric.

23. Iliad. β', 324.

24. Iliad. β', 321.

25. v. 43.

26. v. 112. f. coll. 115. s.

num esset vsura luminum oculorum, recuperationem eius dixit ἀγαθά. Hanc Graecorum elegantiam, et vrbanitatem, imitati reperiuntur, pro singulari suo omnis doctrinae, et sapientiae, studio, non solum poëtae, sed etiam alii scriptores, Latini. Virgilius quidem Aeolo, ventorum domino, *sceptra* [27] tribuit, et bigas Hectoris, filii Priami, *currus* [28] nominauit, vt declararet scilicet, se maiestatis deorum, atque regum dignitatis, rationem habere didicisse. Iecur Tityi, quod Tibullus [29] non male *viscus* vocauit, ab Ouidio [30] ob singularem suam, praecipuamque, magnitudinem, vt supra significaui, elegantius appellatur *viscera:* et Trebatium, iureconsultum, qui profectus in Galliam esset ad Caesarem, vt ab eo, et augeretur, et ornaretur, neque tamen libenter in prouincia esset, immo domum redire properaret, Cicero, ob hanc tantam inconstantiam, sibi *leuem in vrbis*, *vrbanitatisque, desiderio* visum esse ait [31], sed alio eum loco [32] iubet *desideria* vrbis, et vrbanitatis, deponere. Iam vero quum vtroque illo loco significetur eadem animi perturbatio, idem aestus: a Cicerone altero loco pluralem numerum singulari praeoptatum esse, quod videret, eum accommodatiorem esse ad declarandam magnitudinem, et vehementiam, desiderii vrbis, vitaeque vrbanae, quo flagraret Trebatius, quis non intellegit? Frater Ciceronis fidelitatem, quae in Tirone erat, et *bona*, et *commoda*, nominat [33], quia virtus illa ad operam seruorum, et libertorum pertine-

27. Aen. 1, 57.
28. Aen. 1, 486.
29. 1, 3. 76.
30. Met. 4, 456.
31. 7. ep. 17, 2.
32. 7. ep. 6, 2.
33. 16. ep. 16.

tinebat, quam conſtat fuiſſe multiplicem, et Coelius rumorem de Tranſpadanis [34], qui a Caeſare iuſſi erant quatuoruiros creare, vocauit [35] *rumores*, quo oſtenderet, rumorem illum fuiſſe tantum, vt totum Cumanorum opidum peruaſerit. Ex his igitur, aliiſque eius generis, exemplis ſperamus ſatis perſpici ab omnibus poſſe, pluralem numerum nominum ab optimis vtriuſque linguae auctoribus, non ita poni de rebus ſingularibus, vt iis addat notionem magnitudinis, dignitatis, excellentiae; quippe quae iam ipſarum rerum notioni ineſſe reperiatur; ſed propterea, vel quod ille natura, ingenioque, rerum videatur eſſe dignior, vel vt lector de magnitudine earum, atque excellentia, eo prius admoneatur, et vt menti eius eo facilius offeratur dignitas earundem, atque praeſtantia. Caeterum non ignoramus, Graecos ſcriptores, et in his Atticos maxime, ſubſtituiſſe hoc ipſo in genere nonnunquam numerum pluratiuum pro altero etiam propterea, ne concurſu vnius eiuſdemque vocalis, atque ſyllabae, crebro aures liberales, quibus nihil eſſet faſtidioſius, offenderentur, laederenturque [36].

III. Iam quum ipſa natura intellegatur plurali numero nominum rerum has, quas oſtendimus, partes, perſonamque, dediſſe; quum nulla facile gens linguam ſuam, et orationem, diligentius conformaſſe inueniatur, ſtudioſiuſque ex-

34. Cic. 5. ad Att. ep. 2.

35. 8. ep. 1, 5.

36. Ariſtoph. Plut. 963. ſ. 'Αλλ' ἴθ' ἐπ' αὐτὰς τὰς θύρας ἀφιγμένη, Ὦ μειρακίσκη· ſed Rann. 439. eadem ſententia expreſſa eſt ſic, 'Αλλ' ἴθ' ἐπ' αὐτὴν τὴν θύραν ἀφιγμένος.

excoluisse, ad leges, et arbitrium, naturae, quam Hebraeorum ciuitas: quis, quaeso, miretur, nec in Hebraicis libris rara esse huius, de quo quaerimus, pluralis numeri vsus exempla? Eo quidem Geneseos loco [37], quo Iacobus inducitur canens, veluti vates, filiorum suorum cuiusque fata, Rubenus, natu eorum maximus, dicitur עֲלוֹת מִשְׁכְּבֵי אָבִיו, hoc est, *rem habuisse cum Bilha, pellice patris sui.* Moses enim ipse istud Rubeni flagitium, cuius mentionem fecit pater moriens, alio eiusdem libri loco [38] expressit his verbis, וַיִּשְׁכַּב אֶת־בִּלְהָה פִּילֶגֶשׁ אָבִיו. Etenim vt nomen λέκτρον a Graecis non semper de *lecto*, et *cubili*, quouis ponitur [39], sed saepissime de *lecto*, siue toro, *geniali*, et coniugali; vt λέκτρα Iocastae apud Euripidem in Phoenissis [40] dicitur *lectus coniugalis*, in quo Iocasta dormiuit, et concubuit, cum Laio marito: ita vocabulo מִשְׁכָּב in lingua Hebraeorum, non tantum *lectus*, et *cubile* quoduis, sed etiam *lectus coniugalis*, significatur, sic, vt מִשְׁכַּב אָב sit *lectus genialis, in quo pater dormit, et concumbit, cum vxore*, vel etiam *cum pellice.* Neque enim quenquam sperabamus adeo ineptum fore, et stultum, qui Mosen clamaret plurali numero propterea vsum esse, vt magnitudinem lecti, et capacitatem, indicaret: immo praeoptauit eum alteri numero, quod vim eius, et naturam, videret esse personae, et dignitati, patris conuenientiorem; quemadmodum Euripides lectum Iocastae genialem dixit λέκτρα, ne scilicet oratio ab maiestate personae loquentis discreparet. Quod quidem quum non ignorarent, pro

37. C. 49, 4.

38. C. 35, 22.

39. Homer. Odys. α, 437.

40. v. 14. Sic λέχος legitur apud Eurip. Alcest. 173.

pro doctrina ſua, Alexandrini interpretes: nomen מִשְׁכָּבִים intellegenter vtique reddiderunt nomine κοίτη· quod in Latina verſione vetere expreſſum legitur vocabulo *cubile*, neque a verbis λέχη, λέκτρον, et λέκτρα, differt [41], quibus eodem modo vſus eſt Muſaeus in carmine, quo Herus, et Leandri, amores cecinit [42]. Vocabulo בְּגָדִים, quod a verbo בגד ductum eſt, cui etiam *tegendi*, et *operiendi*, notionem ſubiectam fuiſſe, vſus eius in lingua Arabica docet, Hebraei complectuntur *omnis generis veſtes*, et interiores, hoc eſt, tunicas, et exteriores, id eſt, pallia, quoniam iis corpus, eiuſque membra, conteguntur, et cooperiuntur: et tamen Dauides eo hymno [43], quo perſequutus eſt incommoda, quae Chriſto, dei, hominumque, ſequeſtri, euentura eſſent, hoc ipſo nomine ſolum eius *pallium* ſignificauit; quippe quod quaternio militum Romanorum, quatuor in partes diſciſſum, diſtribuiſſe inter ſe legitur in Euangeliſtarum commentariis [44]: ſcilicet ne oratio abhorrere videretur a perſona, et maieſtate, eius, cuius a ſe caſus canerentur. Nullamque ſane aliam ob cauſſam videtur, et Ehudis, et eius militis, *ſagum*, qui venit nuntius cladis Iſraëlitarum a Palaeſtinis acceptae Siluntem ad Elaeum, ſacerdotum principem, ab auctore commentariorum Suffetum [45], et Samuelis [46], dictum eſſe מַדִּים, quam vt nomen ornamenti aptum eſſet, et congruens, fidei mi-

41. Heſychius: Λέκτροισι· κοίταις· idem, et ex eo Phauorinus: Λέχεσι· κοίταις. Suidas: Λέκτροις· κοίταις· καὶ λέκτρον, ἐνικῶς, ἡ κοίτη.

42. v. 79. 127. 283.

43. Pſ. 22, 19.

44. Ioh. 19, 23. Matth. 27, 35. Marc. 15, 24. Luc. 23, 34.

45. C. 3, 16.

46. 1. Sam. 4, 12.

militum, atque fortitudinis magnitudini. Sed quare *fiscum*, hoc est, priuatam pecuniam, Ahasveri, regis Persarum, in historia Estherae 47, גְּנָזִים, et *ventriculum* ceti, id est, carchariae, siue lamiae, cuius in recessibus Ionan, vatem, triduum latuisse legimus, in eius oraculis 48 מֵעַיִם, appellari statuemus? Scilicet propterea, vt non solum ipse vocabulorum numerus responderet rerum magnitudini, sed vt etiam insignis, et pecuniae regiae copia, atque vis, et amplitudo, atque capacitas, ventriculi piscis, lectoris menti statim, vltroque, occurreret.

IIII. Haec autem omnia a nobis quorsum disputata sunt? Nimirum eo, vt doceremus tirones, et alios, qui in legendis libris Noui Testamenti diuinis Lexica eorum consulere cogerentur, plurali nominum numero nec in istis scriptis tribuendam esse maiorem vim, ac potestatem, quam qua eum praeditum esse viderent in scriptis humanis vtriusque linguae, et vero etiam in libris diuinis Veteris Testamenti. Nam vt iste numerus interpretes librorum Graecorum, Latinorumque, haud indoctos multis in locis ita offendit, vt eum in alterum numerum mutarent 49, aut certe mutandum censerent 50: ita multis

47. C. 3, 9.

48. C. 2, 1. s.

49. Ap. Aristoph. Plut. 128. s. in edit. Paris. a. 1528. ab Ioh. Cheradamo adornata, vt in exemplo Cratandreo a. 1532., et Brubachiano a. 1544., legitur, Ἐγὼ γὰρ ἀποδείξω σε τȣ̃ Διὸς πολὺ Μείζω δυνάμενον· quae lectio, et natura rei ipsius; Chremylus enim instituit demonstrare magnitudinem potentiae Pluti; et aurium indicio, confirmatur. Altera scriptura μεῖζον δυνάμενον, quae ex Aldino exemplo in alios libros profecta est, malae manuum grammaticorum sedulitati deberi videtur.

50. Apud Florum H. R. I, I.

multis Lexicorum Noui Teſtamenti conditoribus in mentem veniſſe ſcimus, nomina pluralis numeri tantum non omnia ita explicare, vt iis, vel multas alicuius generis res ſignificari, vel certe ipſis rebus praeſtantiam quandam ſingularem, atque excellentiam, addi, praeceperint. Quod quidem praeceptum quantopere repugnet, et adverſetur, legi bonae, iuſtaeque, interpretationis illi, qua diligenter cauere iubemur, ne ampliores verbis ſubiicere notiones audeamus, quam quae iis fuerint ab ipſis ſcriptoribus ſubiectae: nonnullis, age, eiuſmodi nominum exemplis planum facere conabimur. Ab Paulo enim Apoſtolo in epiſtola ad Hebraeos [51] hanc rerum vniverſitatem, non *τὸν αἰῶνα*, ſed *τοὺς αἰῶνας*, nominatam legimus. Cuius quidem appellationis cauſſam Ioh. Vorſtius [52], eoque auctore multi Lexicographi, quo in numero fuimus nos nuper ipſi [53], tradunt hanc eſſe, quod Iudaei veteres mundum in tres partes deſcripſerint, quarum ſummam dixerint עולם העליון, mediam עולם התיכון, imam denique עולם התחתון, et עולם השפל [54], atque adeo rerum vniuerſitatem etiam עולמים, non tantum עולם, appellarint. Alii Apoſtolum plurali numero docent propterea vſum eſſe, vt magnitudinem mundi proponeret lectoribus,

I, I. I2. pro *Sabinis portae proditae* Puteanus putabat legendum eſſe *S. porta prodita.* At Florus etiam eo loco orationem poëtarum imitatus eſt, qui plurali numero de vna porta vtuntur, exemplo Graecorum. v., praeter Ducquerum ad Flor. d. l., nos ad Aeſchin. Socr. 3, 3. 2. et Schraderus animaduerſſ. ad Muſae. v. 17. p. 130.

51. C. I, 2. II, 3.

52. Philol. S. c. II, 7. p. 299. ſ. Lipſ.

53. Ad Stocquii Lex. N. T. p. 1180.

54. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. עולם p. 1620.

ribus, eosque cogitare iuberet de omnibus omnino rebus, quae orbe mundi continerentur. Nobis vero neutra sese ratio vnquam omni ex parte probauit. Etenim primum magnitudinis notio intellegitur ipsius mundi naturae inesse, vt nihil referre satis appareat, pluralis numeri vocabulo eum, an nomine alterius numeri, appelles [55]: et quis tandem de mole mundi vnquam cogitavit, cuius menti non statim occurrerit rerum, quibus mundus constat, vniuersitatis imago? Deinde triplicem illam mundi descriptionem scimus doceri non posse Christi iam, Apostolorumque, aetate ab Iudaeis vsurpatam fuisse: et quum mundus reperiatur ab Arabibus etiam عالمين dictus esse [56], non tantum عالم: quis non recte arbitretur, Hebraeos tum plurali numero nominis עולם de rerum vniuersitate propterea vsos esse, quod eum viderent naturae, atque ingenio, tantae, et tam vastae, molis aptiorem esse, atque conuenientiorem? Hebraeorum vero vsum loquendi quin ipse Paulus sequutus *mundum* vocarit,

55. Vid. Matth. 13, 39. s.

56. Vid. Alcoran. Sur. 1.: vbi deus vocatur رب العالمين, hoc est, οὐρανοῦ καὶ γῆς κύριος Act. 17, 24., et κύριος τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς Matth. 11, 25.: ὁ τῶν ὅλων κύριος Theophilus ad Autolyc. 1, 11. Sed ab Athenagora Apol. 26, 14. dicitur ὁ ποιητὴς τοῦδε τοῦ παντός· ab Iustino Martyre Apol. 1, 16. ὁ δημιουργὸς τοῦδε τοῦ παντός· a Zacharia scholast. Ammon. p. 168. Barth. ὁ τοῦδε τοῦ παντὸς πατὴρ καὶ ποιητὴς, p. 173. ποιητὴς τῶν ὅλων, p. 213. ποιητὴς τοῦ κόσμου. Vnde ap. Theophil. ad Autolyc. 3, 7. p. 306. Volf. legi debet τὸν κτίστην, καὶ ποιητὴν, καὶ δημιουργὸν, τοῦδε τοῦ παντὸς, non τοῦδε τοῦ παντὸς κόσμου. nam κόσμου interpretamentum est caeterorum verborum.

carit, eadem de caussa, τὰς αἰῶνας, eo minus dubitari posse putamus, quum scriptores diuini illam ipsam rationem tenuerint etiam in appellandis rebus singularibus aliis, quas eminere suo in genere constaret, vel sponte, vel consuetudinis Hebraicae admonitu. Nam locus is, qui hominibus videtur esse sedes quasi, et domicilium, dei, eiusque ministrorum, ac satellitum, in libris Noui Testamenti, non solum οὐρανὸς, sed etiam οὐρανοί [57], dicitur, cum quia ab Hebraeis nomine eiusdem numeri signatus legitur, tum quoniam iste numerus maiestate dei, reliquorumque incolarum, et habitatorum, praestantia, dignior habetur. Nam qui aliter iudicant de vsu pluralis numeri huius nominis; qui varia eo caeli genera indicari putant; eorum sententia, et iudicium, conuinci facile vanitatis, atque leuitatis, non solum eorum locorum auctoritate, potest, quibus singularis numerus extat de illo ipso dei domicilio, et e quibus idem numerus successit, in multis codicibus antiquis [58], in alterius numeri locum, sed etiam vsus loquendi barbarorum scriptorum grauitate, in primisque poëtarum: quippe qui sedem, domiciliumque, deorum, et ὑπέρτατα δώματα, et Ὀλύμπια δώματα [59], vocant, vt scilicet forma nominis habitaculi sit ipsorum incolarum dignitati summae accommodata. Et quoniam Hebraei, non modo septimum quemque diem, quo quiescere Iudaeos, et vacare ab omni curatione, atque administratione, negotiorum, leges diuinae iuberent, vt seruaretur eius

57. Matth. 6, 1. 9. 18. 10. Phill. 3, 20.

58. Vid. Eph. 3, 15.

59. Vid. Hesiodus Ἔργ. 8. 110.

eius temporis memoria, quo deus proferre rerum vniuerſitatem, atque exornare, deſiiſſet, ſed etiam hebdomada quamque [60], שַׁבָּת dixere: Iudaei Alexandrini, caeterique interpretes, qui viderent, notiones vocabuli Hebraici vno verbo Graeco exprimi recte non poſſe, retinendum illud ita cenſuere, vt formam eius aptarent ad Graeci ſermonis leges, atque adeo nunc ſingulari numero σάββατον [61], nunc plurali σάββατα [62], vterentur. Qua quidem in re auctoritatem iſtorum interpretum ſequutos eſſe Euangeliſtas, et Apoſtolos, ita euidens, certumque, videtur, vt recte dubitari a nemine vllo modo poſſit. Miror enim non parum, Fullerum [63], doctiſſimum virum, perſuadere ſibi potuiſſe, ab Alexandrinis interpretibus forma vocabuli σάββατα expreſſam eſſe formam eius Chaldaicam שַׁבַּתָּא, quum tamen apertiſſimum videatur, σάββατα eſſe pluralem numerum, ab ſingulari numero σάββατον ductum, cuius obliqui quoque caſus legantur in verſione Alexandrina Veteris Teſtamenti, Euangeliſtarumque commentariis, et Pauli epiſtolis, non minus, quam in libris barbarorum ſcriptorum, hoſque omnes ſaepius plurali numero [64] vſos eſſe, quam ſingulari, propterea, quod eum viderent religioni, ac ſanctitati,

60. Vid. Leuit. 23, 15. ſ.: quo loco Alex. Iudaei habent ἑβδομάδες, et ἑβδομὰς, ſed alius interpres, fortaſſe Aquila, σάββατα, et σάββατον: et Targum Eſth. 2, 9.

61. Ex. 31, 14. et Numerr. 15, 32. in Complut. Ald. Alex.

62. Ier. 17, 21. 24.

63. Miſcell. theologg. 2, 10. p. 250. Oxon. Nam σάββασι Matth. 12, 1., aliiſque in locis, dictum eſt, vt πρόβασι, ἔγκασι, πέταλσι, et eius generis alia.

64. Vid. Matth. 12, 1. 10. coll. v. 2. et Luc. 6, 1. 7.: Marc. 16, 2. coll. v. 9.

tati, diei septimi esse accommodatiorem: ita tamen, vt in codicibus antiquis, et versionis Alexandrinae, et Noui Testamenti [65], multis locis, singularis pro plurali substitutus inueniatur. Sed in euangeliis etiam vestis exterior, hoc est, *pallium*, pluribus locis ἱμάτια [66], quam ἱμάτιον, appellatur; ita, vt auctores eorum hac ipsa in re sequutos appareat vsum loquendi Graecorum interpretum alterius Testamenti. Etenim quum vestis virorum nobilium, et illustrium, primorumque, et honestarum, matronarum, superior, hoc est, *pallium*, et *palla*, non modo amplior esset, et prolixior, sed etiam magnificentior, ac splendidior, interiore veste, id est, tunica, et stola: huius amplitudinis, et magnificentiae, rationem a se ita habendam censuere Hebraei, vt vestem ipsam plurali numero nominum בֶּגֶד [67], et שִׂמְלָה [68], notarent. Cuius quidem eorum elegantiae, atque vrbanitatis, vestigia persequuti Alexandrini Iudaei, pluralem numerum nominis ἱμάτιον posuere, non modo iis in locis librorum sacrorum, quibus nomina pluralia בְּגָדִים, et שְׂמָלוֹת extant, sed etiam ibi, vbi singularia vocabula בֶּגֶד [69], et מְעִיל [70], leguntur: quod iis eo minus potest, ac debet, vitio verti, quum etiam barbari scriptores diligentissimi, maximeque poëtae, vt Euripides [71], et alii, exterio-

65. Vid. Matth. 12, 1. 1. Corr. 16, 2.

66. Matth. 17, 2. 24, 18.: vbi v. Grotius: coll. Marc. 13, 16.: 27, 31. 35. Marc. 5, 28. 30.: coll. v. 27.: 9, 3. Ioh. 19, 23.

67. Ps. 22, 19.

68. Ruth. 3, 3.

69. Gen. 39, 18.: vbi Iosephus Archaeol. 2, 3. p. 36. Bas. habet τὸ ἱμάτιον.

70. Iob. 1, 20.: vbi Aqu. habet ἔνδυμα· Sym. ἐφεστρίδα· Theodot. ἐπενδύτην.

71. Phoenn. 337. s. 385.

riorem eiuſmodi perſonarum veſtem appellarint eiuſdem numeri vocabulis. Qua ipſa ex re quis eſt, qui non intellegat, quam grauiter errent Lexicographi, et interpretes Noui Teſtamenti ii, qui ἱμάτια nominent *veſtes* [72], et ἱμάτιον de *tunica* accipiant? Quum igitur Euangeliſtae, et Apoſtoli, reperiantur, Hebraicae conſuetudinis loquendi admonitu, multas alias res ſingulares, ſed magnas illas, ſuoque in genere excellentes, expreſſiſſe plurali nominum numero: neminem fore ſperamus, qui miretur, *mundum*, hoc eſt, caelum cum luminibus variis, terram cum campis, et montibus, maria cum fluminibus, et ſtagnis, et fontibus, a Paulo τȣ̀ς αἰῶνας dictum eſſe, praeſertim quum ipſi philoſophi barbari eundem nuncupaſſe legantur, non ſolum τὸ ὅλον, et τὸ πᾶν [73], ſed etiam τὰ ὅλα, et τὰ πάντα [74], vt Iohannes

72. Vid. Caſaubonus exercitatt. Antibaronn. 16, 84. p. 451. ſ.

73. Plato Phileb. 16. τόδε τὸ καλȣ́μενον ὅλον· et Zeno Citieus ſcripſerat librum περὶ ὅλȣ. vid. Laërt. 7, 145. Plato Tim. p. 1047. B Francof. τὸν μὲν ȣ̃ν ποιητὴν, καὶ πατέρα, τȣ̃δε τȣ̃ παντὸς, εὑρεῖν τε ἔργον κ. τ. λ.: Phaedon. 57. εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τȣ̃ παντὸς ἀπαλλαγή· vbi v. not. 9.: et Ocellus Lucanus reliquit libellum περὶ τῆς τȣ̃ παντὸς φύσεως· ſed c. 1. p. 12. Comel. τὸ δέ γε ὅλον, inquit, καὶ τὸ πᾶν, ὀνομάζω τὸν σύμπαντα κόσμον. Iamblichus apud Stobaeum Eclogg. ethth. 5. p. 68. Turic. καὶ τόγε πᾶν τȣ̃το διὰ τὴν κοσμιότητα τῶν καλλίςων μέτρων κόσμος ἐπικαλεῖται. add. Macrobius in ſomn. Scip. 1, 17. Caeterum quid interſit inter τὸ πᾶν, et τὸ ὅλον, de Stoicorum ſententia, v. ap. Stobaeum Eclogg. phyſicc. 1, 25. p. 47. Canter.

74. Plutarchus Pericl. p. 154. B To. 1. de Anaxagora Clazomenio: ὅτι τοῖς ὅλοις πρῶτος — νȣ̃ν ἐπέςησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον. Stenidas Locrenſis apud Stobaeum Eclogg. ethicc. 46. p. 332.

hannes Apoſtolus: qui quum capite Apocalypſeos quarto [75] deum dixiſſet κτίσαι τὰ πάντα, alio eiuſdem libri loco [76] eum oſtendit κτίσαι τὸν οὐρανὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, καὶ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐν αὐτῇ, καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὰ ἐν αὐτῇ. Atque hunc Graecorum ſcriptorum loquendi morem imitati Latini philoſophi mundum, et *vniuerſum*, et *vniuerſa* [77], dixere. Quis vero erit ita ineptus, omniſque vrbanitatis iudicii ita expers, qui numerum iſtorum verborum pluralem a ſingulari aliter differre neget, niſi ſic, vt ille dignior reperiatur natura, et mole mundi vaſta, atque eiuſmodi, cuius indicio mens lectoris prius, et citius, admoneatur de admirabili, incredibilique, vniuerſi amplitudine? Cuius quidem ipſius obſeruationis memores oportebat eſſe Lexicographos Noui Teſtamenti in explicanda notione pluralis numeri nominis οἰκτιρμὸς, quo idem ille Paulus in ſuis epiſtolis de miſericordia dei, et amore erga homines [78], vſus eſt. Stocquius enim, et alii, eo *immenſam*, atque *intimam*, declarari miſericordiam praecipiunt. Quod tamen eorum praeceptum quam falſum ſit, quamque alienum, cum ab ipſius miſericordiae, et liberalitatis, diuinae ingenio, tum ab vſu loquendi Hebraeorum, atque adeo Pauli, reliquorumque ſcriptorum ſacrorum, quis non videt? Etenim quum virtutes dei ad vnam omnes intellegantur eſſe eiuſmodi, vt, neque terminus in eas, neque menſura, vl-

332. de deo: ἀεὶ τὰ πάντα διοικεῖ τε, καὶ ζώει. add. Iuſtinus Martyr Apol. 1, 8. 80. 83.

75. v. 11.

76. C. 10, 6.

77. v. Lactant. 2, 5. 17. 2, 8. 71. et Auguſtinus C. D. 1, 36.

78. Romm. 12, 1. 2. Corr. 1, 3.

lo modo cadat: quis eſt, qui, ſi miſericordiam eius, amoremque erga homines, laudari videat, non ſponte cogitet, has virtutes immenſas eſſe, atque infinitas, ita, vt notionem immenſitatis, atque infinitatis, appareat ipſa miſericordiae, et pietatis, diuinae notione contineri, nihilque adeo intereſſe, vtrum vocabulo illae plurali, an ſingulari, exprimantur? Sed quo citius ſe, atque facilius, menti lectoris offerret magnitudo diuinae liberalitatis immenſa, quo aptiora reperirentur, et conuenientiora, miſericordiae dei, amoriſque erga homines, vocabula ipſi harum virtutum excellentiae: Hebraeis eas viſum eſt inſignire pluralibus nominibus רַחֲמִים, et חֲסָדִים. Quibus quidem verbis non maiorem tributam eſſe a diuinis ſcriptoribus poteſtatem ea, quam diximus, multa vtique ſunt, quae, non tam ſignificent, quam declarent. Etenim primum in ipſis libris Veteris Teſtamenti nomen ſingulare חֶסֶד multis locis ſubſtitutum pro plurali nomine חֲסָדִים extat [79], idemque nomen ſingulare nonnunquam plurali nomini רַחֲמִים omnino reſpondet [80]: et ſi vocabulis חֲסָדִים, atque רַחֲמִים, ipſis magnitudo, ac immenſitas, liberalitatis diuinae indicaretur: quid neceſſe erat, vt iis a Davide, aliiſque prophetis, adderentur nomen רוֹב [81], et verba גְּדוֹלִים [82], atque רַבִּים [83]? Deinde vt paraphraſtae Chaldaei Hebraicum nomen חֵן reddidiſſe reperiuntur nomine רַחְמִין [84]: ita Ale-

79. Pſ. 103. 4. Ier. 16, 5. Hoſ. 2, 21. coll. Pſ. 25, 6.

80. Vid. Pſ. 40, 12.

81. Pſ. 51, 3. 106, 7. Eſai. 63, 7. Threnn. 3, 32.

82. Eſai. 54, 7.

83. Pſ. 119, 156. Dan. 9, 18. coll. 1. Pe. 1, 3.

84. Onquel. Gen. 6, 8.

Alexandrini interpretes, et cum iis Theodotio, hoc ipsum nomen רַחֲמִים etiam singulari vocabulo οἰκτιρμὸς [85] expressisse leguntur. Et nos negare sustinebimus, pluralibus verbis חֲסָדִים, et רַחֲמִים, idem, quod singularibus, significari? Iam vero quum dubitari a nemine vllo modo posse videatur, quin Paulus quoque vsum loquendi Hebraeorum, Iudaeorumque Alexandrinorum, sequutus sit: palam esse arbitramur, primum, nomine οἰκτιρμὸς ab eo explicatum esse, non modo nomen רַחֲמִים, sed etiam vocabulum חֲסָדִים, ita quidem, vt illo denotaretur, cum *misericordia*, tum omnino *amor*, quo deus ferri in homines, pro incredibili bonitate sua, intellegitur, fons misericordiae omnis, atque caput: deinde, eundem Apostolum praetulisse pluralem numerum istius nominis singulari, quod esset magnitudini amoris, misericordiaeque, diuinae aptior, neque propterea, vt eo immensitas illarum virtutum, atque excellentia, exprimeretur; quippe quae potuisset aeque recte significari altero numero. Quam quidem sententiam nostram confirmari ipso vsu loquendi scriptorum diuinorum videmus. Nam *commiserans amor*, hoc est, *misericordia*, quam Paulus in epistola ad Colassenses [86] σπλάγχνα οἰκτιρμῶν vocat, a Luca in commentariis rerum Christi [87] appellatur σπλάγχνα ἐλέους. Et nonne idem Paulus in epistola ad Hebraeos

85. Zach. 1, 16. 7, 9. et Theodot. Ps. 103, 4.

86. C. 3, 12.: vbi codd. nonnulli pro οἰκτιρμῶν habent οἰκτιρμοῦ· quem numerum Grisbachius nuper, et Matthaeius, substituerunt in suis exemplis pro altero numero, abdicente vsu loquendi Hebraeorum, atque adeo ipsius Pauli, et repugnante legum criticarum auctoritate.

87. C. 1, 78.

braeos pro χωρὶς οἰκτιρμῶν [88], recte, saluaque orationis grauitate, scribere potuisset χωρὶς ἐλέους? Nos vero plurali numero nominis οἰκτιρμὸς plus significari contendemus a scriptore diuino, quam singulari? Sed aeque grauiter lapsi videntur Lexicographi, qui eo loco, quo animus Lazari legitur, statim post discessum ab corpore, vsura aeternorum gaudiorum frui coepisse, a Luca [89] aiunt pluralem numerum nominis κόλπος propterea alteri numero praeoptatum esse, vt ostenderet lectoribus suorum commentariorum, animo hominis pii, atque sancti, simulac ex corporis vinculis, tanquam ex carcere, euolasset, summam, et absolutissimam, felicitatem plane, atque omnino, contigisse. Ergone hic idem Euangelista, quum refert [90], Lazarum ἀπενεχθῆναι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ, quae verba illo ipso loco leguntur, quia singulari numero vsus est, non ostendit, animum Lazari omnino potitum esse liquidis, atque plenis, gaudiis? Scilicet felicitas aeterna, cuius vsura impertiri scimus animos hominum piorum post migrationem ex hac vita in alteram, comparari solet in libris diuinis [91] cum conuiuio, atque epulis, quibus accumbant Abrahamus, Isaacus, et Iacobus, ciuitatis Iudaeorum principes. Iam vero conuiuarum, epulonumque, eum, qui, more veterum, proximus alteri recumberet, *in huius sinu recumbere* dicebant Romani [92]: quod Iohannes in euangelio [93] ἐν τῷ κόλπῳ ἀνακεῖσθαι vocat, etiam ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὸ στῆθος [94], Lucianus πλη-

88. C. 10, 28.
89. C. 16, 23.
90. C. 16, 22.
91. Matth. 8, 11.
92. Vid. Plin. 4. ep. 22, 4. coll. 2. ep. 6, 3.
93. C. 13, 23.
94. C. 21, 20.

πλησίον κατακεῖσθαι[95], Theophrastus in characteribus ethicis[96] simpliciter παρακεῖσθαι· quod verbum in glossariis antiquis eleganter sane explicatum verbo Latino *subiacere*[97] legitur. Itaque verbis, ἀπενεχθῆναι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ, quid putemus a Luca significari aliud, nisi hoc, quod Lazarus post mortem iussus fuerit ab apparitoribus dei, et ministris, proximus Abrahamo, et in sinu eius, recumbere, hoc est, quod animus Lazari, statim a discessu a corpore, eadem cum Abrahamo felicitate, iisdem gaudiis, frui apud superos coeperit? Et heluo iste diues, atque inhumanus, dicitur[98] vidisse Lazarum recumbentem ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Ἀβραάμ, ita, vt cognouisse intellegatur, animum Lazari eadem cum Abrahamo beatitate, iisdem laetitiis, cumulatum exultare. Sed Lucas isto loco pluralem numerum praeoptauit singulari, non tantum propterea, quod eum putaret congruentiorem esse personae Abrahami; cuius vrbanitatis exempla multa in libris barbarorum scriptorum extare nouimus[99]; sed vel maxime hanc ob caussam, vt concinnitatis studium

 pro-

95. Hermotim. p. 513. To. 1. Graeu.

96. C. 2, 4. Nam certissimum est, pro παραμένων ibi, Gronouio auo auctore, reponi debere παρακειμένῳ. vt in noua opusculi aurei editione pluribus a nobis, volente deo, docebitur. Theophrastus ipse c. 21, 1. ita dixit παρά τινα κατακεῖσθαι. Ab Xenophonte Cyrop. 2, 2. 16. talis conuiua vocatur, et παρακλίτης, et ὁ παρακατακείμενος.

97. Ouidius Amorr. 1, 4. 5. ita verbo *subiectum esse* vsus est: *Alteriusque sinus apte subiecta fouebis?* h. e. alterius in sinu recumbes.

98. Luc. 16, 23.

99. Vid. Georgius Vindicc. N. T. ab Hebraismis p. 229. s. et Palaretus ad Luc. d. l. add. Longus Pastorr. 1, 12. p. 88. Boden. coll. p. 86.

probaret lectoribus, quo magis verba, ὁρᾷ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ, respondere reperirentur verbis, ὑπάρχων ἐν βασάνοις. Qua quidem ex re speramus omnibus apertum fore, scripturam codicum quorundam, ἐν τῷ κόλπῳ, grammaticorum ingenio deberi, qui admonere lectores commentariorum Lucae voluerint, plurali numero subiectam existimari oportere vim singularis numeri: quem ipsum numerum expressum esse in versionibus Latini, Syrique, interpretis [100] videmus.

V. His igitur exemplis commonefacti tirones Graecarum literarum, aliique librorum Novi Testamenti lectores, diligenter cauebunt, ne verbis rerum pluralibus iusto maiorem, ampliremque, potestatem temere tribuant, firmiterque tenebunt, iudicium de vi vocabulorum huius generis faciundum esse, non e Lexicographorum praeceptis, ac monitis, verum e ratione, et vsu loquendi, vt omnino scriptorum veterum, ita in primis Hebraeorum, Alexandrinorumque Veteris Testamenti interpretum.

VI. Qua quidem disputatione nostra si contulisse aliquid videbimur ad regunda, atque acuenda, discipulorum nostrorum hoc in genere studia, vehementer, vniceque, laetabimur. Et quum interpretatione librorum diuinorum iusta, et idonea, nihil, neque publice, neque priuatim, melius, vtiliusque, reperiatur; quum magistri

100. Vulg. *et Lazarum in sinu eius.* Syrus: ܘܠܠܥܙܪ ܒܥܘܒܗ.

gistri scholarum docti, et fideles, discipulis libros vtriusque linguae optimos ita enarrent, vt viam iis aperiant, et muniant, ad collegendam, comparandamque, legitimae interpretationis librorum sacrorum vtriusque Testamenti facultatem; quum in ciuitatibus nunc propemodum omnibus summo studio id agatur, vt ratio disciplinae scholasticae corrigatur, atque emendetur; quum correctio eiusdem, atque emendatio, vel maxime contineatur solertia magistrorum, doctrinaque, alacri, et diligenti: quis non putet, a magistratibus, aliisque ciuitatum principibus, omnem curam, omnia consilia, cogitationes omnes, etiam in eo collocari, vt magistri scholarum probi praemiis doctrinae, fideique, amplissimis donentur, quorum stimulis incitetur, augeaturque, industria eorum, atque diligentia? Iam vero contemtus, quo nomen scholasticorum laborat, varius, atque multiplex, et inopia, qua ordo eorundem premitur, summa, ac grauissima, nonne declarant, a paucissimis ciuitatum principibus serio curari hoc, vt incommoda vitae scholasticae minuantur, et tollantur; a plerisque studiose id agi, vt vita magistrorum scholarum nouis cotidie molestiis augeatur, atque cumuletur? Quam quidem insignem *incommodorum, molestiarumque, vitae scholasticae copiam, et multitudinem*, cras in auditorio classico scholae Thomanae, hora V. vespertina, adulescens nobis carissimus, IOH. CHRISTI. VICTOR KINDERVATERVS, *Neoheilinga Thuringus*, alumnus disciplinae nostrae praecipue probus, et assiduus, oratiuncula Latina ita persequetur, vt non modo gratias deo maximas agat, suo, reliquorumque discipulorum, nomine, pro bonis supe-

ſuperiore anno ſcholae vniuerſae ab eo tributis, ſed eundem etiam ardentiſſimis precibus imploret, velit eam proximo quoque anno liberalitate ſua omni, et benignitate, complecti. Has igitur preces iuuenis optimi, agite, collegae coniunctiſſimi, noſtris precibus ita adiuuabimus, vt tutelae dei, et numini, quam diligentiſſime commendemus patronos ampliſſimos, et curatores ſapientiſſimos, ſcholae noſtrae, quo liberalitate eorum, et humanitate, excitati, atque exhilarati, eam ſemper probare conemur grauitatem, ac fidem, in impertienda ſapientiae, virtutiſque, praeceptis iuuentute, vt patriam nunquam poeniteat commiſiſſe diſciplinae noſtrae tantum puerorum, adoleſcentiumque, ingenuorum numerum. Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. III. Kal. Ianuarias A. C. CIↃIↃCCLXXVII

PROLV

PROLVSIO SEPTIMA

DE NOTIONIBVS IVSTO AMPLIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. NOMINIBVS PERSONARVM PLVRALIBVS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Notare superiore in libello, atque coarguere, conati sumus errorem Lexicographorum Noui Testamenti eum, quo ablati nominibus multarum rerum singularium pluralibus tribuunt eam vim, vt declarari illis praecipiant singularem quandam, ac nouam, istarum rerum magnitudinem, et excellentiam, et praestantiam. Sed eodem hoc errore lapsi deprehenduntur illi ipsi homines in explicandis sacrorum librorum locis iis, vbi de personis singulis, sed excellentibus illis, atque splendidis, verba pluralis numeri posita extant. His enim verbis, non singulos homines, verum multos, significari, non aiunt, sed contendunt. Quam quidem in rem ab iis affertur etiam locus e Matthaei commentariis ille [1], quo satellitum dei, et ministrorum, aliquis Iosepho, Mariae marito, mortem Herodis magni, Iudaeae regis, ita nuntiasse in somnis, et quiete, refertur, *τεθνήκασι — οἱ ζητȣ̃ντες τὴν ψυχὴν τȣ̃ παιδίȣ.* His enim

1. C. 2, 20.

enim verbis opinantur [2], non ſolum Herodem, ſed omnes illos, quos rex iuſſerit interficere per inſidias dei, et Mariae, filium, indicari, nominatim Antipatrum, filium regis natu maximum, qui, iuſſu patris, fuerit, paulo ante eius obitum, interemtus [3]. Quae tamen opinio quam inanis, ſit, et vana, quantopere aduerſetur, atque repugnet, legibus bonae interpretationis, et auctoritati vſus loquendi ſcriptorum diuinorum, haud difficile erit ita docere, vt vanitas eius, atque leuitas, et cognoſci facile ab omnibus, et plane perſpici, poſſit.

II. Etenim Euangeliſta quum narraſſet, Ioſephum a deo admonitum fuiſſe per quietem, vt ex Iudaea in Aegyptum fugeret vna cum Maria, vxore, eiuſque filiolo, quod huius ſaluti, et vitae, ab Herode inſidiae pararentur, et vt ibi commoraretur, quoad rex mortuus eſſet; quum regem oſtendiſſet non ita multo poſt obiiſſe: hoc de eius obitu refert maritum Mariae certiorem factum eſſe a quodam apparitorum dei, atque redire iuſſum ex Aegypto in Iudaeam, quod inſidiator vitae pueruli eſſet ſublatus. E quo quidem narrationis tenore quis non intellegat, verbis Matthaei ſupra propoſitis ſignificari ſolum Herodem? praeſertim quum non ſit probabile, auctorem, et principem, inſidiarum, eiuſque conſiliarios, atque adiutores, ad vnum omnes, vno eodemque tempore fuiſſe mortuos, neque vllum reperiatur indicium, e quo vel leuiſſima capi con-

2. Hoc in numero fuit etiam Georgius, ſtudioſiſſimus ille, et acerrimus, elegantiae Graecae N. T. orationis propugnator, atque defenſor. v. Hierocrit. N. T. P. 1. p. 60.

3. Vid. Ioſephus Archaeol. 17, 9. Baſil. 17, 7. Hauerc.

coniectura possit, Antipatrum persequuturum fuisse foedissima huius paternae crudelitatis vestigia. Quare vero Euangelista, inquies, si de vno Herode loquutus est, plurali potissimum numero, neque singulari, vti instituit? cur non praeoptauit singularem numerum plurali, quum huius diligentiae auxilio cauere potuisset, ne oratio incideret in obscuritatem, atque ambiguitatem, vitium, vt omnino omnis orationis generis, ita in primis narrationum, maximum? Scilicet videbat Matthaeus, sensum istorum verborum nemini posse vllo modo dubium, incertumque, videri, quum reliquae narrationis partes attentissimum quemque eorum lectorem, non tam iuberent, quam cogerent, de vnius regis obitu cogitare: neque vitio sibi verti posse sperabat, quod in narrando sequutus esset sermonis ciuitatis suae, hoc est, Hebraici, consuetudinem, quae nemini eorum, a quibus suos legi commentarios vellet, neque posset esse, neque etiam deberet, incognita. Hebraicae enim linguae ea fuit vrbanitas, atque venustas, vt de regibus, et principibus ciuitatum, aliisque hominibus singulis, sed magnis illis, suoque in genere excellentibus, saepenumero vteretur nominibus appellatiuis, vti vocantur, pluralis numeri, omninoque de illis fere, tanquam de pluribus, loqueretur [4]. Ionathas quidem, Abiatharis, principis sacerdotum, filius, qui superuenisset Adoniae, filio Dauidis quarto, cum sodalibus hilarissime, et in aperto, ac propatulo, loco, epulanti, et ab eo, vt vir, et nuntius, bonus, blande, atque comiter, exceptus esset, hoc ei

4. Vid. Gataquerus Aduerss. miscellann. 2, 15.

ei dedisse responsum legitur in regum Iudaeae commentariis [5], אֲבָל אֲדֹנֵינוּ הַמֶּלֶךְ ־ דָּוִד הִמְלִיךְ אֶת ־ שְׁלֹמֹה, hoc est, *tristem vero affero nuntium: dominus noster, Dauides, rex, successorem sibi constituit Salomonem*: et loco eorundem commentariorum illo [6], quo Dauides ipse, qui a Bethsaba, et Natha, propheta, accepisset, Adonian rebus nouis studere, regnumque affectare, Sadoco, sacerdotum principi, et Nathae, et Banaeae, satellitum regiorum magistro, imperasse refertur, vt Salomonem, mula regia vehentem, deducerent, comitantibus satellitibus regiis, ad Gihonem fontem, eumque ibi inaugurarent, et declararent, regem, eo igitur loco Dauides ita agens cum amicis inducitur, קְחוּ עִמָּכֶם אֶת ־ עַבְדֵי אֲדֹנֵיכֶם, id est, vti Dau. Kimchius, et Salomon Melechides, praeclare sane, et intellegenter, interpretantur [7], עֲבָדָי, qui a Iosepho [8] aeque eleganter, et οἱ περὶ τὴν αὐλὴν ὁπλῖται, et σωματοφύλακες, *satellites*, *stipatores*, *corporis custodes*, appellantur. Vtroque igitur hoc loco, satis apertum est, atque euidens, vnum Dauidem nominari אֲדֹנִים, non אָדוֹן. Neque enim sperabamus quenquam fore adeo ineptum, et stultum, qui in verbis אֲדֹנֵינוּ, et אֲדֹנֵיכֶם, literam י delendam censeret, eaque ita scripta in antiquis codicibus extitisse propterea putaret, quod in versionibus nonnullis veteribus, tanquam Alexandrina, et vulgata, singularis numerus legeretur. Nam vt ingenium, neque

5. 1. Regg. 1, 43.

6. 1. Regg. 1, 33.

7. Verba eorum haec sunt, מה שאמר עבדי אדוניכם כאלה אמר עבדי:

8. Archaeol. 7, 11. p. 220. f.: vbi Banaeas vocatur ὁ ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων· sed p. 221. commemorantur οἱ περὶ τὴν αὐλὴν ὁπλῖται ἅπαντες.

que Graecae linguae, neque Latinae, locis illis vllo modo ferebat alterum numerum, adeo, vt interpretes cogerentur pluralem numerum singulari commutare: ita, praeter locos eos, quibus deus, et אֱלֹהִים dicitur, et אֲדֹנִים [9], quia vnus omnium maximam poteſtatem habet, quia vnius imperio omnia parent, quia propter ſummam naturae ſuae, et virtutum, praeſtantiam vnus omnium maxime afficiendus eſt ſummo mortalium cultu, et veneratione, extant in libris diuinis loci plures alii, vbi de hominibus ſingulis dignitate, et amplitudine, praeſtantibus nomina appellatiua pluralis numeri leguntur. In commentariis regum Iudaeae [10] Bethſabe perhibetur conueniſſe Dauidem in cubiculo regiae dormitorio, et ad eum detuliſſe, Adonian, Aegiſthes filium, regnum occupare ſtudere, eoque conſilio epulas apparaſſe lautiſſimas, quibus, praeter fratres eius omnes, Salomone excepto, et praeter Abiatharem, ſacerdotum principem, intereſſet Ioabus, שַׂר הַצָּבָא, hoc eſt, *imperator:* ſed eodem illo loco, paulo inferius [11], Nathas, propheta, inducitur regi orationem mulierculae ſuo teſtimonio ita confirmans, vt referat, Adonian inuitaſſe ad coenam, praeter filios regios, atque Abiatharem, לְשָׂרֵי הַצָּבָא. Iam vero ipſa res, et totius narrationis forma, atque ordo, ſatis declarant, verbis שָׂרֵי הַצָּבָא, non plures, ſed vnum imperatorem, Ioabum puta, ſignificari. Quod quum, pro doctrina ſua, et ſapientia, vidiſſent Alexan-

9. Malach. 1, 6.: quo loco οἱ ὁ habent κύριος· vulg. et Hieron. *dominus:* Chald. רִבּוֹן.

10. 1. Regg. 1, 15. ff.

11. C. 1, 25.

Alexandrini interpretes: vtroque illo loco verba Hebraica ſingulari vocabulo ἀρχιςράτηγος explicanda eſſe rectiſſime ſtatuerunt. Etſi enim non ignoramus, in Vaticano, et Alexandrino, aliiſque codicibus illius verſionis, adhuc quidem conſultis, et inſpectis, priore loco τὸν ἄρχοντα τῆς δυνάμεως, poſteriore τὰς ἄρχοντας τῆς δυνάμεως, legi; etſi non neſcimus, illas ipſas lectiones ab auctore vulgatae verſionis redditas eſſe verbis *principem militiae*, et *principes exercitus*; etſi nomen ἀρχιςράτηγος Symmachi ingenii, atque ſtyli, elegantia videri dignius poſſe videmus: tamen Alexandrinis illud Iudaeis vindicandum, reliqua verba ad Aquilam, tanquam auctorem, referenda eſſe, rationibus, vt opinamur, maxime idoneis adducti, cenſemus. Nam primum quidem inter omnes conſtat, Alexandrinos interpretes, multis in locis, vſos eſſe ea orationis munditie, et perſpicuitate, quam Symmachi doctrina, quamvis magna, tamen non ſit aſſequuta: deinde quum Iudaeorum Alexandrinorum illi, qui commentarios Samuelis, et regum Iudaeae, ex Hebraeo in Graecum conuerterunt, verba שַׂר צָבָא, aliis quoque iſtorum librorum in locis [12], explicaſſe nomine ἀρχιςράτηγος reperiantur; quis eos putet fuiſſe adeo inconſtantes, vt eadem haec verba Hebraica, locis ſupra laudatis, reddiderint verbis Graecis, iiſque minus exquiſitis, et elegantibus, aliis? Accedit, quod in iis codicibus, e quibus exemplum Alexandrinae verſionis Complutenſe ductum eſt, diſerte ſcriptum extitit, vtroque illo loco, τὸν ἀρχιςράτηγον. Quos codices quanquam certum eſt, atque re ipſa probatum,

12. 1. Sam. 12, 9. 14, 50. 26, 5. 2. Sam. 2, 8. 1. Regg. 2, 32.

batum, verba Iudaeorum Alexandrinorum exhibuiſſe, multis in locis, reliquorum interpretum verbis contaminata, et permiſta: tamen aeque exploratum habemus, diligentique vſu cognitum, in illis ipſis codicibus orationem Alexandrinorum interpretum ſinceram, integramque, ſeruatam remanſiſſe in locis aeque multis: cuius generis exempla quaedam inſignia infra apponere viſum eſt [13]. Hunc autem in nume-

13. 1. Sam. 8, 12. pro verbis Hebraicis, וְלַחֲרֹשׁ חֲרִישׁוֹ וְלִקְצֹר קְצִירוֹ, in exemplis verſionis Alexandrinae omnibus, excepto Complutenſi, leguntur Graeca verba haec, *καὶ θερίζειν θερισμὸν αὐτοῦ, καὶ τρυγᾷν τρυγητὸν αὐτοῦ*. Haec vero duplex eſt poſterioris membri interpretatio, ita, vt deſideretur membri prioris explicatio: quam quidem ſeruauit Complutenſe exemplum. In hoc enim totus ille locus ſic legitur, *καὶ ἀροτριᾷν τὴν ἀροτρίασιν αὐτοῦ, καὶ τρυγᾷν τρυγητὸν αὐτοῦ*. Nam quum ſeptuaginta interpretes permutare conſuerint inter ſe verba formarum; quum aliis quoque in locis verbum קָצַר reddiderint verbo *τρυγᾷν*, et nomen קָצִיר nomine *τρυγητός*· quod a nullo alio interprete factum reperiatur: quis dubitet, quin verba, *καὶ τρυγᾷν τρυγητὸν*, ab Alexandrinis Iudaeis profecta ſint, ſed verba, *καὶ θερίζειν θερισμὸν αὐτοῦ*, ex alia verſione, in margines exemplorum verſionis Alexandrinae tranſlata, inde in ipſum verborum contextum ita migrarint, vt loco mouerint verba *τῶν ό*, *καὶ ἀροτριᾷν τὴν ἀροτρίασιν αὐτοῦ*. Neque vero leuius documentum fidei codicum Complutenſium habetur 2. Regg. 12, 12.: quo loco pro verbis Hebraeis וַיּוֹצִיאֻהוּ reliqui libri omnes habent, *καὶ ἐξέδοσαν*· ſed Complutenſis, *καὶ ἐξωδίασαν αὐτό*· quae eſt vera lectio, etiam ab interprete Latino expreſſa verbis *qui impendebant eam*: *ἐξέδοσαν*, aut ex alia verſione ſumtum eſt, aut potius grammaticorum ingenio debetur, qui non viderint, quid ſibi vellet verbum *ἐξωδίασαν*. Nam primum v. 13. הוֹצִיא eſt *erogari, expendi*, quod verbum *οἱ ό* verbo *ἐξοδιάζεσθαι* explicarunt: deinde verbum הוֹצִיא refertur ad verbum

rum quin referendus ſit vterque ille locus, cuius de vera, genuinaque, ſcriptura quaerimus, vix dubitari poſſe putamus, quum Ioſephus, diligentiſſimus hiſtoricus, quem in Archaeologiae libris fere Alexandrinorum interpretum veſtigia ſequutum eſſe nouimus, ſi quidem eos vim, et poteſtatem, orationis Hebraicae aſſequutos vidiſſet, in ſuis codicibus Graecis, qui nondum eſſent aliorum interpretum verbis diſtincti, vtroque

הוּבָא v. 5. hoc eſt, *redigi*, quod iidem interpretes verbo *εἰσοδιάζεσθαι* reddidere: adeo, vt certiſſimum videri debeat, eos etiam verbum הוֹצִיא interpretatos eſſe verbo *ἐξοδιάζειν*, praeſertim quum communis dialectus reperiatur iſtud verbum ita frequentaſſe, vt eſſet *erogare*, *expendere*, *impendere*. Gloſſ. vett. Ἐξοδιάζω *Erogo, expendo.* Ἐξοδιάζειν *Erogare.* Ἔξοδος, *ἀνάλωμα*, *Erogatio*, *expenſus.* Ἐξοδιασμὸς *Erogatio.* Nam qui aliquid expendit, qui impenſam, ſumtum, facit, is exire iubet, effert, pecuniam e domo. v. Ariſtoph. Plut. 803. Contra vero *pecuniae reditus* vocatur, cum *πρόσοδος*, et pecunia ipſa *προσιέναι*, et *προσέρχεσθαι* · vid. Herodo. 6, 46.: tum *εἴσοδος*. Gloſſ. vett. Εἴσοδος, ἡ λῆψις, *Acceptus.* Εἰσοδιάζω *Redigo.* Εἰσοδιασμὸς *Redactio.* Atque hinc intellegi etiam poteſt, quare ſcholiaſtes Doruillianus Ariſtophanis Plut. 381. ad gloſſam *ἀναλώσας* adſcripſerit gloſſema *ἐξοδιάσας*, vt Heſychius nomen *ἀνάλωμα* interpretatus eſt nomine *ἔξοδος* · ad quem poëtae locum conferri nota Hemſterhuſii poteſt, itemque Annotatt. Valquenarii ad Adoniazz. Theocriti v. 35. p. 339. Caeterum quum Lucas c. 8, 43. verbo *προσαναλίσκειν* haud dubie expreſſerit verbum Hebraicum הוֹצִיא, et hoc conſtruatur cum particula ל, tertii caſus indice: non dubito, quin Bengelius illo loco, et poſt eum Griſbachius, ac Matthaeius, pro *εἰς ἰατροὺς*, plurimorum, optimorumque, codicum auctoritate, recte repoſuerint *ἰατροῖς*, praeſertim quum οἱ ό 2. Regg. 12, 12. verba וַיּוֹצִיאֻהוּ לְחָרָשֵׁי הָעֵץ et ipſi verterint, *καὶ ἐξώδιασαν αὐτὸ τοῖς τέκτοσι τῶν ξύλων.* Lectionem *εἰς ἰατροὺς* Millius vere indicauit manibus emendatorum ſcilicet deberi. v. Xen. Cyrop. 2, 4. 8. coll. 2, 2 8

que loco, ſcriptum, ſine vlla controuerſia, invenerit τὸν ἀρχιστράτηγον. Etenim vt ibi, vbi Bethſabe cum rege agens inducitur, Ioabum [14] vocat τὸν ἄρχοντα, quem paulo ante τὸν στρατηγὸν dixerat: ita orationem ipſius Nathae, prophetae, hunc in modum retulit [15], λαμπρὸν γὰρ αὐτὸν ποιήσαντα δεῖπνον κεκληκέναι τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ πάντας, χωρὶς Σολομῶνος, καὶ τὸν στρατηγὸν τὸν Ἰώαβον. Iam quis negare ſuſtineat, Ioſephum in codicibus verſionis Alexandrinae ſuis ſcriptum legiſſe, non τοὺς ἄρχοντας τῆς δυνάμεως, verum τὸν ἀρχιστράτηγον? Et quis dubitet, quin nomen plurale שָׂרֵי הַצָּבָא recte explicarit, vt ſingulare, quum Hebraeos ſciret plurali numero etiam de ſingulis hominibus vti conſueuiſſe? Huius vero conſuetudinis loquendi Hebraeorum memorem eſſe oportebat eundem Ioſephum in explanando loco illo [16], quo idem ille Nathas cum Dauide ita agit, אִם מֵאֵת אֲדֹנִי הַמֶּלֶךְ נִהְיָה הַדָּבָר הַזֶּה וְלֹא הוֹדַעְתָּ אֶת־עַבְדְּךָ מִי־יֵשֵׁב עַל־כִּסֵּא אֲדֹנִי־הַמֶּלֶךְ אַחֲרָיו, hoc eſt, *fiuntne iſthaec iuſſu tuo? et conſtituiſti tibi ſucceſſorem, me clam?* Nam etſi pro אֶת־עַבְדְּךָ ipſi iam Maſorethae legendum ex aliis ſcilicet, vt videtur, librorum ſacrorum locis אֶת־עַבְדֶּךָ cenſuere; quam eorum auctoritatem quum grammatici, et librarii, poſteriorum temporum ſtudioſe ſequuti reperiantur: quis miretur, in codicibus recentioribus calamo ſcriptis propemodum omnibus, vt in libris editis nonnullis, receptum extare אֶת־עַבְדֶּךָ? tamen hanc lectionem certiſſimum videtur putari deberi gloſſema, atque interpretamentum, alterius lectionis אֶת־עַבְדְּךָ. Etenim primum ex illa ipſa Maſorethārum obſeruatione

14. Archaeol. 7, 11. pag. 21. Baſ.

15. Archaeol. d. l.

16. 1. Regg. 1, 27.

tione euidentissimum est, scripturam אֶת־עֲבָדֶיךָ inventam esse etiam in antiquissimis codicibus: quali certe codice, in quo pluralis numeri nomen legeretur, siue Hebraicus fuerit, siue Graecus Alexandrinae versionis, quin Iosephus vsus sit, dubitari recte non potest: quippe quum totam illam ῥῆσιν ita interpretatus reperiatur [17], δίκαιον δ' εἶναι, ταῦτα γινώσκειν ἅπαντας, εἰ κατὰ τὴν γνώμην ἐγένετο. Deinde lectionem אֶת־עַבְדְּךָ multo exquisitiorem esse, atque elegantiorem, altera, quae speciem glossematis habeat, quis non intellegit? Nam Hebraei eleganter vtuntur nominibus pluralis numeri de vnico homine, sed fere ita, vt, nisi quidem alia habeantur eius rei indicia, praemittant, vel etiam postponant, nomina singularis numeri, aut certe verba, quae vi, et potestate, nominum singularium praedita sint: cuius rationis exempla nec in Graecorum, Latinorumque, scriptorum, poëtarum maxime, libris noua esse, et rara, nouimus [18]. Iam vero series orationis Nathae, et ipsae bonae interpretatio-

17. Archaeol. 7, 11. pag. 221, Basil.

18. Vid. Reinesius epist. ad Hofmanum, et Rupertum, ep. 27. p. 120. ss.; Gataquerus AA. MM. 2, 15.; et Schultensius ad Iob. 18, 2. Sic ap. Dion. Cas. 44. pag. 267. B C Leoclau. οἱ ὕπατοι est solus Dolabella. v. Cic. Phil. 1, 2. 2, 42. 9. ep. 14. Plutarchus V. Cic. pag. 861. F To. 1. ἅμα δὲ τοῖς περὶ Μέκιον ἄνδρας συνῴκει πολιτικοῖς, καὶ πρωτεύουσι τῆς βουλῆς intell. solus Q. Mucius Scaeuola. vid. Cic. Lael. 1. Et apud Euripidem Alcest. 383. Alcestis de se, Ἀρκοῦμεν, inquit, ἡμεῖς οἱ προθνήσκοντες σέθεν. Idem Cicero orat. 3, 3. *Sulpicius — quibuscum priuatus coniunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate*: intell. solus Q. Pompeius, consul. vid. Cic. Lael. 1. Coelius 8. ep. 13, 3. *qui agendum cum tribunis plebis censebat*, h. e. cum Curione. vid. Cic. 7. ad Att. ep. 7. Idem Cicero post red. in sen. c. 3.

tationis leges, satis docent, nomen אֶת־עֲבָדֶיךָ referri oportere ad illum ipsum, ad quem pertinent verba, quae paulo ante leguntur, וְלִי אֲנִי עַבְדֶּךָ, hoc est, ad solum Nathan. Quod quidem quum non praeteriret interpretes [19] veteres: pluralem numerum recte iudicauerunt a se singulari numero explicari, non modo posse, sed etiam debere. Et profecto Nathas, propheta, iure poterat admonere Dauidem, ne, se inscio, legeret, constitueretque, imperii successorem, quum esset is, cuius opera deus semper vsus esset in vita regis, moribusque, regundis, et qui eidem, dei nomine, ostendisset alio tempore [20], fore, vt natorum ipsius aliquis, hoc est, Salomo, heres succederet patris honori, ac potestati. Iosephus igitur et ipse debebat nomen אֶת־עֲבָדֶיךָ referre ad solum Nathan, neque ad reliquos Dauidis amicos, et familiares, hoc est, ad Sadocum, sacerdotum principem, et Banaean, satellitum regiorum praefectum: qua tamen in re illum non ignoramus nactum esse assensorem, praeter Iudaeos recentiores alios, Dau. Kimchium [21], doctum

c. 3. *cum — principes autem ciuitatis — vitam suam tuerentur*, h. e. Pompeius: vid. c. 3. et 11. Nam lectio codd. quorundam, et librorum editorum, *princeps ciuitatis tueretur* ingenio correctoris scilicet debetur. Cic. Lael. 11. *ad hostes se contulit*, h. e. ad Aristonicum. v. Plutarch. Vit. Gracchorum p. 834. B To. 1. Cic. 13. ep. 20, 1. *in valetudine meorum*, h. e. Tironis. vid. 16. ep. 4. et 9. Ab eodem Cicerone post. red. in sen. c. 3. verbis *magistratuum tecta*, et *deorum templa*, significatur domus Milonis, tribuni plebis, et aedis Nympharum. v. pro Sext. 39. et pro Milon. 27. add. Heumanus Poecil. To. 3. p. 504. ss.

19. Ionathas vertit, יַת־עַבְדָּךְ: οἱ ὁ, τῷ δούλῳ σου. vulg. *mihi seruo tuo*.

20. Vid. 2. Sam. 7, 12.

21. Is scripsit ad h. l. ista, וכתוב עבדיך בי״ד לומר לי ושאר עבדיך נאמנים:

doctum ſane, atque elegantem, ſacrorum librorum interpretem. Sed quia verſamur in vindicanda nominibus perſonarum pluralis numeri poteſtate nominum numeri ſingularis apud Hebraeos, vt nomina eiuſdem generis doceamus eadem vi, in libris diuinis Noui Teſtamenti, praedita eſſe: quid impedit, quo minus aſſerere conemur illam ipſam poteſtatem nomini חֲסִידִים, quod in hymno ſexto decimo Dauidis [22] de Meſſia legitur, atque adeo experiamur, ſi forte valeamus lectionem חֲסִידֶיךָ defendere ab impetu eorum, qui omnibus viribus id agunt, vt, nomine plurali ſummoto, in locum eius ſubſtituatur ſingulare nomen חֲסִידְךָ; ita tamen, vt diligenter caueamus, ne in moleſtam quandam loquacitatem, garrulitatemque ineptam, more pharmacopolarum circumforaneorum, incidamus, quae plus obſit cauſſae noſtrae, quam proſit; praeſertim quum ea ſit veritatis venuſtas, et gratia, vt vel nuda, omnibuſque lenociniis deſtituta, neque vllo verborum inanium ſplendore commendata, inueniat facile, et ſpectatores cupidos, et acres amatores, aſſectatoreſque, quam plurimos. Gloriantur igitur ſapientiae nouae auctores, et iactant, ſe multa reperiſſe indicia, atque ſigna, e quibus, non cognoſci, verum perſpici plane, ab omnibus poſſet, auctorem hymni חֲסִידְךָ ſcriptum reliquiſſe, non חֲסִידֶיךָ. Etenim primum quidem interpretes veteres omnes aiunt in verſionibus ſuis vſos eſſe nominibus ſingularibus, non pluralibus: deinde in pleriſque codicibus manu ſcriptis clamant legi חֲסִידְךָ: denique hanc ipſam lectionem contendunt eſſe conſilio Dauidis, qui Meſſian loco illo inducat canentem redi-

22. v. 10.

reditum suum ab inferis in terras, vnice accommodatam, ita, vt, si poëta scripsisset חֲסִידְךָ, neque Petrus [23], neque Paulus [24], apud Lucam in Apostolorum actis afferre potuissent verba illa, vt Iudaeis probarent, persuaderentque, Messian ab inferis extitisse: sed qui factum sit, vt in codicibus quibusdam pluralis pro singulari substitutus cerneretur, se expedire satis, atque ita demonstrare, quin ad tenues quasdam, et nouas, ratiunculas confugere cogantur, posse negant. Nos vero, boni viri, non solum hac haesitationis vestrae confessione, sed multo etiam magis ipsa argumentorum, quibus ad confirmandam vestram sententiam vtimini, leuitate, quae legibus artis, et criticae, et grammaticae, certis, firmisque praeceptis, prorsus repugnent, ne isthanc rationem vestram nostra assensione comprobemus, impediri, libere, et aperte, profitemur. Quid enim? Interpretes librorum sacrorum veteres omnes quum aliis quoque in locis pro numeri pluralis nominibus Hebraicis, et rerum, et personarum, posuisse reperiantur nomina alterius numeri, si quidem ea, et ipsius rei ingenium, et natura linguarum, ferret; quum, non tantum ex argumento, et oeconomia, hymni, sed vel maxime ex altero versiculi membro, intellexisse videantur, nomine חֲסִידְךָ, quod nomini נַפְשִׁי responderet, vnam modo personam, non plures, declarari: quidni existimabimus, eos, etiamsi suis in codicibus pluralem numerum inuenerint, rectissime tamen singulari nomine vsos esse? In libris porro humanis sicubi duae inueniantur lectiones, e quibus vnus idem-

23. Act. 2, 31. 24. Act. 13, 35.

que nascatur sensus, sed quarum vna vulgaris sit, et glossematis speciem habeat, etiam e codicibus recentioribus, dubiaeque fidei, quamuis multis, depromta feratur; altera antiquissimorum, optimaeque notae, codicum, quamuis paucorum, atque adeo vnius, auctoritate confirmetur, atque sit adeo exquisita, et recondita, vt nullo modo videri possit ex ingenio interpretis alicuius, et grammatici, profecta, qui eam, interpretationis caussa, adscripserit: nonne boni quidem critici omnes raram huius generis lectionem vulgari ita praeferunt, vt eam veram, genuinamque, alteram suppositiciam, atque falsam, arbitrentur, et censeant? Iam vero illi codices, quos Masorethae, in recensendis verborum Hebraicorum contextis, adhibuere, et in quibus scriptum extitisse testantur חֲסִידֶיךָ, antiquitate non minus, quam bonitate, longe superant omnes libros calamo scriptos, qui hodie restant, quorumque maxima pars alteram lectionem חֲסִידְךָ exhibet: sed antiquitatem scripturae codicum Masorethicorum loquuntur etiam illi codices, in quos inciderat auctor, incertus ille quidem, sed antiquior tamen omnibus librariis, qui codices nostrae aetatis Hebraicos descripsere, commentariorum in hymnos Dauidis, qui vulgo ipsi Hieronymo, sed falso, qua de re iam Erasmus, aliique, admonuere studiosos, tribuuntur. Is enim, quicunque tandem fuerit, quum ad verba Latini interpretis, *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, adscripserit haec [25], *Non de corruptione corporis Christi in sepulcro dicit, sed de caeterorum sanctorum:* libros consuluerit necesse

25. f. 10. a To. 8. Opp. Hieronymi edit. Froben.

cesse est, in quibus nomen plurale legeretur: qui tamen codices, vtrum Hebraici fuerint, an Graeci, Latiniue, non satis apparet. Et quis, quaeso, est iudicii venustatis adeo expers, qui non sentiat insignem magnitudinem elegantiae lectionis חֲסִידֶיךָ, qua lectio altera, חֲסִידְךָ, plane careat? Etenim quum vsus nominum pluralium de singulorum, sed summorum suo in genere, virorum personis etiam in Hebraica lingua exquisitus, elegansque, iudicetur: quanto accommodatius maiestati Messiae putari debet nomen plurale חֲסִידֶיךָ, quod recte verteris Latine *me, delicias tuas!* quanto dignius ipsa orationis poëticae granditate! cuius virtutis magnam partem, iam Longinus, magister optimus, praecepit [26] etiam vsu nominum pluralium recto contineri, et quam Dauides, caeterique vates Hebraei, ipsius naturae instinctu, ita sequuti reperiuntur, vt carminibus eorum nihil grandius, nihil sublimius, iudicio omnium, habeatur. Et profecto Dauides eo tutius poterat illo loco plurale nomen singulari praeferre, quum nullam ea ex re orationis obscuritatem, nullam ambiguitatem, oriri videret. Nam quum ea sit hymnorum eius ratio, vt vno eodemque versiculo, qui quidem duobus membris, ac partibus, constet, vna res bis dicatur; quum adeo verba singula hemistichii, לֹא־תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל, respondeant singulis verbis alterius hemistichii, לֹא תִתֵּן חֲסִידֶיךָ לִרְאוֹת שָׁחַת: nemo sane dubitare vllo modo recte potest, quin nomine plurali חֲסִידֶיךָ, vt vocabulo

נַפְשִׁי,

26. Περὶ ὕψους c. 23, 2. ἀλλ᾽ ἐκεῖνα μᾶλλον παρατηρήσεως ἄξια, ὅτι ἔσθ᾽ ὅπου προσπίπτει τὰ πληθυντικὰ μεγαλορρημονέστερα, καὶ αὐτῷ δοξοκομποῦντα τῷ ὄχλῳ τοῦ ἀριθμοῦ.

נַפְשִׁי, vna perſona, hoc eſt, Meſſias, non plures, ſignificentur. Hac vero ipſa ex re facile intellegi ab omnibus poſſe ſperamus, primo Petrum, et Paulum, Apoſtolos, ſapienter vſos eſſe iſto Dauidis loco, vt Iudaeos docerent, deum redire iuſſiſſe Meſſian ab inferis, neque ex eorum oratione vllo modo patere, Dauidem ſcripſiſſe חֲסִידְךָ [27]: deinde hanc ipſam lectionem eſſe alterius lectionis interpretamentum: quae tamen fieri poteſt vt extiterit e verbis Maſoretharum male intellectis. Hi enim quum ad nomen חֲסִידֶיךָ appoſuiſſent hanc notam, יָתִיר י׳, qua, vt opinor, admonerent lectores hymni, pluralem numerum pro ſingulari poſitum eſſe: ſane incredibile non eſt, repertos eſſe, qui putarent, eos pro חסידיך reponi iuſſiſſe חֲסִידְךָ, atque adeo ſingulare vocabulum ſubſtituerent in locum pluralis nominis [28]. Quorſum vero a nobis iſta omnia diſputata ſunt? quorſum? primum vt adiuuaremus hac admonitione noſtra operam, ſtudiumque, eorum, qui bene vellent, feliciterque, verſari in recenſendo, et conſtituendo, orationis librorum diuinorum Hebraicae non minus, quam Grae-

27. Sic Apoſtoli Act. 4, 27. e verbis Dauidis Pſ. 2, 2. יִתְיַצְּבוּ ׀ מַלְכֵי אֶרֶץ וְרוֹזְנִים נוֹסְדוּ יָחַד עַל־ יְהוָה וְעַל־ מְשִׁיחוֹ recte ſane collegerunt, Herodem Antipan, et Pontium Pilatum, coniuraſſe, conſiliaque capeſſiuiſſe, contra caput, et ſalutem, Meſſiae, quod ſcirent, vatem diuinum nominibus pluralibus ſubieciſſe vim ſingularium nominum.

28. Sic 1. Sam. 2, 9. pro חֲסִידוֹ haud dubie legi debet חֲסִידָיו, quum referatur ad רְשָׁעִים. Sic Habac. 3, 13. pro מְשִׁיחֶךָ, vt Aquila quoque legit: v. Euſeb. D. E. 4, 16. p. 189. C Colon.: in libris nonnullis olim videtur ſcriptum extitiſſe מְשִׁיחֶיךָ. Certe Euſebius d. l. e verſione τῶν ό laudat verba τȣ̃ σῶσαι τȣ̀ς χριςȣ̀ς σȣ, quae ipſa nunc in cod. Alex. leguntur: reliqui libri habent τȣ̃ σῶσαι τὸν χριςόν σȣ.

Graecae, contextu; vt eos cautos esse, atque circumspectos, iuberemus, ne statim lectiones, quas in plurimis codicibus manu scriptis extare viderent, arriperent, easque editorum librorum lectionibus praeferendas censerent, sed vt verborum omnium pondera diligenter ante examinarent, iudiciumque suum vnice dirigerent ad normam legum, et grammaticarum, et rhetoricarum: deinde vt doceremus, locum illum hymni Dauidici recte adscribi posse in numerum eorum locorum, quibus nomina personarum pluralia partes singularium nominum agerent. Hanc enim vtriusque generis nominum permutationem etiam Lucas sequutus reperitur, non solum eo Euangelii loco [29], vbi dominus pulli asinini, in quem illatus Messias a discipulis Hierosolyma introiit, οἱ κύριοι dicitur, sed etiam in Apostolorum commentariis [30], in quibus ancilla, quae vaticinandi facultate praedita putabatur, hac arte sua magnos legitur, atque vberes, quaestus comparasse τοῖς κυρίοις αὐτῆς, hoc est, *domino suo*. Neque tamen his locis existimari similis, vt opinamur, debet locus eorundem commentariorum ille [31], quo Ephesiorum grammateus Demetrium, fabrum argentarium, eiusque gregales, reiecisse ad proconsulem Asiae perhibetur. Nam nomen plurale ἀνθύπατοι ibi positum est, non vt vocabulum indiuidui, quo significaretur proconsul, qui tum praeesset Asiae, sed vt vocabulum generis, quod omnino *proconsules* Asiae indicaret, ita, vt homo concioni Ephesiorum ostendisse intellegatur, conuentus agi

29. C. 19, 33.

30. C. 16, 16. 19.

31. Act. 19, 38. Vid. Casaubonus exercitatt. Antibaronn. 16, 113. p. 484.

agi a proconſulibus, a quibus actionem in Paulum poſtulare Demetrius, caeterique argentarii, et poſſent, et deberent. Etſi enim Syrus iam interpres in verſione ſua plurale nomen in ſingulare mutauit [32]: tamen hoc illi debet eo minus vitio verti, quum eodem illo errore decepti deprehendantur grammatici, atque interpretes, et veteres, et recentiores, doctiſſimi in explicandis locis ſimilibus Euripidis [33], Xenophontis [34], aliorumque ſcriptorum. Quum igitur Hebraei, eorumque exemplo auctores librorum diuinorum Noui Teſtamenti, nomina pluralia de perſonis ſingulis, loco non vno, poſuerint: quis dubitet, quin Matthaeus verbis ſupra propoſitis, *οἱ ζητȣ̃ντες τὴν ψυχὴν τȣ̃ παιδίȣ*, ſolum Herodem magnum, vitae Chriſti infantis inſidiatorem, notarit? Cuius quidem eorum interpretationis veritas multo etiam magis, vt ſperamus, iis patebit, qui contulerint cum iſto Matthaei loco locum Moſis prorſus ſimilem in Exodo [35], quo Moſes legitur a deo iuſſus eſſe e Madianitide in Aegyptum redire, כִּי־מֵתוּ כָּל־הָאֲנָשִׁים הַמְבַקְשִׁים אֶת־נַפְשֶׁךָ: quae verba Hebraica Alexandrini Iudaei explicarunt iisdem verbis Graecis, quibus Matthaeus vſus eſt, *τεθνήκασι γὰρ πάντες οἱ ζητȣ̃ντές σȣ τὴν ψυχὴν*, hoc eſt, *mortuus enim eſt rex, vitae tuae inſidiator.* Certe Philo Alexandrinus, diligentiſſimus, Hebraiceque doctiſſimus, ſcriptor, illam ipſam

32. Verba enim Graeca, *ἀγόραιοι ἄγονται, καὶ ἀνθύπατοί εἰσι*, ita vertit, ܗܐ ܐܢܬܘܦܛܘܣ ܒܡܕܝܢܬܐ ܐܝܬܘܗܝ ܐܢܘܢ: vt facile appareat, eum non aſſequutum eſſe totius loci ſenſum.

33. Phoenn. 988.: vbi v. Valquenarius.

34. Memorr. 2, 3. 1.: vbi v. Erneſtius.

35. C. 4, 19.

ipſam rem, quam Moſes attigit, ſic narrat, in libris de vita Moſis [36], ὁ μὲν γὰρ πρότερος [*rex Aegypti*] τέθνηκεν, ὃν ἀπεδίδρασκες διὰ φόβον ἐπιβουλῆς. Nos vero huius tanti, tamque prudentis, ducis veſtigia ſequi dubitabimus, praeſertim quum in eodem libro [37] paulo ſuperius legantur verba וַיָּמָת מֶלֶךְ מִצְרַיִם?

III. Atque haec diſputata ſunto de ſecundo genere verborum ſingulorum, quibus iuſto maiorem, ampliorem que, poteſtatem tribui demonſtrauimus a Lexicographis Noui Teſtamenti propemodum omnibus.

IIII. Petierunt enim a nobis alumni diſciplinae noſtrae octo, adulescentes, et literarum bonarum cupidiſſimi, et vitae, morumque, ſanctitatis ſtudioſiſſimi, quorum nomina ſubiecimus: CHRISTI. IAC. MASSAVIVS, *Dubena Saxo*: CHRISTI. AENOTHEVS NEOCORVS, *Lipſienſis*: FRID. AVG. LVDOV NITSCHIVS, *Bibra Thuringus*: AVG. VFERVS, *Vurcenenſis*: FRID. GVIL. ZSCHVCQVIVS, *Niuemontanus*: IOH. GEORG GODOFR. OPSOPOEVS, *Pegauienſis*: IOH. SAM. FESTVS, *Monra Thuringus*: qui nobis ſemper cariſſimus fuit, ob eximia doctrinae, et virtutis, ſtudia, atque probatiſſimus: IOH. AVG. DOERINGIVS, *Gaterſtadio Thuringus*: vt patronos, et curatores, et fautores, ſcholae Thomanae corrogaremus publice, quo ipſis adeſſe, operamque dare, vellent, ante diſ-

36. t. p. 613. E Pariſ. Neque vero Ioſephus verba Moſis intellexit aliter. nam Archaeol. 2, 5. p. 54. Baſ. eandem illam rem ſic refert, καὶ πυθόμενος, τὸν τῶν Αἰγυπτίων τεθνάναι βασιλέα Φαραώθην, ἐφ' ὅπερ αὐτὸς ἔφυγεν κ. τ. λ.

37. C. 2, 23.

discessum e schola in Academiam Lipsiensem *de laudibus, et virtutibus, multis, et magnis, Viti Ludovici Secquendorfii* Latine ita dicturis, vt etiam *Ernesti Pii*, principis Saxoniae, *ornamenta, atque decora, rara* persequerentur, e cuius disciplina prodiisse scirent summum illum, et de re publica, castaque religione, non minus, quam de scholis publicis, atque bonis artibus, egregie meritum virum. Quibus quidem oratiunculis suis [38] quum memoriam principis sanctissimi, sapientiaeque, et diuinae, et humanae, amantissimi, et amici eius prudentia, doctrinaque, praestantissimi, omnibus carissimam ita excitaturi sint humanissimi adulescentes, vt etiam gratias maximas agant ordini ciuitatis amplissimo, et curatoribus scholae grauissimis, pro acceptis beneficiis multis, et magnis; quum animis, auribusque, liberalibus nihil gratius, et iucundius, accidat, quam iuueniles significationes, et voces, animi grati, admirationisque virtutum virorum excellentium: non tam sperare, quam confidere, posse videmur, non defuturos esse, qui scholam nostram praesentia sua ornent, et audientia, cum discipulorum, tum etiam magistrorum, studia incitent. Nos vero huius officii honore decorari ab omnibus scholae Thomanae, et bonarum literarum, fautoribus ita auemus, vt spondeamus, nos nemini vnquam plus debere existimaturos esse, quam iis, qui disciplinam nostram, studia, et instituta, suo fauore, suisque studiis, adiuuerint. Scripsimus Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. XI. Kal. Maias A. C. CIƆIƆCCLXXVII

38. Edidimus has oratiunculas octo, cum duabus aliis, Lipsiae A. C. 1778. octonis.

PROL. V

PROLVSIO OCTAVA

DE NOTIONIBVS IVSTO AMPLIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS RERVM TRALATIS ATQVE IMMVTATIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Etsi error opinionis ille, quo imbuti, Lexicographorum maxime responsis, plerique librorum diuinorum Noui Testamenti lectores, atque interpretes, verbis, vel e praepositionibus compositis, vel pluralibus, maiorem tribuendam vim, et potestatem, quam singularibus, et simplicibus, verbis, statuunt, multarum semper falsissimarum, ineptissimarumque, interpretatiuncularum auctor, atque parens, extitit: tamen haud scio, an aliquanto etiam plus, et obfuerit olim, et nunc cum maxime obsit, intellegentiae praeceptorum Christi, et Apostolorum, puerilis ista, omniumque doctorum reprehensionibus dignissima, inscitia conditorum Lexicorum Noui Testamenti paene omnium, cuius tenebris offusi clamant, verbis tralatis, atque immutatis, quae vulgo tropica vocantur, notiones subiectas esse ampliores, latiusque patentes, quam propriis vocabulis, et dominantibus. Quae

quidem iſtorum hominum voces quam vanae ſint, atque inanes, quantam temeritatem, et imperitiam, indicent: hoc vero docere quemque, vt opinor, facile poteſt, cum originis, celebrationiſque, orationis immutatae cauſſa, tum etiam vſus loquendi omnium ſcriptorum bonorum, ex omni aetate, ratio. Atque ea de re breuiter placet, et ſtrictim, differere ante, quam aggrediamur ad errorem Lexicographorum Novi Teſtamenti, quem attigimus, ita, et aperiendum, et conuincendum, vt exempla quaedam verborum immutatorum, et tralatorum, afferamus, quibus non plus ſignificari, quam verbis propriis, appareat.

II. Etenim quum tanta, tamque immenſa, cum ipſarum rerum, tum proprietatum, etiam affectionum, earum, reperiatur multitudo, ac copia, vt ciuitates, primae praeſertim, et antiquiſſimae, nullo modo potuiſſe intellegantur ſuo quamque, et proprio, vocabulo appellare: hac linguarum inopia, et anguſtiis, coactae inſtituerunt multas res, earumque proprietates, et affectiones, ſignificare verbis, et nominibus, alienis [1]. Permutare igitur inter ſe coepere illarum rerum vocabula, quas viderent, ipſius naturae arbitrio, aut coniunctas eſſe inter ſe, et quodam neceſſitudinis vinculo copulatas, aut diremtas, magnoque diſcriminis interuallo ſeparatas, hoc eſt, quae, non obſcuram, et tenuem, ſed ingentem, et illuſtrem, haberent inter ſe ſimilitudi-

1. Seneca de beneff. 2, 34. *Ingens copia eſt rerum ſine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, ſed alienis, commodatiſque. — Quia non ſufficimus, vt ſingulis ſingula aſſignemus; quotiens opus eſt, mutuamur.*

tudinem; quarum vna ita contineretur altera, vt tamen seiuncta ab ea esse, atque adeo seorsim cogitari posse, intellegeretur, aut non; quarum denique vna opposita alteri, atque contraria, esset. Sed quum animaduertissent homines, immutationibus verborum, et translationibus, orationi delectationem quandam, et suauitatem, perspicuitatem, et grauitatem, conciliari: frequentare verba commutata, atque inflexa, ita aggressi sunt, et celebrare, vt iis vterentur etiam de illis rebus, quibus sua essent, et propria, vocabula, si quidem viderent, orationem, apto, prudentique, verborum alienorum vsu, ornatiorem fieri, et decentiorem, gratiorem, et iucundiorem; cuius virtutis caussas, praeter alios, Cicero in libro de oratore tertio [2] diligenter exposuit: aut res ipsas clariores effici, et illustriores, aut rationem earum, et naturam, proprietates, et affectiones, planius, apertiusque, ostendi [3]. Cuius quidem rei diligens, et accurata, cogitatio quem non admoneat, immutationes verborum, atque inuersiones, et inuentas esse, et frequentatas, non propterea, vt ipsae rerum imagines, et species, grandiores, amplioresque, redderentur, vt partes illis adderentur, et affingerentur, plures, et maiores, quae propriis verbis, nec possent demonstrari, nec solerent; immo eo tantum consilio, vt formis rerum, et simulacris, accederet aliquid gratiae, et luminis, decoris, et ornamenti, quo conspicerentur, non modo facilius, et citius, ab omnibus, verum etiam cupidius, et ita, vt animi spectatorum magis mo-

2. C. 40.

3. Vid. Cic. Orat. 3, 38. ss. Quinctil. 8, 6.

verentur, et delectarentur, caperentur, et tenerentur? Ad has enim verborum immutatorum virtutes respexisse etiam Horatius videtur, qui verba propria in nobili illa ad Pisones epistola * *inornata*, et *dominantia*, dixit. Propria vero verba si *inornata* sunt: verba translata necesse est *ornata* sint, atque ita dicantur, quod ornatum afferant, et gratiam, rerum imaginibus, non item amplitudinem maiorem tribuant: et Quinctilianus 4 verba, et nomina, transferri ostendit e locis propriis in aliena *significandi* gratia, quod tum sint *significantiora*, hoc est, aptiora, et magis idonea, ad naturam, et proprietates, rerum exprimendas, et declarandas, non augendas, et amplificandas: quo certe sensu Gellius 5 nomen Graecum κατάγλωσσος vocauit *significantissimum* vocabulum.

III. Atque haec de ortu, crebroque translationis, et immutationis, verborum vsu, sententia adiuuari, et confirmari, reperitur, non modo grammaticorum veterum, optimorum sane vtriusque linguae, grauissimorumque, et iudicum, et interpretum, auctoritate, atque praeceptis, sed ipsorum adeo scriptorum omnis aetatis, atque generis, bonorum loquendi consuetudine. Etenim grammaticos quidem antiquos, eosdemque eruditissimos, in glossariis suis, et ad libros auctorum vtriusque sermonis scholiis, verba tralata

* v. 234.

4. Institut. Orat. 8, 6. 7. coll. f. 6. Atque sic verba *significare*, et *significatio*, et *significans*, in libris Quinctiliani leguntur locis aliis pluribus. vid. 4, 2. 36. 8. prooem. 31. 8, 2. 9. 11. 8, 6. 2.

5. NN. AA. 1, 15. Nam vocabulum κατάγλωσσοι Gellio restituit Iac. Gronouius e libro Fuluiano, et regio.

lata explicasse propriis verbis videmus. Hesychius, et Suidas, verbum ἰχνεύειν, quod a venatoribus, et canibus sagacibus [6], qui vestigia ferarum indagant, et persequuntur, eleganter transfertur ad eos, qui rem aliquam scrutantur, et quaerunt, simpliciter verbo ζητεῖν interpretati sunt. In glossariis Graecolatinis, a Car. Labbaeo, post Henr. Stephanum, et Bonau. Vulcanium, collectis, et a Cangio editis, nomen παχυκάρδιος explanatum legitur verbis Latinis *brutus*, *stolidus:* et glossa παχύνοοι Hesychius, et Suidas, docent idem declarari, quod proprio vocabulo ἀνόητοι. Quae quidem istorum verborum interpretamenta quam vera sint, et elegantia, intellegi facile etiam ex eo potest, quod ipse Nonius Marcellus [7] obseruauit, *senes crassos* apud Varronem in Sexagesi [8] dici *hebetes*, et *stultos*. In Pluto Aristophanis, vbi Chremylus, herus, Carioni, seruo, narrat, se, quod prope abesse videretur a fine, et termino, vitae, consuluisse Apollinem, an filius, quem haberet vnicum, studio probitatis, et virtutis, posito, suscipere deberet vitiorum, et improbitatis, studium, si forte diues fieri sic, atque beatus, posset, haec leguntur [9] verba, Τὸν ἐμὸν μὲν αὐτοῦ τοῦ ταλαιπώρου σχεδὸν Ἤδη νομίζων ἐκτετοξεῦσθαι βίον. Etsi enim Bentleius pro ἐκτετοξεῦσθαι reponendum ἐκτετολυπεῦσθαι, pro ingenii sui acumine, censebat, vt metaphora ducta esset a lana in orbem glomerata [10]: tamen, quum alteram scripturam

N 3 in

6. v. Pollux 5, 10.

7. C. 2, 137. p. 532. Gothofr.

8. Vid. Fragmm. Varronis ab Auson. Popma collecta, et edita, p. 65.

9. v. 33. s.

10. Suidas: Ἐκτολυπεύσας.

in omnibus codicibus, etiam iis, quos scholiastes vetus inspexerat, ita expressam extitisse compertum sit, vt in nullo eorum vlla alius scripturae vestigia apparuerint; quum verbum ἐκτετολυπεῦσθαι a verbo ἐκτετοξεῦσθαι, et qua figuram, et qua sonum, literarum, nimium discrepet; quum e vulgata lectione sensus existat optimus, atque commodissimus; quum denique Aristophanes reperiatur etiam Plutum multis, et verbis, et formulis, tragicorum suae aetatis propterea distinxisse, vt nimiam eorum hoc in genere audaciam notaret: istam acutissimi viri coniecturam, non modo legum criticarum rationi repugnare, sed superuacaneam adeo, neque necessariam, esse, arbitror. Nam primum quum Chremylus fingatur esse homo pauper, et inops, hoc est, ταλαίπωρος, qui queri adeo non potuerit, se prope abesse ab paupertatis, inopiaeque, incommodis; quum ex ipsa hominis oratione apertum sit, atque perspicuum, eum, non sua, verum filii sui, caussa Apollinem interrogasse: nomen βίος nullo modo de *facultatibus*, et *fortunis*, accipi cum Neocoro potest, immo cum Fuluio Vrsino [11], et Spanhemio, debet de ipsa *vita* intellegi. Deinde quum ἐκτοξεύεσθαι proprie [12] dicantur sagittae, et

σιν· ἐργασάμενος· καὶ ἐκτολυπεῦσαι [in exemplo Lexici Phauorini Basileensi perperam legitur ἐκπολιτεῦσαι, neque rectius in Veneto ἐκπολιτεῦσαι], πληρῶσαι· ἀπὸ τῆς τολύπης τοῦ κατειργασμένου ἐρίου. Sic ap. Hesiodum Ἀσπ. 44. πόνον ἐκτολυπεῦσαι idem est, quod v. 22. ἐκτελέσαι ἔργον.

11. In Virgilio collatione scriptt. Graecc. illustrato ad Aen. 8, 508. p. 435. Valquen.

12. Berglerus eam in rem laudauit locum Herodoti 1, 214. ὥς σφι τὰ βέλεα ἐξετετόξευτο: e quo expressus videtur locus Zosimi 2, 18. 9. τῶν γὰρ βελῶν ἐκτοξευθέντων ἑκατέρῳ στρατεύματι.

et tela, quae arcu emittuntur, donec pharetra iis exhauſta ſit: eleganter profecto a poëta hoc verbum tranſlatum eſt ad eum, qui curſum vitae ſuae confectum, peractumque, putaret, qui aetatem ſibi actam eſſe ferme crederet [13], qui ſeſe iamiam eſſe moriturum ſperaret Quod ipſum quum vidiſſet antiquus Pluti enarrator: tamen gloſſam ἐκτετοξεῦσθαι interpretatus eſt verbis τετελειῶσθαι [14], et ἀνηλῶσθαι. Et eo loco eiuſdem fabulae [15], quo Neoclides coecus vincere a Carione dicitur furando eos, quibus ſint oculorum lumina, vti poëta ſeruum iuſſit verbo tranſlato ὑπερηκόντισεν [16]· quippe quod vſurpatur proprie de iis, qui alios iactu iaculi vincunt. Hanc vero gloſſam, quam Heſychius verbo ὑπερέδραμεν interpretatus eſt, ſcholiaſtes Doruillianus explicavit verbo ὑπερέβαλεν. Quod quidem verbum quanquam et ipſum nouimus eſſe tranſlatum: tamen loquendi vſum ei partes verbi proprii dediſ-

13. Plautus Trinum. 2, 2. 38. *Mihi quidem aetas acta eſt ferme:* h. e. ſenex ſum, neque procul abſum a fine vitae. Sic *acta aetas* de ſenectute legitur etiam apud Cic. Cat. M. 17.: vt *exacta aetas* ap. Terent. Adelphph. 5, 4.16.

14. Sic etiam in libris Phavorini, qui verba ſcholiaſtae, quae haec ſunt, *ἐκτετοξεῦσθαι· τετελειῶσθαι, ἀνηλῶσθαι· ἐκ μεταφορᾶς τῶν τοξευόντων, ὅταν τὴν φαρέτραν κενώσωσιν*, in ſuum Lexicon tranſtulit, legitur: ſed apud Suidam, qui et ipſe iſto ſcholio ſuum Gloſſarium auxit, ita, vt, aut aliis libris vſus, aut memoriae fidem ſequutus, videatur, habetur *ἐκκεκενῶσθαι*, quae eſt recta Mediolanenſis, etiam Aldini, et Baſileenſis, exempli lectio, non *ἐκεκενῶσθαι*, quod in exemplum Neocori, operarum incuria, irrepſit. Verba Suidae ſunt haec, *Ἐκτετοξεῦσθαι· ἐκκεκενῶσθαι· ἀνηλῶσθαι· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἐν τῇ τοξείᾳ ἀναλισκόντων τὰ βέλη.*

15. v. 666.

16. Sic idem poëta Av. 361. *Ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς.*

ſe, vt ſimpliciter *vincere* ſignificaret [17], quis ignorat? Iam quum grammatici veteres, iidemque doctiſſimi, quibus naturam, indolemque, vtriuſque linguae plane cognitam, perſpectamque, fuiſſe, omnes, et ſciant, et fateantur, in explicandis verbis tranſlatis, et immutatis, ita verſati reperiantur, vt ſubſtituerint in eorum locum verba propria: nos, qui ab iſtorum hominum doctrina hoc in genere tam longe abſumus, verbis alienis, et arceſſitis, plus ſignificari, quam propriis, pugnabimus? praeſertim quum grammaticos veteres ea in re appareat ipſius vſus loquendi optimorum vtriuſque linguae auctorum, tanquam certiſſimi ducis, eſſe ſequutos veſtigia.

IIII. Hi enim, non modo rerum diſiunctarum, contrariarumque, alteram ſaepe tranſlato verbo, alteram vocabulo proprio, ſignificant, ſed nec raro, nunc verbis tranſlatis propria, velvti interpretamenta, adiungunt, nunc eandem rem, alias proprio, alias alieno, verbo appellant. Cuius quidem conſuetudinis loquendi ratio quo magis, planiuſque, cognoſcatur a tironibus grammatices, hoc eſt, artis libros ſcriptorum veterum accurate interpretandi: age, ſubiiciamus quaedam vniuſcuiuſque generis exempla. Ariſtophanes enim in Pluto [18] τὸ πεινῆν opponit τῷ

17. Vid. Ariſtoph. Plut. 109. Euſtathius ad Odyſ. ά p. 1406. 45. Rom., et ex eo Phauorinus: Ὑπερβάλλειν δὲ, καὶ ὑπερβολὴ, κυρίως μὲν ἐπὶ τοῦ ὑπερακοντίζειν, ἢ ὑπεροϊστεύειν, ἢ ὑπὲρ μέτρον δισκεύειν· μεταφορικῶς δὲ καὶ ἐπὶ ἑτέρων ὑπεροχῶν, ἢ καὶ ἐπὶ ἀσυμμετριῶν. Scriptores Latini, vt Seneca, Plinius maior, Livius, etiam Cicero ipſe, ita vſi ſunt verbo *ſuperiacere*. v. Gronouius ad Sen. de beneff. 3, 32.

18. v. 595.

τῷ πλȣτεῖν, ita, vt vel ſtultiſſimus quiſque facile intellegat, verbo tranſlato τὸ πεινῆν plane idem ſignificari, quod proprio verbo τὸ πένεσθαι· praeſertim quum eodem huius fabulae loco [19] οἱ πένητες τῶν ἀνθρώπων, et οἱ ἔχοντες καὶ πλȣτȣ̃ντες, inter ſe referantur. Et quum is, qui vim eorum, quae videt, vel audit, quamuis clara ſint, et aperta, tamen, aut omnino non aſſequitur, et percipit, aut certe non ſatis, et recte, proprio vocabulo ἀμαθὴς, tranſlato παχὺς, appelletur: idem ille Ariſtophanes in fabula, quae Νεφέλαι inſcribitur, vtrumque verbum coniunxit [20], nullo ſane alio conſilio, quam vt nomen alienum explicaret proprio: quemadmodum ſcriptor ille, cuius locum Suidas [21], et ex eo Phauorinus, vt docerent, παχύτητα eſſe *tarditatem ingenii* et *ſtuporem*, attulere, vocabulum iſtud tranſlatum, eandem ob cauſſam, cum proprio nomine ἀμαθία copulauit [22]. Cicero, in tertio Antonianarum [23], Antonium clamat ex libidine, crudelitate, petulantia, audacia, totum *conglutinatum eſſe:* ſed verbo huic tranſlato res profecto ipſa loquitur eum non ampliorem ſubieciſſe notionem, quam verbo proprio tum, quum C. Stalenum in oratione Cluentiana [24] teſtatus eſt totum ex fraude, et mendacio, *factum eſſe.* Et quum Laelius in ſermone de amicitia [25] oſtendit, amari a nobis, ipſius naturae impulſu, et imperio, eum, in quo quaſi *lumen* aliquod probitatis, et virtutis, perſpicere videamur: ſane non de eo loqui

N 5 cen-

19. v. 596. f.

20. v. 840.

21. v. παχύνοοι.

22. Sic Horatius A. P. 330. eodem conſilio coniunxit verba *haec aerugo, et cura peculI.*

23. C. 11.

24. C. 26.

25. C. 8.

censendus est, in quo *maxima* eluceat probitas, vt Gesnerus [26] existimabat; immo de illo, in quo *significatio* aliqua virtutis appareat. Cuius quidem verbi immutati interpretationis auctor, praeter rem ipsam, quum amor omnino virtutem, non tantum maximam probitatem, sequatur, locupletissimus est idem ille Laelius, qui in illa ipsa disputatione paulo inferius [27] verba translata *quasi lumen aliquod probitatis, et virtutis*, commutauit verbis propriis *significatio aliqua virtutis*, et ita commutauit, vt ipse quasi digitum ad istam verborum commutationem intenderit. Nam, *quum contrahat*, inquit, *amicitiam*, *vt* supra *dixi* [28], *si qua significatio virtutis eluceat.* Et quum Cicero libro de officiis primo [29], *in ipso ioco*, inquit, *aliquod probi ingenii* lumen *eluceat*, quid aliud docet, nisi hoc, debere in ipso ioco aliquam probi ingenii significationem apparere? Nam profecto quum lumine saepius detur rei alicuius significatio; quum lumen non raro esse soleat signum alicuius rei, atque indicium: *lumen* recte posse, et eleganter, poni de *significatione*, quis non intellegit? Ex iis vero, quae hactenus a nobis breviter disputata sunt de ratione, qua, et grammatici veteres in explanandis verbis immutatis vtriusque linguae vsi, et ipsi scriptores in iisdem vsurpandis versati, sunt, nonne elucet id, quod supra diximus, immutationes verborum, et translationes, per se nunquam valere quidquam ad species, formasque, rerum, earumque partes, augendas, immo verba propria, et aliena, aequalia esse inter se semper, atque paria?

V. Ne-

26. Thes. L. L. v. lumen n. 9.

27. C. 14.

28. C. 8.

29. C. 29.

V. Neque ſane auctores librorum Noui Teſtamenti reperiuntur vſum verborum arceſſitorum ad aliam rationis direxiſſe normam, etiam conſuetudinis loquendi Hebraeae admonitu, cuius memoria putanda eſt eorum menti fuiſſe ſemper obuerſata. In eo quidem hymno, quo Maria legitur concelebraſſe deum, qui oſtendiſſet, ipſam fore matrem filii ſui, ſeruatoris hominum, opponuntur inter ſe [30] πεινῶντες, et πλȣτȣ̃ντες, ita, vt tranſlato verbo πεινῆν certiſſimum ſit idem declarari, quod verbis propriis πτωχεύειν, et πένεσθαι. Etenim ab Hebraeis quoque homines *egeni*, et *pauperes*, dicuntur arceſſito verbo רְעֵבִים [31]: ſed hoc nihil ſignificari aliud, quam proprio vocabulo רָשִׁים, etiam inde euidens eſt, quia verbo רָעֵב verbum רוּשׁ, tanquam interpretamentum, in hymnis Dauidicis [32] iunctum extat. Hoc enim verbum quanquam non ignoramus proprie Graecorum verbo πένεσθαι reſpondere, atque adeo ſignificare *pauperem eſſe:* tamen neque hoc neſcimus, vtrumque verbum, et Graecum [33], et Hebraeum, atque adeo nomen רָשׁ, ſaepenumero ita poni, vt, non ſolum *pauperes*, et πένητας, ſed etiam *egenos*, et πτωχȣ̀ς, vi ſua complectatur. Et quoniam Hebraei nomina ſubſtantiua חֶסֶד, et רַחֲמִים [34], מֵעִים, et רַחֲמִים [35], non minus, quam adiectiua, חַנּוּן, et רַחוּם,

30. Luc. 1, 53.

31. Pſ. 107, 36. Vid. Proluſ. 12, 2.

32. Pſ. 34, 11.

33. Apud Plat. Politic. 33. πενόμενοι, et πλȣτȣ̃ντες, inter ſe referuntur: vt nomina רֵאשׁ, et עָשֵׁר, Prouerbb. 30, 8.: ſed verbo πτωχεύειν pro verbo πένεσθαι vſus eſt Antiphanes. v. Coppierſius obſeruatt. philologg. c. 2. pag. 20. ſ.

34. Pſ. 103, 4.

35. Eſai. 63, 15.

רַחוּם [36], fere coniungere, tanquam vocabula idem valentia, consueuere, quibus, vel *misericordia*, vel omnino *amor*, et *pietas*, indicetur: procliue est intellectu, quid sit, quod in libris Noui Testamenti verba translata σπλάγχνα, et πολύσπλαγχνος, atque propria οἰκτιρμοὶ, et οἰκτίρμων, copulata [37] legantur. Quanquam enim nomen πολύσπλαγχνος videri possit expressum esse e verbis Hebraeis רַב חֶסֶד, quae certe Alexandrini interpretes reddidisse reperiuntur aequipollente vocabulo πολυέλεος [38]: tamen, quum verba רַב חֶסֶד, et רַחוּם, nusquam inueniantur deinceps collocata; quum nomina σπλάγχνα, et ἔλεος,

36. Ex. 34, 6. Neh. 9, 17. 31. 2. Parr. 30, 9.

37. Vid. Phill. 2, 1. Iac. 5, 11.: quo loco Iacobi in multis codicibus pro πολύσπλαγχνος scriptum legitur πολυεύσπλαγχνος. Quod quidem vocabulum miror Millio Prolegg. §. 1108. pag. 110. Neocor. genuinum, et ab ipsius Apostoli manu profectum, visum esse.| Nam primum suspectum illud omnibus esse debet ob insolentiam, et nouitatem, formae, quum particula εὖ in verbis compositis idem valeat, quod πολὺ, et πολὺ idem sit, quod εὖ, adeo, vt coniungi vtraque particula in vno, eodemque, nomine neutiquam possit: deinde ostendi facile potest, quomodo extiterit inauditum istud vocabulum. Scilicet interpretes, qui meminissent, Paulum [Ephph. 4. 32.], et Petrum [1. ep. 3, 8.], vti, eodem sensu, nomine εὔσπλαγχνος· super particulam πολυ posuere particulam ευ· quum in scripturam quum incidissent rudes librariorum oculi: iusserunt manus nimis religiosas syllabam ευ inserere ipsi, vt ita dicam, nominis corpori, ita, vt e πολύσπλαγχνος effinxerint πολυεύσπλαγχνος. Cuius quidem nimiae istorum hominum, neque raro salutaris, diligentiae vestigia comparent passim in libris scriptorum externorum. v. ad Axioch. 13, 3. et ad Palaephat. 16, 3. Conf. Matthaeius ad Iac. 5, 11. et Albertius ad Hesychium p. 1531. To. 1.

38. Ex. 34, 6. Ioël. 2, 13. Ion. 4, 2.

ἔλεος, quod ad notionem attinet, inter ſe non diſcrepent [39]; quum nec adiectiuo πολύσπλαγχνος quidquam declaretur aliud, quam vocabulo ἐλεήμων, quod in Alexandrina verſione pro Hebraeo nomine חַנּוּן extat: arbitror, hoc ipſum vocabulum a Iacobo, Apoſtolo, redditum eſſe verbo πολύσπλαγχνος. Neque vero tantum coniungere ſolent ſcriptores Noui Teſtamenti verba tranſlata, et propria, ſed in iis vſurpandis etiam ita verſati inueniuntur, vt vſi ſint de vna eademque re, alii immutatis verbis, alii propriis. Loco quidem commentariorum Matthaei, et Marci, illo [40], quo Chriſtus oſtendit, ſolo glareoſo ſimiles eſſe animos eorum, qui, etſi libenter, et cupide, acceperint, cognouerintque, doctrinam diuinam, tamen non conſtantes reperiantur, et graues, immo leues, inconſtanteſque, deprehendantur, ita, vt incommodis ſe, et calamitatibus, religionis cauſſa, ſubeundis mox patiantur adduci, vt deſciſcant ab ipſius diſciplina, ſic, vt ipſum non agnoſcant Meſſian, vt, nec doctrinam ipſius probent, nec praecepta, et inſtituta, ſequantur; eo igitur commentariorum vtriuſque Euangeliſtae loco impia iſtiuſmodi hominum inconſtantia, et leuitas, verbo tranſlato σκανδαλίζεσθαι expreſſa eſt: ſed a Luca in euangelio [41] reddita legitur proprio verbo ἀφίςασθαι. Et quum Chriſtus interrogatus eſſet ab ſuis diſcipulis, quare vteretur iam in docendis Iudaeis oratione, non aperta, et perſpicua, verum obſcura, et ſimilitudinum integumentis inuoluta: illud a ſe propterea fieri reſpondit, quod Iudaei non

39. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Ἀνηλεῶς· — ἀσπλάγχνως.

40. Matth. 13, 21. Marc. 4, 17.

41. C. 8, 13.

non vterentur suis bonis, vt adeo huius peruersitatis suae poenas darent, et graues, et iustas. Christus enim erat ante oculos Iudaeorum, sed hi eum obstinate negabant esse dei filium; intererant eius miraculis, neque tamen nouitate eorum, atque fide, adduci sese sinebant, vt eum crederent, et faterentur, esse Messian, dei, hominumque, sequestrem; audierant Christum saepenumero doctrinam dei, et praecepta, explicantem verbis perspicuis, atque apertis, sed, neque orationi eius fidem habebant, neque iussis, et imperio, obtemperabant, ita, vt, nec disciplinae eius nomina darent, nec moribus illam, vitaque, colerent. Hanc vero Iudaeorum pertinaciam, contumaciamque, insignem magister discipulis ostendit iam cecinisse, diuino instinctu, Esaiam vatem [42], qui idem eos docuisset deo densuros esse has poenas, vt priuarentur omni omnium adiumentorum sapientiae, et sanctitatis, copia, atque adeo reditus ad sanitatem non magis, quam remissionis peccatorum, et poenarum, spe. Quam quidem poenae partem Esaias complexus est [43] his verbis, פֶּן־רָפָא לוֹ: quae verba Symmachus vertit, μήπως ἰαθῇ, et, eo praeeunte, Hieronymus, *ne forte sanetur:* sed Matthaeus [44] cum septuaginta interpretibus sententiam eorum aeque eleganter expressit ita, μήποτε ἰάσωμαι αὐτοὺς. Sic enim legendum esse, non ἰάσομαι, quae est librorum Alexandrinae versionis, multorumque Noui Testamenti codicum, scriptura, quum eiusdem modi verba praecedant, nemo facile negauerit, ita, vt mirer non parum,

42. C. 6, 9. f.
43. v. 10.
44. C. 13, 15.

parum, Matthaeium, doctissimum virum, nuper se librorum suorum auctoritate adduci siuisse, vt Futurum in ordinem reciperet. Hoc vero verbum translatum Marcus [45], eandem Esaiae, Christique, vocem referens, verbis permutauit propriis istis, μήποτε ἀφεθῇ αὐτοῖς. Quod quidem ipsum factum esse videmus ab interprete oraculorum Esaiae Chaldaeo, cuius in paraphrasi leguntur haec verba, דִּלְמָא יִשְׁתְּבֵק לְהוֹן: quod facile apparet simpliciter dictum esse pro ܕܠܡܐ, ܢܫܬܒܩ, ܠܗܘܢ, ܢܬܗܦܟܘܢ, quae sunt Syri interpretis euangelii Marci verba [46]. Etsi enim paraphrastes Chaldaeus videri possit pro רְפָא legisse רְפָה, aut certe putasse, verbo רְפָא subiectam esse notionem verbi רְפָה: tamen hanc coniecturam arbitror non esse probabilem propterea, quoniam alii quoque Iudaei [47] haud sane indocti vide-

45. C. 4, 11.

46. Eadem forma loquendi est in Chaldaicis paraphrasibus Gen. 4, 7. et Hos. 3, 1.: qua iam Hebraeos vsos esse videmus, qui, et נִסְלַח סְלַח לִפְלָנִי dixere, et לִפְלָנִי. vid. Leuit. 4, 20. 26. 31. 35. Numerr. 30, 6. Atque hac ex re intellegi potest, cur Iacobus ep. 5, 15. scripserit ἀφεθήσεται αὐτῷ· vbi lectio ἀφεθήσονται, quam codd. nonnulli habent, efficta esse ab grammaticis videtur e verbis interpretis Latini *remittentur ei*: et cur Matthaeus dixerit c. 18, 21. καὶ ἀφήσω αὐτῷ, vt Lucas c. 17. 4. ἀφήσεις αὐτῷ, ita, vt non dubitem, quin etiam c. 18, 35. Matthaei deleri oporteat verba τὰ παραπτώματα αὐτῶν, quae absunt a multis codicibus, atque addita videntur e c. 6, 14. s., vt in versione septuaginta virali Leuit. 4, 20. ἡ ἁμαρτία e c. 19, 22., vbi etiam in textu Hebraico verbis וְנִסְלַח לוֹ adiecta sunt verba מֵחַטָּאתוֹ אֲשֶׁר חָטָא. Sic Marc. 4, 12. nomen τὰ ἁμαρτήματα Grisbachius recte ex ordine eiecisse, librorum veterum auctoritate, videtur.

47. Dau. Kimchius ad Esai. 6, 10. ירפא רפאה הנפש והיא הסליחה

viderunt, et docuerunt, רְפָא esse verbum metaphoricum, quod ad animum ita referretur, vt delictorum condonationem significaret. Itaque quum lectores, et interpretes, librorum Noui Testamenti diligentes, et docti, viderent, auctores eorum verbis translatis non aliam tribuisse potestatem, quam qua praedita essent verba propria: instituerunt et ipsi prioris generis verba explicare verbis posterioris generis, certe eiusmodi, quae vita, et consuetudo, communis vsurparet pro propriis. Paulus, Apostolus, in epistola, quam ad Hebraeos misit, docens, deum scire omnia, neque esse quidquam diuinis eius oculis septum, vtitur verbis his [48], πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. Qua in oratione etsi non satis euidens est, vnde metaphora ducta sit: adeo dissident inter se ea de re interpretes, et veteres, et recentiores [50]! tamen, quum verborum vicinia, et ipsum scribentis consilium, facile doceant, verbo τετραχηλισμένα significari ea, quae pateant, et aperta cernantur, non modo auctores versionis Syriacae, et Latinae veteris, illud verbis propriis interpretati sunt, hic vocabulo *aperta*, iste verbo ܓܠܝܢ: sed etiam Hesychius, vel potius is, a quo sua mutuatus est doctissimus grammaticus, ad vim eiusdem vocabuli declarandam simili verbo vsus est. Legitur enim, cum in ipso eius Glossario, tum in Phauorini Lexico, glossa τετραχηλισμένα vna cum glossemate πεφανερωμένα· quae glossa quin ex

הסליחה וכן כתוב רפאה נפשי כי חטאתי לך. vid. Ps. 41, 5.

48. C. 4, 13.

49. Vid. Suicerus thes. eccles. v. τραχηλίζω p. 1285. s. To. 2. edit. pr. et Gataquerus ad Antonin. 12, 2. p. 346. Trai.

ex illo epistolae ad Hebraeos loco sumta sit, neminem, cui indoles Glossariorum veterum, maximeque Hesychiani, cognita sit, vllo dubitaturum modo speramus. *Peccata*, et *delicta*, hominum, vt in libris Noui Testamenti aliis, ita etiam in epistola Pauli ad Romanos [50], dicuntur παραπτώματα. Hoc autem translatum vocabulum in Glossario [51], quod Ioh. Albertius edidit, explicatum extat nomine ἁμαρτήματα· quod etsi et ipsum ab iis ductum est, qui a proposito aberrant, neque illud tenent: tamen vitam ei communem, sermonemque cotidianum, partes proprii vocabuli dedisse, quem fugit? Scientia vero, et doctrina, auctoris istius interpretamenti etiam ex eo elucet, quod ipsi Alexandrini interpretes nomen Hebraeum פֶּשַׁע, quod menti Pauli obuersatum putari debet, reddidere nomine ἁμαρτία, Symmachus vocabulo παράπτωμα [52]. Et in commentariis Lucae [53], vbi filius pius, et modestus, inducitur querens de iniquitate patris, qui hanc ipsius virtutem, et laudem, nunquam ita ornarit, vt concesserit ipsi haedum, quo accipere epulis amicos potuisset, pro ἵνα μετὰ τῶν φίλων μȣ εὐφρανθῶ, in codice membranaceo, quem Beza bibliothecae Academiae Cantabrigiensis donauit, legitur, auctore Millio, ἵνα μετὰ τῶν φίλων μȣ ἀριστήσω. Sed verbum ἀριστήσω esse interpretamentum verbi translati εὐφρανθῶ, quod a grammatico quodam, interpretis fortasse Latini admonitu, cuius versio rectissime habet *vt cum amicis meis epularer*, adscriptum, sed a librario

50. C. 4, 25.

51. p. 100.

52. Prouerbb. 10, 19.

53. C. 15, 29.

brario in locum verbi εὐφρανθῶ ſubſtitutum, fuerit, quis non videt [54]?

VI. Quae autem hactenus, cum de ortu, et vſu, verborum tranſlatorum in libris ſcriptorum vtriuſque generis, tum de eorum interpretamentis, diſſeruimus, ea ab nobis omnia diſputata ſunt eo maxime conſilio, vt aditum nobis patefaceremus ad deprehendendam, et proferendam, vanitatem, et temeritatem, Lexicographorum Noui Teſtamenti multorum, qui fere omnia verba immutata ſic interpretantur, vt iis plus ſignificari, quam verbis propriis, vt iis ipſas rerum imagines, atque ſpecies, amplificari, lectoribus librorum diuinorum perſuadere conentur. Cuius quidem eorum vanitatis exempla duo e Matthaei, et Lucae, commentariis ſumta, pro inſtituti noſtri ratione, age, ita exhibebimus, vt ea paulo accuratius intueamur, et contemplemur. Eo enim oraculorum Eſaiae loco [55], quem Chriſtus [56], et Paulus, Apoſtolus [57], laudarunt, vt docerent, Iudaeorum ſuae aetatis ingenia, et mores, ab moribus, et ingeniis, Iudaeorum, qui vatis ſaeculo vixiſſent, non diſtare, leguntur haec verba הַשְׁמֵן לֵב־הָעָם הַזֶּה: quorum vis, et ſententia, eſt, *oſtende Iudaeis, ingenia, mentes, eorum eſſe pingues, et obeſas*, hoc eſt, eos non aſſequi, non ſtudere aſſequi, et percipere, certe non ſatis, et recte, ea, quae audiant, et videant; praecepta ſcilicet diuina, oratione, et verbis claris, atque perſpicuis, explicata, et miracula inſignia, atque noua, quae valeant ad aſſerendam doctrinae a prophetis traditae veritatem. Etenim in

54. Vid. Proluſ. 25, 4.

55. C. 6, 10.

56. Matth. 13, 15.

57. Act. 28, 27.

in omnibus linguis veteribus, atque adeo in Hebraea, *facere aliquid* dicitur saepenumero is, qui *ait*, *docet*, *narrat*, *ostendit*, *aliquid esse*, vel *fieri*. Iam quum enuntiationes, *ostende Iudaeis*, *ingenia eorum esse pinguia*, *et crassa*, et *ingenia Iudaeorum pinguia sunt*, *et crassa*, sint aequipollentes, et pares; quum verbis istis contineatur poenae a propheta, dei iussu, et auctoritate, ante propositae [58] caussa: satis perspicuum, atque euidens, esse arbitramur, Iudaeos Alexandrinos, et cum iis Matthaeum, atque Lucam, non modo intellegenter interpretatos esse verba illa Hebraica Graecis, ἐπαχύνθη ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, ita, vt, qui eos aliter legisse verbum הַשְׁמֵן putent cum Ludou. Capello, et aliis, ii sine vlla controuersia errare videantur; sed, ne oratio sic vinculo careret necessario, recte etiam addidisse particulam γάρ. Quid igitur verbo illo immutato, et translato, declarari dicamus? Lexica quidem Noui Testamenti multa eo clamant, et *stuporem*, animum stupidum, significari, et *contumaciam*, animum induratum. Nos vero certissimum existimabamus, subiectam ei esse simplicem notionem *tarditatis ingenii*, *et stuporis;* quod mentis vitium iis tribui nouimus, qui vim eorum, quae vident, vel audiunt, quamuis clara sint, et aperta, tamen, aut omnino non, aut certe aegre, vel non recte, assequantur, et percipiant. Etenim primum in omnibus linguis antiquis, etiam recentioribus, *contumaciam*, quae in eos cadit, qui imperio aliorum, et auctoritati, monitis, et praeceptis, quamuis bonis, et salutaribus, tamen parere, et obtemperare, recusant, indicari, ipsa na-

58. v. 9.

natura magiſtra, et duce, verbis a *duritie*, et *ſoliditate*, arceſſitis, ſed *tarditatem*, et *ſtuporem*, vocabulis ab *pinguedine*, et *obeſitate*, et *craſſitudine*, ductis, quis neſcit? Ab Hebraeis quidem *contumax* homo vocatur, et קְשֵׁה לֵב [59], vel מַקְשֵׁה לִבּוֹ [60], et קְשֵׁה עֹרֶף [61], vel מַקְשֶׁה עֹרֶף [62], etiam חִזְקֵי לֵב [63], ab Alexandrinis Iudaeis *σκληροκάρδιος* [64], et *σκληρὸς τὴν καρδίαν* [65], etiam *στερεοκάρδιος* [66], ab Symmacho, et Theodotione, *σκληροτράχηλος* [67]· quod ipſum vocabulum in Alexandrina verſione ſaepius ita legitur: ſed *tardum*, et *hebetem*, et *ſtupidum*, hominem a Graecis, et *παχύνου* appellari, et *παχυκάρδιον*, a Latinis *craſſum*, et *pinguem*, ſupra vidimus. Deinde vitium ingenii, atque mentis, Iudaeorum illud, quod notatur a Chriſto apud Matthaeum, et apud Lucam a Paulo, verbis *ἐπαχύνθη ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου*, oriri, et exiſtere, docetur, cum e ſegnitie, et neglegentia, audiendi praecepta diuina, quorum ſententia a Chriſto, et Apoſtolis, perſpicue, et aperte, explicetur, tum e pigritie, et neglegentia, videndi miracula inuiſitata, et noua, quorum fide Chriſtus, et Apoſtoli, veritatem doctrinae ſuae confirment. Ex hac autem tali, tantaque, neglegentia, et auſcultandi, et contemplandi, tanquam e fonte, manaſſe, non quidem contumaciam, ſed tarditatem, ſtuporemque, Iudaeorum eum, vt, nec praeceptorum, nec miraculorum, Chriſti, Apoſtolorumque, vim aſſequerentur, et perciperent, quis non intellegit? Denique dubitari recte non poteſt, quin,

59. Ezech. 3, 7.
60. Prouerbb. 28, 14.
61. Ex. 32, 9.
62. Prouerbb. 29, 1.
63. Ezech. 2, 4.
64. Ezech. 3, 7.
65. Prouerbb. 28, 14.
66. Ezech. 2, 4. in Complut. Ald. Alex.
67. Ex. 32, 9.

quin, et nomen καρδία, non *mentem*, et *animum*, sed solam *mentem*, solum *ingenium*, νοῦν, διάνοιαν, indicet, et verbis ἐπαχύνθη ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τέτε res significetur contraria ei, quae declaratur verbis, quae iisdem illis locis paulo post leguntur, τῇ καρδίᾳ συνῶσι, pro quibus apud Iohannem [68] verba νοήσωσι τῇ καρδίᾳ posita extant. Sed τῇ καρδίᾳ, hoc est, τῷ νῷ, συνιέναι dicitur is, qui mente assequitur, et percipit, vim, atque veritatem, doctrinae, quae a Christo, et Apostolis, aperta, et clara, neque obscura, similitudinumque inuolucris tecta, oratione traditur, non magis, quam naturam, et fidem, miraculorum, quae ab iisdem fiunt, ita, vt e miraculis pariter, atque ex ipsa doctrina, plane intellegat, Iesum esse Messian, dei, hominumque, sequestrem, et Apostolos esse dei ad homines legatos, atque interpretes. Verbum igitur παχύνεσθαι et ipsum reor exploratissimum iudicari debere ad solam *mentem* spectare, eoque solam mentis *tarditatem*, et *stuporem*, declarari, qui ingenio Iudaeorum propterea tribuatur, quod non viderint, talem doctrinam, qualis a Christo, et Apostolis, traderetur, non humanam esse, verum diuinam; talia miracula, qualia a Christo, et Apostolis, fierent, fieri non posse, nisi a deo, et hominibus deo plenis; quod non intellexerint inde, Iesum, non esse nudum hominem, sed hominem, et deum; neque Apostolos sponte, sed instinctu, afflatuque, diuino, docere homines. Matthaeus enim, et Lucas, si noluissent cum interpretibus Alexandrinis eodem vti verbo translato, quo Esaias vsus est: potuissent sane, salua orationis

68. C. 12, 40.

vi, pro ἐπαχύνθη ἡ καρδία τῦ λαῦ τύτυ scribere ὗτος ὁ λαὸς ἀμαθής, f. ἠλίθιός, f. ἀνόητός, ἐστιν [69]. vt Christus, exprobrans discipulis stuporem, et tarditatem, quod non ceperint sententiam vocum, oraculorumque, vatum de morte ipsius, redituque ab inferis in vitam, ὦ ἀνόητοι, inquit [70], καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ. In hymno, quem cecinit Zacharias, sacerdos, Elisabethae maritus, tum, quum filio auctus esset, leguntur [71] etiam haec verba, καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν· quibus Messian, seruatorem hominum, significari, et tota vicinia clamat, et interpretes omnes vno, et animo, et ore, consentiunt. Cur vero Christus a Zacharia κέρας dicatur; vnde translatio ducta sit; et an verbo translato plus, quam proprio, significetur: de eo inter se vehementer dissentiunt. Alii enim, vt Ioh. Vorstius [72], vocabulo κέρας indicari aiunt *personam illustrem*, et *eminentem*, atque adeo Messian praecipiunt propterea κέρας appellari, quod praecipue eminuerit, illustrisque fuerit, in Dauidis familia, ita, vt metaphora petita sit ab cornibus, quae in fronte taurorum, aliarumque beluarum, extant. Et quoniam in cornibus bestiarum continetur totum quasi earum robur; quoniam in cornibus vires earum e toto corpore collectae quasi, et coactae, apparent: idcirco Suartius, Stocquius, et alii, nomen κέρας ita accipi iubent, vt eo *persona valida, et ad opem ferendam instructa*, significari putetur,

69. Iohannes certe c. 12, 40. pro verbis Esaiae vsus est verbis πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν· sed verbum πωρῦν etiam aliis in locis N. T. ad mentem, non ad animum, pertinet. vid. Marc. 6, 52. 8, 17.

70. Luc. 24, 25.

71. Luc. 1, 69.

72. Philol. S. c. 3, 10. p. 105. f. Lipf.

tur, et Car. Segarius [73] de *inſtauratore regni*, et fortiſſimo heroë. Schoetgenius autem eidem nomini ipſius *roboris*, et *potentiae*, notionem ſubiectam eſſe, praeeunte Theophylacto [74], ſibi perſuaſerat cum Grotio, et Iac. Rhoerio [75], ita, vt verba *κέρας σωτηρίας* verterit in Lexico *ſalutem potentem*, vt Clericus in libris de arte critica [76] *potentiam ſalutem afferentem*. At quemadmodum huic rationi repugnare reperitur, primum ipſa rei natura, quum *robur*, *potentia*, *ſalutis*, *ſalus potens*, ne cogitari quidem poſſit; deinde totum vaticinantis conſilium, quem facile appareat ceciniſſe, non de ſalute hominum inſtante, ſed de auctore ſalutis eorum breui apparituro, et verbi ἐγείρειν, quod eſt Hebraicum verbum הָקִים, ingenium, quod ſibi ſic perſonae, non rei, vocabulum arceſſitum iungi iubeat [77]: ita nec caeterae, quas commemorauimus, interpretationes ferri vllo modo poſſe videntur. Nam primum doceri non poteſt, ab Hebraeis, quorum loquendi vſum omnes ſciunt, et confitentur, ſequutum eſſe Zachariam, *hominem illuſtrem*, *perſonam ad opem feren-*

73. Obſeruatt. philologg. ad Luc. 1, 69. p. 69.

74. Verba eius ad Luc. d. l. p. 217. Rom. haec ſunt: Ἤγειρε κέρας σωτηρίας, τουτέστι, δύναμιν, καὶ βασιλείαν, σωτήριον. Τὸ γὰρ κέρας, ἢ δύναμιν σημαίνει· τὰ γὰρ κερασφόρα ζῶα ἐν τοῖς κέρασι τὴν δύναμιν ἔχουσιν· ἢ βασιλείαν· τῷ γὰρ κέρατι ἐχρίοντο οἱ βασιλεῖς. Et de *potentia* quidem vocabulum קֶרֶן legitur in hymno Hannae 1. Sam. 2, 10. Reſpondet enim ibi verbo עֹז. Laudatur hic locus in Etymol. M. v. *κέρας* ſic, Σημαίνει δὲ καὶ τὴν δόξαν· ὡς τὸ, Καὶ ὑψώσει κέρας χριστῶν αὐτοῦ.

75. Ferr. Dauentrienſſ. 2, 29. p. 255.

76. P. 2. ſ. 1. c. 12, 9. p. 386. Vol. 1. Amſtel.

77. Vid. Iudd. 3, 9. 15. Act. 13, 23.: vbi tamen pro ἤγειρε multi libri habent ἤγαγε.

rendam instructam, appellatam esse קֶרֶן: quo quippe vocabulo a Dauide in hymno [78], quem Vorstius laudauit, non minus, quam nomine נֵר, *servator, auctor salutis*, significatur: deinde etiamsi isto verbo ab Hebraeis eiusmodi hominem signatum fuisse constaret; tamen primum קֶרֶן dici posse tantum eum, qui *sibi*, non *aliis*, opem ferre instituat, quum tauri, aliaeque bestiae cornigerae, cornibus se, non alias, defendere, et tueri, conentur [79]; quod tamen a persona Christi longissime absit; deinde Zachariam tum non potuisse dicere קֶרֶן יֶשַׁע, hoc est, κέρας σωτηρίας, immo eum debuisse Messian, quem videret breui editum iri in lucem, Maria matre, simpliciter קֶרֶן, id est, κέρας, appellare, neque verbum ἐγείρειν, hoc est, הֵקִים, immo verbum ἐξανατέλλειν, certe ἀνατέλλειν, id est, הַצְמִיחַ [80], nomini κέρας adiungere debuisse, quis non intellegit? Scilicet ne reperirent sensum verborum Zachariae interpretes, et Lexicographi, doctissimi, impediti videntur illo ipso opinionis errore, quem lectoribus librorum Noui Testamenti eripere instituimus. Putarunt enim, verbo translato κέρας a patre Iohannis plus, quam proprio vocabulo αἴτιος, significatum esse. Ego vero exploratissimum habere mihi videor, κέρας esse simpliciter *propugnatorem*, *defensorem*, *auctorem*, atque adeo verbis κέρας σωτηρίας indicari *propugna-*

78. Ps. 132, 17.

79. Vid. Ps. 132, 17. Suidas: Κέρας· ἡ ἰσχὺς παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ· ἐκ μεταφορᾶς τῶν ζώων τῶν καθωπλισμένων τοῖς κέρασι, καὶ τούτοις ἀμυνομένων· quae verba descripsisse grammaticus ex Theodoret. commentarr. ad Ps. 89, 18. Neocoro videbatur: sed petita sunt ex Theodoret. commentarr. ad Ps. 112, 9. V. Anacreon. Odar. 2, 1.

80. Vid. Ezech. 29, 21. Ps. 132, 17.

gnatorem, *defensorem*, *auctorem*, *salutis*, vno verbo *seruatorem*, hominum: et si Zacharias vsus esset prosa, neque poëtica, oratione, eum planissime credo dicturum fuisse, non κέρας σωτηρίας, sed αἴτιος σωτηρίας, vt Christus a Paulo in epistola ad Hebraeos [81] nominatur, vel potius absolute σωτὴρ [82]. Cuius quidem interpretationis grauissimus auctor, et adiutor certissimus, habetur ipse Iohannis pater. Nam verba σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, quae superioribus illis subiecit [83], non possunt pendere a verbo ἐλάλησε, vt Beza existimabat, immo cohaerere putanda sunt cum verbo ἤγειρε, ita, vt verba κέρας σωτηρίας explicentur verbis σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν. Σωτηρία autem idem declarat, quod σωτὴρ, vt in Iohannis euangelio [84]: quemadmodum in commentariis Lucae λύτρωσις legitur pro λυτρωτὴς [85], et παράκλησις pro παράκλητος [86]. Vnde vero metaphoram arcessitam esse censebimus? Nimirum ab eminentiis, et ansis, altaris eius, quod in atriis templi, et Mosaici, et Hierosolymitani, non procul ab introitu eius stetisse accepimus. Etenim in quatuor angulis, siue partibus extremis, huius altaris, iisque summis, extitisse leguntur totidem eminentiae, atque ansae, ligneae, sed aere obductae, quae ab Hebraeis קְרָנוֹת, et ab interpretibus Ale-

81. C. 5, 9.

82. Vid. Act. 13, 23.: vbi tamen pro σωτῆρα Ἰησοῦν multi codd. habent σωτηρίαν.

83. v. 71.

84. C. 4, 22. coll. v. 42.: et Act. 13, 23. pro σωτῆρα Ἰησοῦν in multis codd. scriptum est σωτηρίαν, quod Matthaeio placuit in ordinem recipere. Sic τὸ σωτήριον Luc. 2, 30. 3, 6. Act. 28, 28. idem est, quod ὁ σωτήρ.

85. C. 2, 38.

86. C. 2, 25. Sic Nah. 3, 7. pro מְנַחֲמִים οἱ ό habent παράκλησιν, vel, vt melius in cod. Alex. legi videtur, παρακλήσεις· quum in Vulg. sit *consolatorem*.

xandrinis aeque eleganter κέρατα, dicuntur [87]. Quicquid enim in re aliqua ſumma, et extrema, *extat*, atque *eminet*, id קֶרֶן Hebraice, Graece κέρας [88], appellatur. Hae vero eminentiae, et anſae, iſtius altaris, haec *cornua*, vt vocantur ab interprete Latino vetere, erant tum apud Iudaeos ſupplicum perfugia, vt arae, et foci, apud barbaros [89], ita, vt, qui eorum vnum manu teneret, is ſaluus eſſet, neque violari a quoquam, ſine nefario ſcelere, poſſet. Adonias [90] quidem, et Ioabus [91], ſaluti ſuae, atque vitae, ita conſuluiſſe perhibentur, vt confugerint ad altare illud templi Moſaici, manuque eius cornua apprehenderint. Hoc igitur Iudaeorum illius aetatis more, et inſtitu-

87. Vid. Ex. 27, 2. Ioſephus B. I. 6, 14. p. 918. D Geneu. hoc altare templi Hieroſolymitani ſecundi vocat βωμὸν τετράγωνον κερατοειδεῖς προανέχοντα γωνίας.

88. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Κέρας· — ἡ ἐξοχή —. Quod quidem gloſſema, quam elegans ſit, et exquiſitum, vel Ioſephi, politiſſimi ſcriptoris, auctoritas docere poteſt quemque. Nam verba Hebraica 1. Regg. 1, 50. וַיָּקָם וַיֵּלֶךְ וַיַּחֲזֵק בְּקַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ, quae οἱ ό verterunt, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀπῆλθε, καὶ ἐπελάβετο τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου, Ioſephus, pro ſuo elegantiae Graecae ſtudio, ita interpretatus eſt [Arch. 7, 11. p. 221. Baſil.], ἱκέτης γίνεται τοῦ θυσιαστηρίου, ὃ δὴ προεῖχεν ἐλλαβόμενος. Sed aeque eleganter verba Hebraea [1. Regg. 2, 28.] וַיָּנָס יוֹאָב אֶל־אֹהֶל יְהוָה וַיַּחֲזֵק בְּקַרְנוֹת הַמִּזְבֵּחַ, explicauit [Arch. 8, 1. p. 227.]: καταφεύγει μὲν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον· ἀσφάλειαν δὲ ἐνόμιζεν αὐτῷ περιεῖναι ἐκ τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐσεβείας τοῦ βασιλέως. Seruius ad Virgil. Aen. 6, 123. has eminentias, haec cornua, *ararum anſas* vocat. Conf. Perizonius ad Sanctii Mineru. 4, 15. pag. 766.

89. Vid. Cic. Tuſc. 1, 35. Auguſtin. C. D. 3, 28. ſ. et index Aeſchin. v. ἑστία. Vnde Cicero poſt red. in ſen. c. 5. *niſi in aram tribunatus confugiſſet* eleganter dixit pro *niſi tribunus plebis factus eſſet*.

90. 1. Regg. 1, 50.

91. 1. Regg. 2, 28.

ſtituto, factum eſſe facile apparet, vt nomen קֶרֶן, addito etiam, adiuuandae perſpicuitatis cauſſa, vocabulo יֶשַׁע, eleganter transferretur a poëtis Hebraeis, non modo antiquis, ſed etiam recentioribus, ad perſonam eius, qui eſſet perfugium, praeſidiumque ſalutis, aliorum; quum, etiam mutata morum, inſtitutorumque, ciuitatis alicuius ratione, tamen poteſtas verbis ab antiquis ſcriptoribus data fere retineri ab ſcriptoribus poſteriorum temporum, in omnibus linguis, ſoleat. Dauides certe quidem in eo hymno, quem cecinit tum, quum, dei auxilio, Saulum, reliquoſque fortunae ſuae hoſtes, viciſſet, deum vocaſſe reperitur [92] קֶרֶן יִשְׁעִי: ſed vt nomina tralata סֶלַע, et מְצוּדָה, ipſe interpretatus eſt [93] proprio nomine מְפַלֵּט, ita verbis מָנוֹס, מִשְׂגָּב, קֶרֶן יֶשַׁע, מָגֵן, ſubiecit [94], tanquam interpretamentum, vocabulum מוֹשִׁיעַ. Nam ſenſus ſummae laetitiae, qua pectus regis totum perfudiſſet acris, et attenta, cogitatio inenarrabilis beniuolentiae, fauoriſque diuini, mentem eius congerere coëgit, et conferre quaſi in vnum, omnia huius laudis vocabula. Itaque quis dubitet, quin Zacharias, pater Iohannis, Meſſian, conſuetudinis loquendi Hebraeorum ſuae quoque aetatis admonitu, קֶרֶן יֶשַׁע, *κέρας σωτηρίας*, dixerit? quis neget, vel ſolo tralato nomine *κέρας* idem ſignificari, quod verbis propriis *αἴτιος σωτηρίας*, et *σωτὴρ*, hoc eſt, *ſeruatorem*, *conſeruatorem*, auctorem, et perfugium, et praeſidium, ſalutis *hominum*? et quis non concedat, nomen illud, non ab cornibus taurorum, aliorumque quadrupedum, multo minus a re militari veterum, verum ab eminen-

92. 2. Sam. 22, 3. Pſ. 18, 3.
93. 2. Sam. 22, 2. Pſ. 18, 3.
94. 2. Sam. 22, 3.

nentiis, atque anſis, illis altaris templi Moſaici, et Hieroſolymitani, ductum eſſe, etiam propterea, quod ei additum ſit verbum ἤγειρεν? Nam ἐγείρειν, hoc eſt, הָקִים, recte dici de cornibus altaris poteſt, quum in quadrupedum cornua cadat potius verbum הַצְמִיחַ, hoc eſt, ἐξανατέλλειν [95].

VII. Sed ſatis dictum a nobis, pro inſtituti ratione, etiam de tertio genere verborum ſingulorum videtur, quae a Lexicographis Noui Teſtamenti fere ita explicari ſolent, vt iuſto iis maior vis, atque poteſtas, tribuatur. Etſi enim non ignoramus, longe plura iſtorum vocabulorum reperiri genera: ea tamen, quorum quaedam exempla attulimus in hoc, ſuperioribuſque, libellis, praecipua ſunt, atque eiuſmodi, quorum interpretatione falſa, non modo in ridiculos, et ineptos, ſed etiam grauiſſimos, et nocentiſſimos, errores inducantur ipſius doctrinae, et religionis, Chriſtianae doctores, atque interpretes, vt vel hanc ob cauſſam paulo diligentius, et copioſius, de his verbis diſſerere viſum ſit: et hac ipſa diſputatione noſtra illud effectum eſſe ſperabamus, vt lectores librorum Noui Teſtamenti diligentes intellegerent, nec in caeteris huiuſmodi verbis explanandis voces, et praecepta, Lexicorum vulgarium temere audienda eſſe, atque ſequenda, immo omnia verba, hoc quoque in genere, pendi, et examinari, debere ſtatera vſus loquendi ſcriptorum veterum, in primis Hebraeorum.

VIII. Conueniemus igitur cras, collegae amantiſſimi, hora quinta veſpertina, in auditorio claſſico ſcholae noſtrae vna cum diſcipulis, gratiaſque deo agemus debitas vno animo, et ore, pro

95. V. Pſ. 132, 17.

pro beneficiis innumeris, et ſingularibus, quae ex inexhauſto liberalitatis eius fonte in nos, hoc etiam anno, manaſſe gaudemus, numenque eius omnibus precibus implorabimus, vt vitam, et fortunas, et ſalutem, noſtram ſibi commendatam, proximo anno, ita habere velit, vt diſciplinam noſtram fructus ferre iubeat, et iucundiſſimos nobis, et diſcipulis, atque adeo patriae communi, ſaluberrimos. Quanquam enim vita, et diſciplina, ſcholaſtica coniuncta eſt cum magna moleſtiarum, incommodorumque, multitudine, et copia, quam perſequi anno ſuperiore conatus eſt oratione Latina alumnus quidam ſcholae noſtrae nobis ob ſapientiae vtriuſque, et virtutis, ſtudia praecipue carus: tamen quum acerbitatis, et magnitudinis, moleſtiarum iniquarum, immeritarumque, commemoratio, quae fiat ab aliis, accidat, neſcio quomodo, auribus, animiſque, eorum, qui eas perferre coguntur, admodum grata, et vero etiam iucunda: auctores fuimus alumno diſciplinae noſtrae veterano, CHRISTI. DAVIDI BRAEVNLICHIO, *Vida Nariſco*. praeclarae indolis adoleſcenti, vt, audientibus nobis, verba faceret Latine *de inſigni magnitudine, et acerbitate, incommodorum vitae ſcholaſticae.* Quam quidem adoleſcentis humaniſſimi oratiunculam vt accipere auribus beniuolis, aequiſque animis, velitis, eiuſque preces, pro ſalute, et incolumitate, patronorum ampliſſimorum, antiſtitis, et curatoris, ſapientiſſimorum virorum, fautorum, et euergetarum, grauiſſimorum, ſcholae Thomanae, ardore veſtrarum precum adiuuare, vehementer vos etiam atque etiam rogo. Scripſi in Schola Thomana a. d. III. Kal. Ianuarias A. C. CIƆIƆCCLXXVIII

PROLV

PROLVSIO NONA

DE NOTIONIBVS IVSTO AMPLIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS IVNCTIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Defendere hactenus, auctoritate vſus loquendi, et Graecorum, et Hebraeorum, conati ſumus ab ingeniis alumnorum in primis diſciplinae noſtrae errorem illum, in quem multi librorum Noui Teſtamenti, et lectores, et interpretes, Lexicorum maxime praeceptis, atque vocibus, inducti putant, verbis e praepoſitionibus compoſitis, et pluralibus, et tranſlatis, ſingulis maiorem, amplioremque, poteſtatem ſubiectam eſſe a diuinis ſcriptoribus, quam verbis propriis, et ſingularibus, et ſimplicibus. Huius vero ipſius opinionis conditorum eorundem librorum leuitate, et temeritate, quum non ignoremus, quantopere impedita fuerit ſemper, atque nunc cum maxime impediatur, intellegentia, et interpretatio, verborum iunctorum, formularumque dicendi, Noui Teſtamenti: ratio inſtituti noſtri, diſputationiſque deſcriptio, poſtulare videntur, vt huius quoque generis peccata, et oſtendamus, et corrigamus, exemplis eorum quibuſ-

quibusdam propositis, quorum indicio, et memoria, admoniti sacrorum librorum lectores, atque interpretes, sibi caueant, ne formulis loquendi maxime illis, quas e lingua Hebraea, tanquam ex fonte, deriuatas appareat, et verbis, more, rituque, Hebraeorum, structis, atque compositis, plus iusto significari arbitrentur, repugnante consuetudine dicendi, et Graeca, et Hebraea, ipsarumque adeo rerum natura, et ingenio.

II. Et earum quidem formularum, quae verbis translatis, et immutatis, constant, vim aequalem iudicari debere, et parem, per se, omnibus in locis, potestati formularum e propriis verbis compositarum, ex iis, quae, superiore libello, de origine, et celebratione, orationis immutatae, eiusque vsu in libris, et humanorum, et diuinorum, scriptorum, disputata sunt, ita elucere putamus, vt neminem facile futurum speremus, qui rationem Lexicographorum secus decernentium probare potius, quam nostrae assentiri sententiae, malit. Neque vero quisquam eorum, qui libros Gataqueri, Vorstii, et Olearii, de stylo Noui Testamenti diligenter legerint, reperietur, qui dubitet, quin formulae ἀνοῖξαι τὸ ςόμα αὐτȣ͂ [1], ἐπᾶραι τὴν φωνὴν αὐτȣ͂ [2], ἐπᾶραι τȣ̀ς ὀφθαλμȣ̀ς αὐτȣ͂ [3], ἐκτεῖναι τὴν χεῖρα [4], verbis tangendi, et videndi, et loquendi, praemissae non minus, quam verba πορευθῆναι [5], ἐλθεῖν [6], ἀπελθεῖν [7], ἐξέρχεσθαι [8], ὑπάγειν [9], προσ-

1. Matth. 5, 2.
2. Act. 2, 14.
3. Ioh. 4, 35.
4. Matth. 8, 3. 14, 31.
5. Matth. 2, 8.
6. Matth. 2, 8. 14, 33. 15, 25.
7. Matth. 13, 46.
8. Matth. 13, 49. 15, 21.
9. Matth. 13, 44.

προσελθεῖν [10], ἀναστῆναι [11], λαβεῖν [12], verbis, et formulis, actionem quandam corporis, et animi, declarantibus addita, vi omni careant, neque adeo indicent magnitudinem cupiditatis, studiique, eorum, qui loqui, cernere, tangere, agere, aliquid dicuntur, vt grex Lexicographorum imperitus clamat. Scriptores enim Noui Testamenti hoc quoque in genere Hebraeam imitatos esse rationem, quis ignorat? Hebraeos autem in istis loquendi incunabulis, atque initiis, in ista orationis simplicitate, atque infantia, quae naturae praecepta, et auctoritatem, summo studio, et diligentia, sequeretur, ea praeeunte, verbis expressisse, non tantum ipsas corporis, animique, actiones, sed etiam earum accessiones, cuncti vno ore confitentur. Has vero accessiones quum homines sensim, ipsius rationis admonitu, intellexissent indicari iam ipsarum actionum notis, et signis: mirandum profecto non est, Graecos, et Romanos, omissis istis orationis ambagibus, hanc instituisse rationem tenere, vt verbis vterentur, atque formulis, quibus nudae actiones declararentur. Quis igitur contendere audeat pertinax, in libris Noui Testamenti verbis illis, atque formulis, quas adiungi fere ab scriptoribus sacris, tanquam comites, demonstrauimus actionum corporis, animique, notis, plus significari, quam solis istarum actionum formulis, atque verbis? Ab eodem vero illo naturae simplicitatem gratam imitandi studio profecta intellegitur consuetudo loquendi Hebraeorum illa, qua temporibus verborum, actionem

10. Matth. 15, 12. 23. 16, 1. 17, 7.

11. Marc. 7, 24.

12. Matth. 13, 33. 15, 26. 21, 35. 39.

nem corporis, animiue affectionem, aliquam declarantium, definitis addunt, vel eorundem verborum infinitiuos, vel substantiua nomina, ab iisdem verbis ducta, sic, vt nuda corporis actio, animique affectio, non vehementia earum, et magnitudo, exprimatur. Etenim infinitiuis quidem ipsis si vim illam tribuissent Hebraei, vt partes aduerbiorum agerent, quibus studium, et contentio, agentis, nouitas, et insolentia, commutationis animi, et corporis, indicaretur: profecto, neque scriptores diuini fuissent tam inconstantes, vt iisdem locis vnam eandemque rem ita narrarent, vt, nunc praeponerent infinitivos temporibus finitis, nunc eosdem inde removerent [13], neque Alexandrini interpretes vsi essent in versione sua, quae erat eorum excellens linguae Hebraicae scientia, interpretandique cura, et diligentia singularis, simpliciter temporibus verborum finitis etiam ibi, vbi viderent auctoribus librorum diuinorum placuisse iis infinitiuos adiungere comites [14]. Hos vero infinitivos quum Noui Testamenti scriptores reperiantur, exemplo Alexandrinorum Iudaeorum, vel participiis [15] expressisse, vel ablatiuis substantivorum nominum [16]; quis non concedat, et fateatur, eiusmodi formulis plane idem significari, quod verbis nude positis, quamuis vehementer reclametur ab omnibus Lexicographis, aliisque libro-

13. Gen. 16, 10. coll. 17, 2. 17, 13. coll. v. 12. 18, 10. coll. v. 14.

14. Vid. Gen. 20, 7. 43, 7. 20. Ex. 2, 19. 5, 23.

15. Matth. 13, 14. Act. 7, 34. Hebrr. 6, 14.

16. Matth. 13, 14. 15, 4. Luc. 22, 15. coll. Gen. 31, 30. Ioh. 3, 29. Act. 4, 17. Iac. 5, 17.

librorum diuinorum, etiam humanorum, interpretibus [17]? praesertim quum his eorum vocibus, et praeceptis, etiam natura rerum ipsa, et tota verborum vicinia, multis certe quidem in locis, maxime repugnent [18]. Etenim in locis illis, quibus infinitiui videri possint vim aduerbiorum habere [19], eam, non ab infinitiuis, immo ab ipsis rebus, proficisci videmus, adeo, vt verbis vel nude positis eadem inesse vis facile intellegatur. Aeque vero apertae, et certae, vanitatis notae impressae apparent in praecepto Lexicographorum illo, quo substantiuis nominibus quarti, sextiue, casus, quae verbis eiusdem originis addita, loco librorum Noui Testamenti non vno [20], extant, haec tribuitur potestas, vt notionem verborum, quae comitantur, amplificare, hoc est, vicibus aduerbiorum fungi, dicantur, magnitudinem quandam, et excellentiam, declarantium. Etenim originis, nataliumque, linguarum historia satis docet, hoc dicendi genus cum innumeris aliis ex orientalibus linguis in Graecam, et ex hac in Latinam, venisse: quod quidem, praeter Homerum, aliosque poëtas veteres, Attici in primis ita, et retinuisse, et frequentasse, reperiuntur, vt verbis nomina eiusdem, non modo originis, sed etiam potestatis, adiunxerint, eorumque auctoritate, et exemplo, Latini [21]. Grammatici autem antiqui hanc loquu-

17. Velut a Balthas. Stolbergio ad Sophoclis Aiac. p. 195.

18. Vid. Exod. 21, 12. 16.

19. 1. Sam. 1, 10. Vulg. *flens largiter*: c. 2, 27. Vulg. *aperte reuelatus sum*: c. 9, 6. Vulg. *sine ambiguitate venit*: c. 14, 39. Vulg. *absque retractatione morietur*.

20. Vid. Vorstius Philol. S. c. 34. f.

21. Scriptorum Latinorum locos huius generis multos

quutionis formam, illam ipſam ob cauſſam, fere Ἀττικὴν φράσιν, et Ἀττικὸν σχῆμα [22], etiam Ἀττικὴν παρήχησιν [23], et παρονομασίαν [24], ita dixere, vt iis nunquam in mentem venerit tradere, iſta adiunctione nominum ipſam verborum poteſtatem vllo modo augeri. Quo quidem in genere quantum ſuperarint illi homines pleroſque Noui Teſtamenti Lexicographos cura, et diligentia, animaduertendi, praecipiendique ſolertia, et prudentia, vſus certe loquendi ſcriptorum veterum ipſe declarat. Apud Homerum enim ἀπόλλυσθαι μόρον [25], et ἀπόλλυσθαι ὀλέθρῳ [26], eſt ſimpliciter *perire:* λάμπειν σέλας Euripides in Phoeniſſis [27] ita dixit, vt eſſet *ſplendere, coruſcare fulgore:* in Platonis Phaedone [28] ἡμαρτηκέναι ἁμαρτήματα valet *peccaſſe, admiſiſſe peccata:* et formula δουλεύειν δουλείαν Xenophon [29] ita vſus eſt, vt ſigni-

 fica-

tos congeſſit Gronouius auus ad Terent. Andr. 5, 5. 8.: nec minorem Graecorum exemplorum copiam contulit Ioh. Henr. Maius in diſſert. de pleonaſmis linguae Graecae in N. T. occurrentibus, Giſae A. C. 1728. edita, p. 8. — 12.

22. Vid. ſchol. Ariſtoph. ad Plut. 517.: cuius verba deſcripſit, praeter Suidan v. ληρεῖς, Gregorius in de dialectis p. 5. 1. Koen.

23. Vid. ſchol. Doruil. Ariſtoph. ad Plut. d. l.

24. Vid. Pſeudodidymus ad Homer. Il. β', 121. Euſtathius ad Il. β' p. 348. 31. Rom., et ex eo Phauorinus: Τὸ δὲ ἀγορὰς ἀγόρευον, Ἀττικόν ἐστιν, ὡς καὶ τὸ βουλὴν βουλεύει, καὶ λόγον λέγει, καὶ ὅλως τὸ παρατιθέναι τοῖς ῥήμασι τὰ ἐξ αὐτῶν ὀνόματα· καλεῖται δὲ τὸ σχῆμα παρονομασία· et ad Il. ξ' p. 975. 57. Τὸ δὲ πλοκάμους ἔπλεξε, παρονομασίαν ἐτυμολογικὴν καλοῦσιν οἱ παλαιοί, ὡς τῷ ὀνόματι συγκειμένου ῥήματος ἐτυμολογικῶς, ἀφ' οὗ παρωνόμασται.

25. Odyſſ. α', 166.

26. Odyſſ. γ', 87.

27. v. 235. ſ.

28. c. 62.

29. Memorr. 1, 5. 6.

ficaret *seruire, subire, et pati, seruitutem*; adeo, vt, si quis has, aliasque eiusmodi, formulas Latine interpretari duobus diuersis vocabulis velit, tantum abesse facile appareat, vt nomina verbis addita horum potestatem augeant, vt eam potius minuant, alteramque illis notionum partem detrahant. Et nos persuaderi nobis sinemus, isto formularum dicendi genere ab ipsis Hebraeis plus significari, quam verbis nude positis? nos assentiri sustinebimus Noui Testamenti Lexicographis, praecipientibus, formulis e nominibus, et verbis, affinibus compositis maiorem subiectam esse in libris sacris potestatem, quam simplicibus verbis? Quid enim? Si ea inesset his nominibus vis, quam iis inesse Lexica clamant: quid tandem opus erat, vt Hebraei illis, et Euangelistae, adderent adiectiua magnitudinem declarantia; vt Ionas [30], exempli caussa, שְׂמַח שִׂמְחָה גְדוֹלָה, et Moses [31] חָרַד חֲרָדָה גְּדוֹלָה, Matthaeus [32] χαίρειν χαρὰν μεγάλην, et Marcus [33] ἐκστῆναι ἐκστάσει μεγάλῃ, dicerent? Itaque satis perspicuum esse arbitramur, et patere omnibus, formulis illis non significari plus, quam verbis solis, sed adiectiua, substantiuorum comites, partes aduerbiorum agere, ita, vt χαρῆναι χαρὰν μεγάλην in Matthaei commentariis idem sit, quod χαρῆναι μέγα in Homeri carminibus [34], hoc est, *vehementer gauisum esse*, atque adeo χαρῆναι χαρὰν μεγάλην σφόδρα, qui ipse loquendi circuitus e lingua Hebraica ductus est, idem valeat, quod χαρῆναι μέγιστον f. μέγιστα, id est, *vehementissime laetatum esse*. Cuius quidem praecepti de potestate harum formularum,

30. C. 4, 6.
31. Gen. 27, 33.
32. C. 2, 10.
33. C. 5, 42.
34. Il. γ', 76.

larum, et interpretatione, veritatem, non ſolum ſcriptores diuini ipſi, ſed etiam interpretes ſacrorum librorum Hebraice, Graeceque, doctiſſimi, auctoritate ſua ita confirmant, vt omnis tollatur dubitatio. Namque rem illam, quae in Geneſi [35] expreſſa legitur formula יֶחֱרַד חֲרָדָה גְּדֹלָה עַד־מְאֹד, idem ſcriptor in Exodo [36] formula חָרָה מְאֹד ſignificauit, ſicut Iohannes in ſecunda epiſtola [37] formulam χαρῆναι χαρὰν μεγάλην σφόδρα, qua Matthaeum vſum eſſe diximus, formula χαρῆναι λίαν commutauit. Et quanquam eo loco commentariorum regum Iudaeorum [38], quo Nathas, propheta, qui Adonian, Salomonis fratrem, accepiſſet rebus nouis ſtudere, regnumque occupare, clam Dauide, patre, conari, auctor fuiſſe perhibetur Bethſabae, Salomonis matri, quo, et ſuae ipſius, et filii, ſaluti conſuleret, vt adiret regem, et ad eum rem omnem deferret, haec leguntur verba, אִיעָצֵךְ נָא עֵצָה, quae Alexandrini Iudaei, vt fere omnia, interpretati ita ſunt, vt annumerarint illa lectoribus, συμβελεύσω σοι δὴ συμβελίαν· tamen, non modo Latinus interpres ea, Latinam rationem ſequutus, vertit, *accipe conſilium a me*, ſed etiam Ioſephus [39], elegantiſſimus ſcriptor, illam ipſam rem his complexus eſt verbis, συνεβέλευέ τε σώζειν αὐτὴν, καὶ τὸν παῖδα Σολομῶνα βασιλεύειν. Quum vero antiquiſſimi homines, in iſta facultatis, artiſque, cogitandi tenuitate, ita verſati intellegantur in cognoſcenda, conſiderandaque, rerum, et perſonarum, natura, vt, arreptis ipſarum rerum, perſonarumue, imaginibus, pro-

 prie-

35. C. 27, 33.
36. C. 19, 18.
37. v. 4.
38. 1. Regg. 1, 12.
39. Archaeol. 7, 11. pag. 220. Baſil.

prietatum earum, et virtutum, omninoque eorum, quae ad illas quocunque modo pertinerent, formas intuerentur, adeo, vt ſimulacra proprietatum non ſimul cum rerum, perſonarumque, ſimulacris, ſed haec ſeorſim ab illis, menti offerrentur: fieri ſane non potuit, quin Hebraei, ſi rem aliquam, vel perſonam, et eius proprietatem quandam, notis, atque ſignis, oſtendere ſimul vellent, coniungerent duo nomina ſubſtantiua, quorum altero res, et perſona, indicaretur a qualitate ſua, quantitateue, ſeiuncta, altero rei, et perſonae, qualitas, vel quantitas, ab ipſa re, perſonaque, abſtracta, ita, vt alterutrum nominis adiectiui vicem ſuſtineret, quo lector, et auditor, de re, perſonaue, non minus, quam de qualitate eius, vel quantitate, cogitare cogeretur. Atque hanc loquendi formam ita retinuerunt poëtae in primis Graeci veteres, vt nullus vnquam grammaticus extitiſſe reperiatur, qui ſubſtantiuis illis, quae locum adiectiuorum obtinerent, hanc addicere poteſtatem conaretur, vt magnitudinem illis quandam, praeſtantiamque, qualitatis, quantitatiſue, denotari praeciperet. Certe apud Ariſtophanem in Pluto [40] *χρυσὸς ἐπῶν* eſt *aureus*, exoptatiſſimus, *nuntius*, *τιμιώτατος λόγος*, vt enarrator antiquus ſcienter interpretatur: et *δαπάναι ἱματίων* dicuntur [41] ſimpliciter *pretioſa*, *ſumtuoſa*, *pallia*. Quis igitur non recte requirat prudentiam, et grauitatem, Lexicographorum Noui Teſtamenti multorum, qui huius ipſius generis formulas ita explicare auſi ſunt, vt alterutro ſubſtantiuo docerent, non ſimpliciter qualitatem, quantitatemue, rerum,

40. v. 268. 41. v. 530.

rerum, et perſonarum, ſed excellentiam quandam eius, praeſtantiamque, indicari? Atque ex his, quae hactenus a nobis diſputata ſunt vniuerſe de vſu nonnullorum formularum dicendi generum in libris Graecis, et Hebraicis, iudicari facile ab omnibus poſſe putamus, quam inſcienter fecerint conditores multorum Lexicorum Noui Teſtamenti, quod ſolito illis maiorem poteſtatem, inuitis ſcriptoribus diuinis, tribuerint: ſed illa ipſa diſputatione noſtra ſperamus admonitos eſſe liberales, et diligentes, librorum ſacrorum lectores, vt nec in reliquarum huiuſmodi formularum [42] ſignificationis indagatione e Lexicographorum praeceptis pendere auderent, neque ſe blandis eorum, atque piis, vocibus falli, decipique, paterentur, immo omnia hoc quoque in genere ad vſum loquendi Hebraeorum, tanquam ad magiſtrum, et auctorem, optimum, referenda cenſerent.

III. Quae quidem iſtorum hominum leuitas, et temeritas, vt multo etiam magis, et facilius, deprehendatur, et cognoſcatur, ab ſtudioſis ſacrarum literarum: paulo diligentius differendum videtur de quibuſdam aliis Noui Teſtamenti formu-

42. Hoc in numero ſunt formulae, quae e verbo πλήθεσθαι, et genitiuis nominum, compoſitae ſunt, originemque ingeniis Hebraeorum debent ſuam. vid. Dan. 3, 19. Eſth. 5, 9. Hebraei autem iis vſi ſunt pro verbis, ab quibus nomina, verbo πλήθεσθαι adiuncta, ducta ſunt. Quae quum ita ſint: nec in libris ſcriptorum N. T., auctorumque profanorum, qui vſum earum ab Hebraeis acceperint, maiorem iis poteſtatem tribuendam eſſe, quis non videt? vid. Xen. Cyrop. 1, 4. 4. 3, 3. 24. 4, 5. 3. 8, 1. 9. Eurip. Phoenn. 175. Luc. 4, 28. 5, 26. Act. 3, 10. 5, 17. 13, 45. 19, 29.

mulis, quibus multi, et veteres, et recentiores, librorum diuinorum interpretes, et in his Lexicographi maxime, maiorem assignasse vim reperiantur, neglecta auctoritate consuetudinis loquendi Hebraicae: quam tamen quin sequuti sint Euangelistae, et Apostoli, quis dubitet? Moses, puer in lucem a matre editus, legitur in Apostolorum commentariis [43] fuisse ἀστεῖος τῷ Θεῷ. Haec verba multi ecclesiae veteris doctores ad animum, et virtutes, infantis retulere, ita, vt illis significari puerum *deo carum* putarint: qua de re Vorstius iam in praeclaro Philologiae opere [44] admonuit sacrorum librorum lectores, cuius verba a Suicero repetita in thesauro ecclesiastico [45] videmus. Nam in Oecumenii quidem excerptionibus [46] ad illum Lucae locum leguntur haec verba, τετέστιν εὐάρεστος, ἢ θεοφιλής, ita, vt post nomen εὐάρεστος e verbis ἀστεῖος τῷ Θεῷ intellegi datiuus nominis dei debeat: qui certe in Theophylacti commentariis diserte additus extat. Neque vero aliter verba Lucae accepisse putandus est interpres Latinus antiquus, qui ea vertit *gratus deo:* quae verba sane nihil significare aliud possunt, quam verba *deo acceptus*, quae in versione Castalionis leguntur. Quanquam enim non ignoramus, Ioh. Boissium, acrem illum, et iustum, doctrinae, elegantiaeque, Latini interpretis vindicem, sibi persuasum habuisse, *gratum deo* dictum ab eo esse puerum *ita bellum, vt forma eius vel deo placere posset, atque grata esse* [47]: tamen, vt omittamus monere,

43. C. 7, 20.

44. C. 14. p. 392.

45. v. ἀστεῖος. p. 557. s. To. 1. edit. pr.

46. p. 40. Veron.

47. Conf. Raphelius ad Luc. 2, 40. p. 468. To. 1. Leid.

nere, verba illa nullo modo posse, per linguae Latinae ingenium, de forma, et venustate, oris intellegi, immo de animi, et virtutis, praestantia accipi debere, quidni arbitremur, auctorem versionis Latinae probasse sententiam eorum, qui loquutionem Lucae ad probitatem, et virtutem, pueri referendam censerent? Quae quidem ratio quam vulgaris tum, et communis, fuerit, et e versione Syriaca cognoscitur, cuius auctor verba Lucae, καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ θεῷ, ita explicauit, ܘܪܚܝܡ ܗܘܐ ܠܐܠܗܐ, et ex Etymologico magno patet, cuius conditor quum praecepisset [48], ἀστεῖον significare etiam τὸν δι' ἦθος χρηστὸν ἐπαινούμενον, subiecit, exempli caussa, illum ipsum Euangelistae locum, ὡς ὁ Μωϋσῆς, Ὡς ἦν τὸ παιδίον ἀστεῖον τῷ θεῷ. Huic vero interpretationi, quum facile

P 5

48. p. 158. Sylb. Verba sunt haec, Ἀστεῖος· ὄνομα ἐκ τοῦ ἄστυ· σημαίνει τρία· λέγεται κυρίως ὁ ἐν ἄστει διατρίβων· καὶ ὁ δι' ἦθος χρηστὸν ἐπαινούμενος, ὡς ὁ Μωϋσῆς, Ὡς ἦν τὸ παιδίον ἀστεῖον τῷ θεῷ· λέγεται καὶ ὁ γελωτοποιός. Repetiit ea Phauorinus in Lexico v. ἄστυ, sic, Ἐκ δὲ τοῦ ἄστυ ἀστεῖος· σημαίνει δὲ τρία, τὸν ἐν ἄστει διατρίβοντα, τὸν διὰ χρηστὸν ἦθος ἐπαινούμενον, ὡς ὁ Μωϋσῆς, καὶ τὸν γελωτοποιόν. Georgius Lecapenus excc. Grammat. ap. Matthaeium Lectt. Mosquenss. Vol. 1. p. 58. Ἀστεῖον λέγεται τὸ χάριεν, καὶ Ἀττικῶς τὸ δεξιὸν, καὶ θαυμάσιον, ὡς τὸ, ἀστεῖος ἦν ὁ Μωϋσῆς παρὰ τῷ θεῷ, ἀντὶ τοῦ σπουδαῖος. Iam quum in libris Etymol. M. legi non possit ὃς ἦν pro ὡς ἦν, nisi etiam Articulus τὸ ante παιδίον tollatur: arbitror verba ὡς ἦν τὸ παιδίον ἀστεῖον τῷ θεῷ ab alio quodam grammatico adscripta esse, qui praecepta Etymologi ita confirmare voluerit, vt, praeter locum Lucae, respexerit etiam ad locos Ex. 2, 2. et Hebrr. 11, 23. Itaque ὡς est *vt*, *velut*. Caeterum nec pro ἦθος rescribi potest εἶδος, quum appositum χρηστὸν repugnet.

facile appareret, quantopere aduersaretur, non solum ingenium vocabuli ἀστεῖος, cui casus nominis personae tertius adiungi nullo modo posset, ita, vt Erasmus, qui in versione sua retinuit Latini interpretis verba, Lucam eo abusum esse pro nomine χαρίεις frustra suspicatus sit, sed ipsa etiam rerum natura, quod in puero modo in lucem edito animi, morumque, probitas non ita eluceret, vt Moses infans ob eam deo placuisse dici posset: exorti sunt, qui illa ipsa Euangelistae verba ad venustatem formae, et pulchritudinem corporis, pertinere docerent. Oecumenius certe quidem, praeter interpretationem eorum supra propositam, attulit etiam hanc [49], ἢ ἀστεῖος κυρίως ὁ ἐν παιδικῇ ἡλικίᾳ κατὰ σῶμα ἀμώμητος. Quae interpretatio quam vera esset, atque elegans, quum, pro singulari sua Graecarum literarum scientia, animaduertisset Camerarius, sed neglectum tamen sic esse videret nomen τῷ Θεῷ, cuius rationem vel maxime haberi oporteret, sed quod vix apte cohaerere cum nomine ἀστεῖος videretur: seiungendum illud ab eo, incisi nota, et coniungendum esse cum verbo ἐγεννήθη, censuit [50]. Haec vero summi viri ratio, ob nouitatem suam, et insolentiam; quis enim partes orationis, et membra, vnquam ita disiicere, et dispergere, ausus est? eo minus valere posse videtur, quo certius iudicari debet, formulae γεννηθῆναι τῷ Θεῷ nullo modo posse, neque per Hebraici sermonis naturam, neque per Graecae linguae ingenium, tribui hanc

49. p. 40. Veron.

50. In Notatt. Camerarii in Actus Apostoll. c. 7, 20. p. 246. Voegel. haec leguntur, Καὶ ἦν ἀστεῖος, τῷ Θεῷ· *Dei benignitate, et fauore, nascebatur ille puer, vt esset aspectus illius elegans.*

hanc vim, vt ſit *dei benignitate, et fauore, natum eſſe:* quam tamen ei ſubiici iubebat Camerarius. Quod quum viderent alii, meminiſſentque, Hebraeos conſueſſe poſitiuo gradui adiectiuorum addere nomen לֵאלֹהִים ad gradum ſuperlatiuum exprimendum, quam loquendi eorum conſuetudinem Lucas ſequutus eſſet in reddenda Stephani oratione: verbis ἀστεῖος τῷ θεῷ ſummam venuſtatem oris, atque pulchritudinem, indicari, ſed ita, putarunt, vt cauſſa ſimul, atque fons, tantae illius pulchritudinis, veluti digito, demonſtraretur, hoc eſt, amor, et liberalitas, dei, qui Moſi inde ab ineunte aetate adfuiſſet ſuo numine, eumque dotibus, et animi, et corporis, egregiis exornaſſet. Quae quidem ſententia illecebris ſuis ad ſe traxit, vt alios Noui Teſtamenti interpretes, ita multos quoque Lexicographos, non ſatis cautos illos, et diligentes. Quanto enim ſatius erat, ſententiam Bezae, Grotii, Boiſii, Bocharti [51], aliorumque eruditiſſimorum hominum, probare, qui formula ἀστεῖος τῷ θεῷ ſignificari ſimpliciter docuere puerum *facie maxime amabilem* [52], *forma in primis liberali, eximia venuſtate, praeditum, multo formoſiſſimum.* Nam profecto haec ratio, ob veritatis, atque elegantiae, notas, quibus inſignita conſpicitur, ita retinenda eſt, et amplectenda, vt reliquae interpretationes verborum Stephani omnes repudiari debeant, atque neglegi, ſed omnium minime ferri inepta Hammondi coniectura, qui τῷ θεῷ irrepſiſſe in libros antiquos videri poſſe exiſtimabat, librariorum neglegentia, et incuria,

pro

51. Hieroz. I, 2. 34. p. 342. To. I. Leuſden.

52. Sueton. Octau. 83.

pro τῇ θέᾳ. Etenim quia homines vrbani, hoc eſt, in vrbibus nati, et degentes, praeſtantia formae, vultuſque, et oris, venuſtate, fere vincunt homines ruſticos, hoc eſt, ruri natos, et in agris viuentes: factum eſt, vt vocabulum ἀςεῖος, quo proprie ſignificatur homo *vrbanus*[53], de homine *formoſo*, et venuſto, poneretur. Quem vocabuli ſignificatum, non modo Stephanus in theſauro linguae Graecae nonnullis idoneorum ſcriptorum auctoritatibus confirmauit, ſed etiam Gloſſariorum veterum auctores obſeruarunt. Suidas certe quidem illud verbis εὐπρόσωπος[54], et καλὸς[55], interpretatur, quorum interpretamen-

53. Etymol. M., et ex eo Phavorinus v. ἄςυ· Ἀςεῖος· ὄνομα ἐκ τοῦ ἄςυ· σημαίνει τρία· λέγεται κυρίως ὁ ἐν ἄςει διατρίβων. —. Heſychius: Ἀςείων· τῶν ἐν ἄςει διατριβόντων. Atque eo etiam Stephani Byzantii verba v. ἄςυ ſpectant haec: ἀπὸ δὲ τῆς ἄςεος γενικῆς, ἄςειος· ὅπερ ἀντιδιέςαλται τῷ ἀγροικος. Et Pollux 9, 17. ἀπὸ μὲν τοῦ ἄςεως, inquit, οὐχ ὁ ἀςὸς μόνον, καὶ ἡ ἀςὴ, ἀλλὰ, καὶ ὁ ἀςυκὸς, καὶ ὁ ἀςεῖος. Ammonii igitur praeceptum non omnino verum eſt, qui ἀςεῖον tradit eſſe τὸν πιθανὸν, καὶ χαρίεντα, ἢ καθόλου ἐπιδέξιον ἐν πολιτικῇ ὁμιλίᾳ· ſed ἀςικὸν, τὸν ἐν ἄςει διατρίβοντα.

54. Legitur hoc vocabulum ap. Ariſtoph. Rann. 413. Ponitur pro eo nomen εὔμορφος. Ammonius: Εὔμορφος Εὐειδοῦς διαφέρει. Εὔμορφος μὲν γὰρ ὁ τὴν μορφὴν εὖ ἔχων, οἷον εὐπρόσωπος —: εὐειδὴς δὲ ὁ τὸ εἶδος καλῶς ἔχων, οἷον πᾶν τὸ σῶμα. Eadem praecipit Eranius Philo: Εὔμορφος Εὐειδοῦς διαφέρει. Εὔμορφος μὲν γάρ ἐςιν ὁ εὐπρόσωπος· εὐειδὴς δὲ ὁ τὸ εἶδος καλὸν ἔχων, οἷον ἅπαν τὸ εἶδος· vbi v. Valquenarius p. 166. ſ. Sic apud Herodo. 1, 112. Cyrus infans dicitur παιδίον εὐειδὲς, ſed ab Xen. Cyrop. 1, 2. 1. εἶδος κάλλιςος. Nam in lingua Cretenſium εὐειδὴς valuit idem, quod εὐπρόσωπος. vid. Ariſtot. poëtic. 25.

55. Thomas Magiſter: Εὐειδὴς, ὁ τὸ εἶδος παντὸς τοῦ σώματος κάλλιςα διακείμενος· καλὸς δὲ ὁ τὴν ὄψιν ἀςεῖος.

mentorum illud etiam in Phauorini Lexico annotatum extat; et in Glossariis a Labbaeo collectis leguntur haec, *Scitus:* Terentius in Andria [56], *scitus puer natus est*, κομψὸς, ἀστεῖος, εἰδήμων. *Scitus* autem *puer* est, Donato interprete, puer *elegans*, *pulcher* [57]. Iam vero illo Exodi loco [58], ad quem respexit Stephanus apud Lucam, perhibetur Mosis mater vitam pueri, quem enixa erat, enixissime studuisse a crudelibus, atque nefariis, Aegyptiorum manibus defendere, quod vidisset, כִּי־טוֹב הוּא: sed vocabulum טוֹב, tali quidem in orationis serie, non de bonitate, et praestantia, animi, neque de festiuitate sermonis, et facetiis, verum de corporis venustate, in primisque oris pulchritudine, et gratia, accipiendum esse, quis non intellegit? Viderunt certe hoc Graeci interpretes Veteris Testamenti omnes, quorum, tanquam ducum egregie prouidorum, vestigia recte sequutus est Latinus interpres. Etenim ab Symmacho Moses puer appellatur καλὸς, et ab Aquila ἀγαθός· quod vocabulum etsi ab ipsis scriptoribus Graecis vsurpatur fere [59] de bonitate rerum, praestantiaque interna,

ἀστεῖος. Κάλλιστος τὴν μορφὴν est ap. Athen. 12, 9. p. 534. C.

56. 3, 2. 6.

57. Gloss. vett. Εὐειδὴς, *Pulcher*, *scitus*. *Terent. in Andria*, *Scitus puer natus est*: *decorus*, *formosus*, *speciosus*, *pulcher*, *elegans*.

58. C. 2, 2.

59. Interdum enim ἀγαθὸς etiam a bonis scriptoribus vsurpatum inuenitur de *pulchro*. Sic ap. Theocritum Idyl. 23, 2. τὰν μορφὰν ἀγαθὸς vocatur, qui v. 15. καλὸς dicitur. Plato Parmenid. c. 1. καλὸν δὲ καὶ ἀγαθὸν τὴν ὄψιν. Xen. Cyrop. 4, 5. 19. τοὺς τὰ εἴδη βελτίστους· sed 1, 2. 1. εἶδος κάλλιστος. add. 4, 3. 1. Nos ipsi in lingua patria dicere solemus, *gut aussehen*, et *schoen aussehen*.

terna, atque adeo de animi hominum, et ingenii, virtutibus: tamen in versione Iudaeorum Alexandrinorum, et Aquilae, etiam in libris Noui Testamenti, saepenumero partes vocabuli καλὸς agit, quoniam, quae bona sunt, eadem pulchra plerumque, et venusta, esse solent; adeo, vt pulchritudinem, et venustatem, rerum personarumque, indicet, quia nomen Hebraeum טוֹב vtraque illa potestate praeditum est, ita tamen, vt ei interdum, vitandae ambiguitatis caussa, addita inueniantur nomina מַרְאֶה [60], et רֹאִי [61]. Neque vero aliter intellexit vocabulum ἀστεῖος, quod in Alexandrina versione extat, et a Paulo in epistola ad Hebraeos [62] seruatum est, interpres Latinus, qui Mosen infantem, vtroque illo librorum diuinorum loco, *elegantem*, hoc est, *pulchrum*, vocat. Cuius quidem interpretationis auctor grauius sane, et subtilius, veritatis iudicium probauit, quam illi grammatici, qui illud ipsum nomen de puero *festiuo*, et *faceto*, accepere. Nam in Glossario librorum Noui Testamenti, quod Albertius edidit, glossa ἀστεῖος explicata legitur [63] verbis πολιτικὸς. κεχαρισμένος, ita, vt non dubitemus, quin glossae, quae in Lexico Hesychiano comparent, istae, Ἀστεῖος· ὁ χαρίεις. ὁ εὔχαρις· et, Ἀστεῖον· καλὸν. ἢ πολιτικὸν, ἢ ἐπίχαριν, ἢ κεχαριτωμένον, e libris sacris sumtae sint; et haec quidem, aut e Pauli ad Hebraeos epistola, aut e versione Alexandrina Exodi,

60. Gen. 24, 16. 26, 7. Esth. 2, 2. Dan. 1, 4. Sic Gen. 12, 11. 14. Sara, Abrahami vxor, dicitur, et יָפָה, et יְפַת מַרְאֶה.

61. 1. Sam. 16, 12. Vid. omnino Gataquerus de stylo N. T. c. 13. p. 86. f. Trai. et Steph. Monachius ad Varia SS. p. 624. ff.

62. C. 11, 23.

63. p. 68.

odi, ita tamen, vt pro ἐπίχαριν tum reponatur ἐπίχαρι, quo genus glossematis glossae generi respondeat [64]; illa e loco Lucae, cuius de sensu quaerimus. Etiam Iosephus, et Philo, scriptores Hebraice doctissimi, nomine טוב pulchritudinem, et venustatem, oris significari viderunt: sed quum intellexissent e singulari cura, qua parentes vitae, et saluti, pueri consuluisse dicerentur, eum fuisse forma, et specie, praecipue liberali [65]: putarunt, se illud recte posse interpretari verbis, quae vim superlatiui gradus haberent. Et Iosephus [66] quidem Mosen eleganter nominat παῖδα τῇ μορφῇ θεῖον· sed Philo in commentariis de vita, et rebus, Mosis eo loco, vbi de ortu eius, et natalibus, exponit [67], multo etiam elegantius, γεννηθεὶς οὖν, inquit, ὁ παῖς εὐθὺς ὄψιν ἐνέφηνεν ἀστειοτέραν, ἢ κατ' ἰδιώτην. Atque haec ipsa venustatis vultus excellentia a Luca expressa est verbis ἀστεῖος τῷ θεῷ· quae sane, e consuetudine loquendi Hebraica, nihil significant aliud, quam Graecorum formulae, λίαν ἀστεῖος, ἀστεῖος πάνυ σφόδρα, εὖ μάλ' ἀστεῖος, ἀστεῖος καθ'

64. Haec coniectura confirmatur indicio Λέξεων τῆς Ὀκτατεύχου in biblioth. Coislin. p 494. Nam ibi legitur, Ἀστεῖον· καλὸν, ἐπίχαρι, κεχαριτωμένον, quum in Fabricii biblioth. Gr. 5, 40. p. 62. Vol. 10. perperam scriptum sit ἐπιχαρῆ. Neque enim dubitari vllo modo posse videtur, quin glossa sumta sit ex Ex. 2, 2.

65. Eumen. Panegyr. Constantin. 17, 3. *Non frustra enim doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex vultu hominis, ac decore membrorum, colligi posse, quantus illos caelestis spiritus intrarit habitator.*

66. Archaeol. 2, 5. p. 50. Basil.

67. 1. p. 604. A Paris.: vbi p. 605. C vocatur εὐγενής, καὶ ἀστεῖος ὀφθῆναι.

καθ' ὑπερβολὴν, aliaeque ſimiles. Quoniam enim naturae, et virtutum dei omnium, ſumma intellegitur eſſe praeſtantia: Hebraei, ſi vellent rem aliquam oſtendere ſuo in genere praeclariſſimam eſſe, omnique ex parte perfectam, vocabulo eius adiungere inſtituerunt nomina אֵל, יָהּ, אֱלֹהִים, et יְהֹוָה [68], quae vi adiectiuorum gauderent. Quam quidem formam loquendi Graecos, et Latinos, ita imitatos eſſe, nemo ignorat, vt pro dei nomine poſuerint, indolis linguarum ſuarum inuitatu, adiectiua, etiam formulas, a dei nomine ductas: vt Aenean a Virgilio [69], ob inſignem faciei venuſtatem, dici conſtat *os deo ſimilem*, et Alexandrum, Helenae raptorem, ab Homero [70] θεοειδῆ· quam gloſſam grammatici, et ſcholiaſtae, antiqui eleganter ſane, et ſcienter, interpretati ſunt verbis καλὸς, θεȣ̃ εἶδος ἔχων [71], θεοῖς τὸ εἶδος ὅμοιος, εὐπρεπής [72]· θεοῖς ἐοικὼς τὸ εἶδος, περικαλλής [73]. Sed quum iidem Hebraei, qui lingua vterentur propemodum naturali, et hominum ſtudiis nondum exculta, varios virtutum, proprietatumque, rerum, et perſonarum, gradus, et genera, ſignificare varietate terminationis adiectiuorum, augmenti, incrementique, indicis, non poſſent; ſi vellent ſum-

68. Dau. Kimchius ad Ion. 3, 3. כל דבר שרוצה להגדילו סומך אותו לאל לדרך הגדלה כמו כהררי אל / ארזי אל, שלהבת יה / מאפל יה׃. Vid. Pſ. 36, 7. 80, 11. Cant. 8, 6. Ier. 2, 31. Sic legitur 1. Theſſ. 4, 16. σάλπιγξ θεȣ̃· quae Matth. 24, 31. dicitur σάλπιγξ φωνῆς μεγάλης.

69. Aen. 1, 589.

70. Il. γ', 16.

71. Heſychius v. θεοειδής.

72. Pſeudodidymus ad Il. γ', 16.

73. Euſtathius ad Il. γ', 16. p. 374. Rom. add. Heſiod. Ἔργ. 62. ſ.

summum proprietatis alicuius gradum exprimere: positiuis adiectiuorum non raro subiecisse reperiuntur formulas לֵאלֹהִים, et לַאדֹנָי, quae haberent potestatem aduerbiorum Graecorum λίαν, σφόδρα, aliorumque eiusdem generis. Ninus quidem, Assyriae vrbs, in oraculis Ionae [74] vocatur עִיר־גְּדוֹלָה לֵאלֹהִים: quam auctor quidam incertus, cuius excerpta chronologica praemissa sunt Iohannis Malelae historiae chronologicae, et quem Hodius docuit esse Georgium, Hamartolum cognomine, eleganter, Graecaeque rationi in primis accommodate, nominat [75] πόλιν μεγίστην σφόδρα, sed Alexandrini Iudaei, seruato Hebraismo, πόλιν μεγάλην τῷ θεῷ dixere. Et Salmanassar, Assyriorum rex, qui regnum Israëlitarum euersurus erat, ab Esaia [76] appellatur חָזָק וְאַמִּיץ לַאדֹנָי, hoc est, *maximus*, *et potentissimus*: vt Dauides in Alexandrina versione commentariorum Samuelis [77] dicitur ἀγαθὸς ὁράσει κυρίῳ, id est, *venustate oris excellentissimus*. Etsi enim in libris Hebraicis ipsis legitur tantum טוֹב רֹאִי, vt in versione Latina *pulcher adspectu*, et ab exemplo Complutensi nomen κυρίῳ abest, ita, vt ab aliena manu profectum non temere videri possit: tamen quum hoc ipsum vocabulum extet in reliquis versionis Alexandrinae exemplis, non dubito, quin genuinum iudicari debeat, non quod putem, interpretes in codicibus Hebraeis scriptum inuenisse טוֹב רֹאִי לַאדֹנָי, sed quia arbitror, eos sibi visos esse recte posse, ipsius rei admonitu,

74. C. 3, 3.
75. p. 20. Oxon.
76. C. 28, 2. Vid. Vorstius Philolog. c. 16. p. 388. s. Lips.
77. 1. Sam. 16, 12.

tu, ſuperlatiuo vti pro poſitiuo: quemadmodum videmus Moſen a Luca ἀςεῖον τῷ θεῷ, non ſimpliciter ἀςεῖον, dici. Hanc enim loquutionem ab eo expreſſam eſſe ex Hebraica טוֹב לֵאלֹהִים, non magis certum eſt, quam Paulum in ſecunda ad Corinthios epiſtola, eo loco [78], quo arma, quibus ipſe vtatur aduerſus aduerſarios euangelii, oſtendit eſſe δυνατὰ τῷ θεῷ, hoc eſt, *fortiſſima*, *et potentiſſima*, eandem rationem eſſe ſequutum. Quanquam enim Camerarius τῷ θεῷ dictum putabat pro ἐν, vel σὺν, τῷ θεῷ, vt ſtatuiſſe iam doctores eccleſiae antiquae multi repeniuntur [79]: tamen huic eorum ſententiae vſum loquendi Hebraeorum aduerſari, non difficile erit ita docere, vt dubitari non poſſit. Scilicet litera ל, nominibus perſonarum praefixa, non eſt caſus tertii index, ſed aequalis, atque par, praepoſitioni Graecorum κατὰ reperitur, tum, quum eiuſmodi nomina ſubiecta leguntur nominibus, vel ſubſtantiuis, vel adiectiuis. Κατὰ autem iungitur caſui quarto nominum, pronominumve, perſonarum, et rerum, vel ita, vt declaret auctorem, et dominum, eius rei, cuius vocabulum additum eſt, atque adeo Latine reddi genitiuo nominis perſonae, pronomineue perſonali, vel poſſeſſiuo, poſſit; vt τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον eſt *euangelium Matthaei* [80]; ἡ κατ' αὐτὸν

78. C. 10, 4.

79. Oecumenius ad 2. Corr. 10, 4. p. 550. Veron.: Διὸ καὶ δυνατὰ τῷ θεῷ αὐτὰ καλεῖ. Καὶ γὰρ ἐν τούτῳ τὸ θαυμαστὸν καὶ τὸ δυνατὸν παρὰ θεοῦ ἔχουσιν, ὅτι τοιαῦτα ὄντα, περιγέγονε τῆς οἰκουμένης. Σκόπει δὲ αὐτοῦ τὸ ἄτυφον· οὐκ εἶπεν, ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ δυνατοὶ, ἀλλὰ τὰ ὅπλα ἡμῶν διὰ τοῦ θεοῦ. Καὶ γὰρ κἀκείνοις τὴν δύναμιν οὐχ ἡμεῖς, ἀλλ' ὁ θεὸς ἔδωκε, φησί.

80. Vid. Heumanus ad titu-

αὐτὸν ἀρετὴ, apud Aelianum in libris variae historiae [81], *virtus eius*, et ἡ καθ' ὑμᾶς πίστις ἐν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ, apud Paulum in epistola ad Ephesios [82], *fiducia vestra in domino Iesu collocata*, quomodo Castalio vertit: vel sic, vt similitudinem indicet, atque adeo explanari Latine debeat, substantiuis quidem, pronominibusue, praecedentibus, adiectiuo *similis*, vel *aequalis*, sed adiectiuis praeeuntibus, aduerbiis similitudinis, certe verbis eiusmodi, quae potestate aduerbiis paria poni soleant; vt κατὰ τούτους ῥήτωρ, apud Platonem in Apologia Socratis [83], est *orator istorum similis*; οἱ κατ' ἐμὲ apud Xenophontem [84] sunt *aequales mei*, οἱ ἐμοὶ ἡλικιῶται· sed λῖνον κατὰ χιόνα λευκὸν, apud Eustathium in fabula de Ismeniae, et Ismenes, amoribus [85], *linteum candidum ad modum niuis*, *candore niui simile*. Ex hac igitur ratione מִזְמוֹר לְדָוִד, verbi caussa, est ὁ κατὰ Δαυὶδ ψαλμὸς, *hymnus Dauidis* [86], et טוֹב לֵאלֹהִים κατὰ θεὸν ἀστεῖος, *pulchritudine deo similis*, *egregie pulcher*, *multo formosissimus*; ita, vt Iudaei Alexandrini, eorumque exemplo scriptores Noui Testamenti, his in formulis datiuo nominum tribuisse potestatem accusatiui, praepositionem κατὰ comitem habentis, intellegantur, qui Latine, vel genitiuis eorum, vel aduerbiis, reddi debe-

tulum euangelii Marci pag. 532. f. Sic ap. Athen. 1, 10. p. 12. F, ὁ Ζηνόδοτος ἐν τῇ κατ' αὐτὸν ἐκδόσει γράφει, est *Zenodotus in sua editione scribit*. Sed Ruth. 2, 3. חֶלְקַת הַשָּׂדֶה לְבֹעַז est *ager Boasi*, ager, cuius dominus erat Boasus.

81. 2, 42.

82. C. 1, 15.

83. C. 1.: vbi vid. n. 12.

84. Cyrop. 1, 4. 14. coll. f. 13.

85. 1. p. 25. vid. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 331.

86. Vid. Drusius Annotatt. in N. T. ad titulum euangelii *Matthaei* pag. 1. et Quaestt. Hebrr. 1, 23. p. 20.

deberet. Itaque ſatis exploratum eſſe arbitramur, primo datiuum τῷ θεῷ, locis ſupra propoſitis, gaudere vi formulae κατὰ θεὸν, quae par ſit aduerbiis θείως, et δαιμονίως, hoc eſt, σφόδρα, λίαν, et ſimilibus, neque adeo vllo modo pendere a praepoſitionibus ἐν, et σύν· deinde formulis μεγάλη τῷ θεῷ, δυνατὰ τῷ θεῷ, et ἀστεῖος τῷ θεῷ, ſimpliciter ſuperlatiuum cum ſuis comitibus exprimi, ita, vt ii Lexicographi, qui maiorem illis poteſtatem ſubiectam eſſe doceant, quin magno capti errore teneantur, dubitari a nemine vllo modo poſſit. Sed eiuſdem erroris temeritate liberandi videntur, et leuandi, lectores librorum Noui Teſtamenti illi, qui eorundem hominum praeceptis, et vocibus, decepti putant, formulam ἀπολύειν τινὰ ἐν εἰρήνῃ, quae in commentariis Lucae legitur eo loco [87], quo refertur oratio, qua Simeon vſus eſt, in templo Hieroſolymitano, tum, quum Ieſum puerum in vlnas ſublatum teneret, conuenire in eum, qui mori aliquem iubeat *placide* [88], feliciter, et beate. Neque enim tantum res ipſa, ſed multo etiam magis vſus loquendi Hebraeorum, docere quemque, vt opinor, poteſt, formulam illam ſimpliciter ſignificare *iubere*, *ſinere*, aliquem *mori*, ſ. *defungi*, *morte ſua* [89]. Etenim, qui morte ſua

87. C. 2, 29.

88. Seneca ep. 30. p. 113. To. 2. dixit *mollius mori*: ep. 70. p. 260. *mori ſine dolore*: ep. 77. p. 303. *molliſſime excedere*: Plutarchus Solon. p. 94. A To. I. τεθνηκέναι ἀναλγῆ καὶ ἄλυπον θάνατον. Iuuencus hiſt. euang. I, 202. ſſ. vocem Simeonis verſiculis complexus eſt his, *Nunc*, *nunc*, *me famulum dominus*, *nunc liberet arctis Corporis e vinclis*, *finemque imponere verbis Dignetur cum pace ſuis*.

89. Suet. Caeſ. 89. *Percuſſorum autem fere*, *neque trien-*

ſua moritur, de eo lingua Hebraica vſurpaſſe reperitur formulam בוא אל־אבותיו בשלום 90: ſed qui occiditur, neque adeo morte defungitur ſua, eum caedis auctor, et princeps, dicitur ab Hebraeis לא הורד בשלום שאול 91. Iam quum verbum ἀπολύειν, quo Lucas verbum Hebraicum הולך reddidiſſe videtur 92, a formula Hebraeorum הורד שאול nihil diſtet, ita, vt nec formulae ἀπολύειν ἐν εἰρήνῃ alia ſubiecta eſſe vis poſſit, quam formulae הורד בשלום שאול: quis negare ſuſtineat, Simeonem verbis, νῦν ἀπολύεις τὸν δȣλόν σȣ, δέσποτα, ἐν εἰρήνῃ, precatum eſſe a deo aliud

Q 3 quid-

triennio quiſquam amplius ſuperuixit, neque ſua morte defunctus eſt. Sen. ep. 69. *Bella res eſt, mori ſua morte:* Sed *mors ſua* eſt αὐτόματος θάνατος, quaſi naturalis, et fatalis, qui nulla extrinſecus vi coactus venit. vid. Gellius 13, 1.

90. Vid. Gen. 15, 15. Quo tamen loco ſi quis τὸ בשלום malit cum Abeneſra, et Iarchio, ita accipere, vt Abrahamus dicatur non viſurus eſſe moleſtias, atque incommoda, quae poſteris eius in Aegypto ſubeunda, et perferenda, erant: non magnopere repugnem.

91. Vid. 1. Regg. 2, 6.: ad quem locum Dau. Kimchius vim formulae Hebraicae ita explicauit: שלא תניחנו למות מיתת עצמו אלא תהרג כמו שהרג:

92. Certe οἱ ὁ Gen. 15, 2. verba Hebraica ואנכי הולך ערירי vertunt ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι ἄτεκνος· h. e. ἀπέρχομαι Aqu. et πορεύομαι Sym. Vnde intell. Matth. 26, 24. Marc. 14, 21. Luc. 22, 22. Nam הלך etiam *abire* ſignificat. vid. 1. Sam. 14, 3. Ruth. 1, 21. Itaque Simeon verbis, νῦν ἀπολύεις τὸν δȣλόν σȣ ἐν εἰρήνῃ, idem declaraſſe putandus eſt, quod Iacobus Gen. 46, 30. verbis אמותה הפעם, h. e. ἀποθανȣ̃μαι ἀπὸ τȣ̃ νῦν, vt οἱ ὁ verterunt: Vulg. habet, *iam laetus moriar:* et Elias verbis רב עתה יהוה קח נפשי, h. e. ἱκανȣ́σθω νῦν, λάβε δὴ τὴν ψυχὴν ἀπ' ἐμȣ̃, κύριε, vt οἱ ὁ interpretati ſunt. Conf. Gataquerus ad Antonin. 11, 3. p. 319. a. Trai.

quidquam, nisi hoc, vt ipsum morte defungi iam sua iuberet? Quod quidem vt impetraret a deo eo certius: adiuuare precum suarum pietatem conatus est verbis κατὰ τὸ ῥῆμά σȣ· quibus censendus est homo admonuisse deum promissorum, quae ei Lucas ostendit [93] facta esse paulo ante, fore, vt non moreretur morte sua prius, quam oculis vsurpasset seruatorem hominum suis. Itaque non videmus, quomodo e verbis ἐν εἰρήνῃ, tali quidem in orationis serie, haec, non dicam elici, sed exprimi, vis possit, vt valere putentur *placide*, *feliciter*, et *beate*. Et quanquam formula ἀνοίγειν τὸ ϛόμα αὐτȣ̃ verbis dicendi ita praemitti solet in libris Noui Testamenti, vt nihil illis ponderis addat, sicut supra [94] demonstrauimus: tamen in illo hymni Asaphi loco [95], quem laudauit Matthaeus [96], vt doceret, Messian ipsum cecinisse [97], se in docendo vsurum esse similitudinum inuolucris, simpliciter posita comparet, ita, vt idem declaret, quod verba λαλεῖν, et διδάσκειν. Etenim quum ille carminis versiculus duabus partibus, et membris, constet his, ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ ϛόμα μȣ, et ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμȣ· quum leges huius carminum generis ostendant, vtroque hemistichio vnam, eandemque, sententiam conti-

93. C. 2, 26.

94. f. 2.

95. Pf. 78, 2.

96. C. 13, 35.

97. Hieronymus ad Pf. 78, 2. p. 5?, b Opp. To. 8. Baf. *Dicat mihi aliquis, Vim facis scripturae Quum enim titulus habet*, Intellectus Asaph: *tu mihi ex persona Christi interpretaris hoc dictum. Ex persona Christi interpretemur hoc dictum, si Christiani sumus. Sumus autem Christiani, qui Christi baptismum accepimus, et non solum confitemur, sed et profitemur, quia Christiani sumus. Debemus ergo credere Euangelistis.*

contineri: ſane neceſſe eſt, vt poſteriore hemiſtichio idem, quod priore, declarari cenſeamus. Iam vero verbis Aſaphi, אַבִּיעָה חִידוֹת מִנִּי־קֶדֶם, quae Matthaeus vertit ἐρεύξομαι κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, dubitari non poteſt, quin ſubiecta ſit haec ſententia, *vtar ſimilitudinibus nouis, et inſolentibus; vtar in docendo ſimilitudinibus nunquam antea auditis; tradam doctrinam diuinam, integumentis nouarum, inuſitatarumque, ſimilitudinum inuolutam.* Etenim חִידוֹת מִנִּי־קֶדֶם ſunt *parabolae, quae inde a mundo condito a nemine ſunt vſurpatae, neque a quoquam auditae*, quas Aquila αἰνίγματα ἐξ ἀρχῆθεν, Symmachus προβλήματα ἀρχαῖα, Alexandrini Iudaei προβλήματα ἀπ' ἀρχῆς, vocant, ſed Matthaeus paulo dilucidius, et elegantius, dixit κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, hoc eſt, ἐκ τοῦ αἰῶνος, vt demonſtraret, eas inde a primis rerum primordiis incognitas fuiſſe hominibus. Verbum autem הִבִּיעַ, quod proprie de fontibus aquas *ſcaturientibus, et ebullientibus*, vſurpatur, eleganter tranſlatum legitur ad eos, qui *verba faciunt, loquuntur, dicunt, canunt, docent*, ita, vt אַבִּיעָה eſſe intellegatur *vtar in docendo.* Quod quum viderent interpretes Alexandrini: intellegenter ſane vſi ſunt in verſione ſua verbo φθέγξομαι· quod eſt adeo quaſi interpretamentum verborum ὀμβρήσω, ἀναβλύσω, et ἐρεύξομαι, quorum hoc quidem Matthaeus [98], illud

98. Alexandrini interpretes idem verbum הִבִּיעַ verterunt Pſ. 19, 3. verbo ſimplici ἐρεύγεσθαι, et Pſ. 119, 171. 145, 7. verbo compoſito ἐξερεύγεσθαι. Vtrumque valet *dicere, canere, praedicare.* Nam etiam verbum הִבִּיעַ refertur locis illis ad verba חַוֵּה, עֲנוֹת, et רַנֵּן. Itaque non aſſentior Munthio, qui in obſeruatt. philo-

lud Symmachus, iſtud Aquila, propterea legiſſe videntur, vt primam, et propriam, verbi Hebraici notionem exprimerent. Sic vero intellegi ab omnibus poſſe ſperamus, verba alterius hemiſtichii, אֶפְתְּחָה בְמָשָׁל פִּי, quae Matthaeus cum Alexandrinis Iudaeis interpretatus eſt verbis ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ ϛόμα μȣ, idem declarare, quod verba λαλήσω ἐν παραβολαῖς [99], et διδάξω ἐν παραβολαῖς [100], atque adeo formulam ἀνοίγειν τὸ ϛόμα αὐτȣ̃ poteſtate parem eſſe verbis λαλεῖν, et διδάσκειν. Nemo igitur facile reperietur, qui non in vitiis Lexicorum Noui Teſtamenti multorum ponendum arbitretur hoc, quod formula ἀνοίγειν τὸ ϛόμα αὐτȣ̃, illo Matthaei loco, praecipiant ſignificari *eximium quid, et ponderoſum, et perutile, loqui, ac proferre.* Sed aeque turpis eſt, et temerarius, error ille, in quem intemperato quodam ſanctitatis ſtudio inducti Lexicographi lectoribus librorum Noui Teſtamenti perſuadere conantur, a Marco [101], et Paulo [102], coniuncta eſſe nomina Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, vt ſingu-

lologg. in N. T. ex Diodoro Siculo collectis ad Matth. d. l. verbo ἐρεύγεσθαι hanc tribui vim iubet, vt ſit *copioſe l. pleno ore proferre, ediſſertare.* Heſychius, et ex eo Phauorinus: Ἐῤῥέξομαι· Φθέγξομαι· ſed pro ἐῤῥέξομαι vix dubitari poſſe videtur, quin reſcribi debeat ἐρεύξομαι, quae gloſſa ſumta ſit e loco Matthaei laudato. Proprie verbum ἐρεύγεσθαι de fontibus legitur ap. Pindarum Pythth. 1, 40.

99. Vid. Matth. 13, 3. 10. 13. 34. Apud Iohannem c. 16, 25. eſt ἐν παροιμίαις λαλήσω. Nam παροιμία in N. T. idem eſt, quod παραβολή. vid. Vorſtius Philol. c. 4. p. 148. ſ. et Adagg. N. T. c. 5. p. 789.

100. Vid. Marc. 4, 2.

101. C. 14, 36.

102. Romm. 8, 15. Gall. 4, 6.

singularis magnitudo amoris Christi, piorumque hominum, erga deum exprimeretur. Lectio enim sacrorum librorum diligens eos docere poterat facile, scriptores diuinos solere verbis peregrinis adiungere interpretamenta, non solum ita, vt interponant, et addant, formulas ὅ ἐστιν[103], ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον[104], ὃ ἑρμηνεύεται[105], ὃ λέγεται ἑρμηνευόμενον, et ὃ λέγεται[106], οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα[107], ὁ λεγόμενος[108], τουτέστι[109]: sed etiam simpliciter, atque nude, nullis interuenientibus aliis verbis, et formulis. In Matthaei quidem[110], et Lucae[111], commentariis legitur, ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ, ἄρχοντι τῶν δαιμονίων· Marcus[112] scripsit υἱὸς Τιμαίου, Βαρτίμαιος· et Lucas in Apostolorum historia nomini Φαραὼ adiecit alicubi[113] verba βασιλεὺς Αἰγύπτου. Sed nemo vnquam inuentus est tam stultus, et temerarius, qui negaret, verba illa Graeca peregrinis verbis addita esse ab auctoribus diuinorum librorum alio consilio, quam vt ostenderent, quae vis, et sententia, esset vocabulis barbaris subiecta. Qua quidem in re illi reperiuntur duces sequuti esse Alexandrinos Iudaeos. Hi enim in Exodo[114] nomini regis Aegyptiorum barbaro comites adiunxere, loco non vno, verba

 βασι-

103. Marc. 3, 17. 7, 11.
104. Matth. 1, 23. Marc. 5, 41. 15, 22. 34. Ioh. 1, 42. Act. 4, 36.
105. Ioh. 1, 43. 9, 7.
106. Ioh. 1, 39. 20, 16.
107. Act. 13, 8.
108. Ioh. 4, 25. 20, 24.
109. Matth. 27, 46. Act. 1, 19.
110. C. 12, 24.
111. C. 11, 15.
112. C. 10, 46. Sic c. 9, 43. εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ ἄσβεστον.
113. C. 7, 10. Iosephus Archaeol. 8, 2. p. 240. Basil. ὁ Φαραὼν κατ' Αἰγυπτίους βασιλέα σημαίνει. Vid. Prolus. 14, 5.
114. C. 3, 10. s.

βασιλεὺς Αἰγύπτȣ· et verbo Hebraico Ἀβενέζερ, in Samuelis commentariis [115], addita extant, interpretationis caussa, verba Graeca λίθος τȣ̃ βοηθȣ̃, quae adeo Latinus interpres sola reddidit [116], neglecto vocabulo peregrino. Nam verba ὃ σημαίνει, quae in exemplo Aldino, et Complutensi, interiecta leguntur, profecta existimari debent ab iis, qui admonere lectores non satis eruditos vellent, verba illa Graeca esse nominis peregrini interpretamenta. Quis igitur erit adeo caecus cum interprete Syro [117], et aliis, qui non videat, nomini Syriaco Ἀββᾶ a Marco, et Paulo, adiunctum esse Graecum ὁ πατὴρ hanc tantum ob caussam, vt vim verbi barbari explicarent [118]? Etsi enim pro nominatiuo ὁ πατὴρ ponere, e Graeca ratione, debuissent vocatiuum πάτερ, vt Lucas [119], vel etiam πάτερ μȣ, vt Matthaeus [120]: tamen maluerunt, vt alibi [121], ita illis quoque in locis, relicta consuetudine Graeca, orientalem sequi, qua scirent primum, quintumque, nominum casum terminari eodem modo, omninoque similes esse inter se. Ex quo etiam

115. 1. Sam. 7, 12. Sic Gen. 30, 11. in reliquiis Symmachi est, ἦλθε Γὰδ, πειρατήριον.

116. Vertit, *lapis adiutorii*.

117. Is Marc. 14, 36. habet ܐܒܐ ܐܒܘܢ: et Romm. 8, 15. Gall. 4, 6. ܐܒܐ ܐܒܘܢ.

118. Phauorinus, nesciebam vnde: Ἀββᾶ· ὁ πατὴρ, παρ᾽ Ἑβραίοις. Euthymius Zigabenus Caten. ad Matth. 26, 39. apud Matthaeum Lectt. Mosquenss. p. 33. Vol. 1. Τὸ μὲν ȣ̃ν ἀββὰ Ἑβραϊκὴ λέξις ἐστὶ, σημαῖνον τὸ, ὁ πατήρ. Διὸ καὶ ἡ ἑρμηνεία τȣτȣ προσετέθη [Marc. 14, 36.].

119. C. 22, 42.

120. C. 26, 39.

121. Matth. 11, 26. Ναὶ, ὁ πατήρ· c. 20, 30. κύριε, υἱὸς Δαβίδ· sed c. 9, 27. υἱὲ Δαβίδ.

etiam iudicari sponte ab omnibus poterit, quid tribuendum sit Dan. Heinsii [122], et Hammondi [123], sententiae, qui ὁ πατὴρ rescribendum, contra vsum loquendi Euangelistarum, Apostolorumque, censebant. Tantum obsunt minutae scilicet, et leues, grammaticorum obseruatiunculae neglectae, ac contemtae!

IIII. Sed ex iis, quae hactenus de potestate quarundam dicendi formularum Noui Testamenti disseruimus, satis cognosci, atque perspici, posse speramus leuitatem, et temeritatem, multorum Lexicographorum magnam, et inutilem, qua ablati studia tironum, aliorumque Noui Testamenti lectorum, ita impediant, vt eos iunctis quoque verbis iusto maiorem subiicere vim iubeant. Quae quidem impedimenta, et obstacula, quum declinari facile, et vero etiam tolli, posse appareat accuratae linguarum orientalium, et in his Hebraicae in primis, et Syriacae, cognitionis ope: quis non adduci se, huius tantae vtilitatis cogitatione, patiatur, vt copias literarum Hebraicarum, Syriacarumque, multas, et firmas, contrahere omni studio, et contentione, nitatur?

V. Sed de harum ipsarum literarum salute non minus, quam de reliquarum veterum linguarum, omniumque paene disciplinarum liberalium, studiis, quum nullus facile alius scholarum minorum magister superioris saeculi praeclarius, meliusque, meritus fuerit, quam Christophorus ille Cellarius; quum diligens, et accurata, viarum consideratio, quibus summi homines peruenerint ad laudem grauis, copiosaeque, doctrinae solidam, immortalemque meritorum

122. ad Marc. 14, 36. 123. ad Romm. 8, 15.

torum in literas, earumque studiosos, famam, multo certius, et efficacius, docere ingenuos adulescentes possit, quo dirigere cursum industriae, et diligentiae, quomodo eum, et instituere prudenter, et feliciter conficere, debeant, quam vel creberrima contemplatio subtilissimorum praeceptorum de ratione literas recte, et discendi, et docendi, ab hominibus excogitatorum, expositorumque, eiusmodi, qui sint, fuerintque, ab vsu huius rerum generis remotissimi: iussimus quinque disciplinae nostrae alumnos, optimae spei adulescentes, qui ante discessum e schola Thomana in academiam Lipsiensem suum, gestirent, proborum discipulorum exemplo, facultatis suae Latine dicendi documenta ita dare patronis amplissimis, et curatoribus sapientissimis, et reliquis euergetis, fautoribusque, grauissimis, scholae, vt etiam gratum, memoremque beneficiorum, animum declararent, orationibus persequi *laudes, et virtutes*, *Cellarii*, dignissimas sane, quas imitando exprimant, vt omnino omnes bonarum literarum studiosi, ita maxime ii, qui fieri velint magistri scholarum Latinarum, et Graecarum, idonei. Nomina eorum subiecimus: AENOTHEVS IMMANVEL PETSCHIVS, *Geiera Hermundurus*, qui annos duos in numero auditorum classicorum exegit: IOH. GVIL. BECQVIVS, *Lipsiensis*, qui tres annos rectori scholae ita operam dedit, vt confidere posse videremur, eum vestigia fratris natu maioris acerrime esse persequuturum: IOH. CHRISTI. VICTOR KINDERVATERVS, *Neoheilinga Thuringus*, et CHRISTI. DAV. BRAEVNLICHIVS, *Vida Nariscus*, qui annos quatuor numeros

meros discipulorum classicorum sic auxere, vt, et modestiae studii, et literarum cupiditatis, laudem a magistris tulerint: GABRIEL FRIDER. KVHNELIVS, *Lengefelda Misnicus*, qui annos quinque in disciplina rectoris ita transegit, vt tandem esset omnium discipulorum princeps. Horum igitur iuuenum doctrinae liberalis, virtutisque, cupiditas, et studium, sane non mediocre nos haud dubitare sinunt, quin oratiunculae eorum nacturae sint multos, et auditores, et fautores; praesertim quum sperare posse videamur, neminem facile nec in nostra vrbe reperiri, qui non partem doctrinae suae aliquam, certe initia eius, debeat praeceptis Cellarii, quique adeo non aueat manibus magistri communis hoc honoris habere, vt praecones virtutis, doctrinaeque, eius libenter, aequoque animo, audiat. Quam quidem fauoris, atque studii, significationem patroni, et curatores, et amici, scholae Thomanae confidere possunt fore etiam nostrae fidei, et diligentiae, in erudienda iuuentute, et incitamentum acerrimum, et amplissimum praemium. Scripsimus in Schola Thomana a. d. XV. Kal. Iunias A. C CIↃIↃCCLXXVIII

PROLV-

PROLVSIO DECIMA

DE NOTIONIBVS IVSTO ANGVSTIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. VOCABVLIS DEMINVTIVIS ET COMPREHENSIVIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Inconſtantia, et leuitas, vt omnino hominis docti, et ſapientis, perſona, et virtute, indigna rectiſſime ponitur a cunctis, ita maxime a nomine, et profeſſione, grammatici, atque interpretis librorum veterum, alieniſſima, omnium opinione, ſummo iure ducitur. Etenim quum vitium iſtud fere, vel ex inſcitia, vel e neglegentia, tanquam e fonte, reperiatur manare; quum in grammatico ſumma doctrina, et accuratiſſima diligentia, ita ſitae eſſe debeant, vt ſine his virtutibus nemo, neque ſuſcipere partes interpretis linguarum veterum, neque agere, vllo modo poſſit: perſonae eius, et praeſtantiae, nihil magis conſentaneum eſſe, quam grauitatem, et conſtantiam, ſed nihil repugnantius inueniri, quam inconſtantiam, et leuitatem, quis non intellegit? Quis vero non valde miretur, interpretes librorum diuinorum pleroſque, qui huius temeritatis

tis reprehensionem, et notam, fugere, ob summam illorum voluminum sanctitatem, et excellentiam, omnium maxime, atque acerrime, debebant, tam parum sibi semper ab istius vitii turpitudine cauisse, vt studio eius etiam superare fere omnes omnium aliorum librorum enarratores voluisse viderentur? Eos certe quidem, qui verba, et formulas, librorum Noui Testamenti Graecas explicare peculiaribus libris instituerunt, magno, et singulorum, et iunctorum, verborum numero ampliorem iusto, et latiorem, notionem subiicere, repugnante vsu loquendi scriptorum, et humanorum, et diuinorum, conatos esse constat: quam eorum inconsideratam temeritatem satis a nobis, et demonstratam esse speramus, et confutatam, superiore disputatione. Iam quis sibi persuadeat, hos homines, quos omnibus modis id egisse cognouerit, vt amplificarent, dilatarentque, vim, atque potestatem, multorum verborum, inuita consuetudine, et Graeca, et Hebraica, potuisse sibi tam parum constare, vt verbis non paucis, et simplicibus, et iunctis, demere auderent, et detrahere, eas notionum partes, quas iis constans scriptorum omnium consensus, atque auctoritas, addixisset? Et tamen tantus eiusmodi, et verborum, et formularum, numerus in omnibus propemodum Noui Testamenti Lexicis extat, vt, si omnia huius vitiorum generis exempla conquirere, et proponere, velimus, orationem vix exitum habituram esse videamus. Sed quum vitia Lexicorum Noui Testamenti ita persequi instituerimus, vt, non de omnibus cuiusque eorum generibus, verum de nonnullis tantum, admonendi caussa, quaereremus, nec vt omnia

omnia horum generum exempla afferremus, ſed vt quibuſdam tantum eorum fidem iudicii noſtri faceremus: hanc inſtituti rationem etiam in notando hoc vitio, quod poſitum eſſe diximus in minuenda, et contrahenda, poteſtate multorum verborum, et formularum, ita tenebimus, vt ordiamur a verbis ſingulis, et ab his ad iuncta proficiſcamur.

II. Nomina enim illa, quae a grammaticis deminutiua appellantur, etſi etiam a Graecis, et inuenta eſſe, et vſurpata maxime, apparet propterea, vt paruitatem, breuitatemque, perſonarum, et rerum, ſignificarent: tamen paulatim, vt fit, ab iis ita poni coepta reperiuntur, vt, non ſolum eſſent, nunc amoris, et blanditiarum, et adulationis, nunc illuſionis, et extenuationis, et contemtus, indices, ſed etiam ſimpliciter res ipſas, et perſonas, denotarent, atque adeo idem valerent, quod abſoluta nomina. Θηρίον quidem, vt hoc vtar, nemo ignorat legi in libris omnium ſcriptorum de quouis *ferarum*, etiam *vaſtarum*, et *immanium*, genere [1]: φορτίον omnis generis *merces*, atque onera nauibus impoſita, vt χρυσίον, et ἀργύριον, omne genus *numorum* argenteorum, et aureorum, ἀγγεῖον *vas* omnis modi, et menſurae, declarat: et Ariſtophanes in Pluto [2] nomina προβάτια, et αἶγες, ita coniunxit, vt vel ex altero nomine intellegi poſſet, deminutiuum vocabulum προβάτια, etiam Thoma Magiſtro auctore [3], ab nomine abſoluto πρό-

1. Vid. Xen. Cyrop. I, 4. 7.
2. v. 293. ſ,
3. v. πρόβατον· Οὐ μόνον πρόβατον, ἀλλὰ καὶ προβάτιον, Ἀττικοί. Ἀριστοφάνης ἐν Πλούτῳ [v. 923.] προβατίου βίον λέγεις· καὶ ἐν

πρόβατα nihil quidquam diſcrepare. Qua ipſa in fabula [4] quum nomen χύτρα interiectum nominibus deminutiuis λοπάδιον, et πινακίσκοι, extet, quis illa verbis abſolutis poteſtate paria eſſe neget? Haec vero de huius nominum generis ſignificatione ſententia, non modo grammaticorum, aliorumque ſcriptorum recentiorum, auctoritate adiuuatur, qui abſoluta nomina deminutiuis, vel explicaſſe [5], vel commutaſſe [6], reperiun-

ἐν τῷ αὐτῷ δράματι [v. 293.]· προβατίων βληχώντων· καὶ πάλιν ἐν τῷ αὐτῷ [v. 299.]· ἑπόμενον τοῖς προβατίοις. Sic enim conſtituendus locus grammatici, auctoritate cod. Burman., et regii Pariſ. vtriuſque, etiam Phauorini librorum, videtur. Atque hoc eius indicio apparere arbitror, altero illo Ariſtophanis loco, vbi nunc quidem editum eſt βληχώμενοί τε προβατίων, legi debere βληχωμένων τε προβατίων. Quam quidem emendationem, non tantum metri ratio admittit, ſed etiam concinnitatis leges requirunt. Nam vt nomen μέλη cum participio ἐπαναβοῶντες cohaeret, ita certe ipſa προβάτια neceſſe eſt βληχώμενα dicantur, quum etiam αἶγες nominentur κιναβρῶντες, quo vtriuſque membri exiſtat ſimilis aequalitas. Nam lectio exempli Aldini, κιναβρῶντα, μέλη ὤν, nobis ita nata videbatur. Librarii quidam, quos ſequens nomen μέλη decepiſſet, pro κιναβρώντων ſcripſerant κιναβρῶντα. Grammatici vero, qui in aliis libris ſcriptum reperiſſent κιναβρώντων, ſuper literam α poſuerunt ſyllabam ων. Librarius igitur, qui deſcripſit codicem, e quo exemplum Aldinum ductum eſt, quum reddere vtramque ſcripturam, diligentium librariorum exemplo, voluiſſet, ſed, ſcripto verbo κιναβρῶντα, oblitus eſſet ei annectere ſyllabam ων, hanc adiungere nomini μέλη maluit potius, quam omittere. vid. ad Aeſchin. Socr. 3, 13. 3. et ad Palaephat. fab. 16, 3.

4. v. 813. ſ.

5. Heſychius: Φόρτος· Φορτίον.

6. Xen. Cyrop. 1, 2. 11. de venationibus, quibus ephebi apud Perſas exercebantur, loquens, ἣν δέ τι δέῃ, inquit,

periuntur, ſed ipſorum adeo Graecitatis auctorum vſu loquendi ita confirmatur, vt labefactari nullo modo poſſe videatur. Hi enim vnam eandemque rem, vt alio iam huius diſputationis loco [7] oſtendimus, nunc deminutiuo vocabulo expreſſiſſe, nunc nomine primitiuo eiuſdem, vel generis, vel certe poteſtatis, ſignificaſſe, leguntur. Ariſtophanes quidem in Pluto [8] *caricas*, quas vxor Chremyli cum aliis bellariis effundere in caput Pluti, quem lumina oculorum recepiſſe ab Carione, ſeruo, cognouiſſet, ante fores aedium geſtiebat, eodem loco, et ἰσχάδας appellat, et ἰσχάδια· quod vtrumque vocabulum Doruillianus ſcholiaſtes nomine σῦκα interpretatus eſt. Qua ex interpretatione, quamuis parum accurata, tamen doctrina auctoris ſatis elucet; quippe qui recte viderit, inter deminutiuum nomen, et abſolutum, nihil quidquam intereſſe, neque vnum ab altero vllo modo differre. Ab Xenophonte autem in Cyropaedia vno eodemque loco [9] *lances*, et *patinae*, vaſa eſcaria, in quibus cibi menſae apponuntur, non tantum παροψίδες dicuntur, ſed etiam λεκάνια· et Euſtathius [10] nomina ὅρκιον, et ἴχνιον, in Homeri carminibus deminutiua eſſe, qua vim puta, rectiſſime negat. Atque hanc ipſam rationem in vſur-

quit, θηρὸς ἕνεκα ἐπικαταμεῖναι· ſed Zonaras Chron. 1. p. 105. Volf. To. 1., eandem rem, ex illo ipſo Xenophontis loco, referens, ſcripſit, εἰ μὴ ἐδέησεν ἢ θηρὸς ἕνεκα ἐπιμεῖναι. Sic ibid. 1, 4. 7. pro θηρίων cod. Altorp. habet in ordine θηρῶν, ſed in marg. θηρίων.

7. Proluſ. 1, 5.

8. v. 798. 801. add. v. 812.

9. 1, 3. 4.

10. ad Il. β′ p. 233. Rom. Οὐχ ὑποκοριστικὸν δὲ παρ' Ὁμήρῳ οὐδὲ τὸ ὅρκιον, καθὰ οὐδὲ τὸ ἴχνιον. add. idem ad Odyſ. κ′ p. 1603.

vſurpando hoc vocabulorum genere ipſi librorum Noui Teſtamenti auctores ſequuti reperiuntur. *Filia* enim mulierculae illius barbarae, cui Ieſus amiſſam valetudinem reſtituiſſe legitur, a Marco, non ſolum θυγάτριον [11], ſed etiam θυγάτηρ [12], vt a Matthaeo [13], nominatur: *piſces*, quorum fruſtis optimus hominum ſeruator ſedauit famem ingentis illius Iudaeorum multitudinis, quae ipſum, ſiti doctrinae eius ardens, et nouitatis portentorum admiratione impulſa, trans lacum, quem plures, auctore Plinio [14], Geneſaram vocabant, perſequuta erat, a Iohanne [15] ὀψάρια, ſed ab Euangeliſtis reliquis [16] ἰχθύες, dicuntur: et Matthaeus homines *impios*, et ſceleratos, quos filius dei aliquando, iudex vitae, et factorum noſtrorum, daturus eſt ad aeterna ſupplicia, cum ἐρίφους, tum ἐρίφια, appellat [17], ſed *pios*, ſanctoſque, homines, quos liquida, et propria, gaudia manent, πρόβατα. Cuius quidem rationis, conſuetudiniſque loquendi, ſcriptorum diuinorum, cuius fontem apparet eſſe ſermonem Hebraeorum, quem formae deminutiuae vocabulis caruiſſe nouimus, diuturna, atque diligenti, obſeruatione factum eſſe apparet, vt interpretes ſacrorum librorum antiqui deminutiua nomina abſolutis, abſoluta vocabula deminutiuis, explicarent: quae interpretamenta, vel in marginibus codicum poſita, vel inter verſus interiecta, inde multis in libris, inepta librariorum ſedulitate, in ipſa orationis texta, ſublatis

11. C. 7, 25.
12. C. 7, 26. 29.
13. C. 15, 22. 28.
14. H. N. 5, 15.
15. C. 6, 9. 11.
16. Matth. 14, 17. 19. Marc. 6, 39. 41. 43. Luc. 9, 13. 16.
17. C. 25, 32. f.

tis verbis genuinis, illata esse, profecto eo minus mirabile videri cuiquam potest, quo plura huius leuitatis istorum hominum exempla etiam in barbarorum scriptorum libris cerni constat. *Pisces* enim, quos a Iohanne ὀψάρια appellari significauimus, Nonnus, euangelii eius paraphrastes, et νέποδας eleganter nominat [18], et cum Chrysostomo [19] ἰχθύας: sed in Lucae commentariis de rebus Apostolorum [20] pro τοῦ Φόρτου multi libri antiqui legunt τοῦ Φορτίου, quod Grisbachius nuper in ordinem, sed sine caussa, recepit, quum haec lectio haud dubie profecta sit ab librariis, quibus τὸ Φορτίον hoc in genere notius, quam ὁ Φόρτος, ex vsu loquendi suorum temporum, esset [21]. Huius igitur doctrinae veterum, et sapientiae, vestigia sequi debebant recentiores Lexicographi, nominatim Stocquius, Suartius, et Simonius, neque praecipere, in libris Noui Testamenti vocabulis ὀψάριον, et ἰχθύδιον [22], *pisciculum*, minutum piscem, significari; nomine θυγάτριον declarari *filiolam* [23], et verbo ἐρίφιον *paruum haedum* indicari. Neque tamen illi hunc in errorem primi delati existimandi sunt: immo inter veteres iam grammaticos, barbarorumque librorum interpretes, multi fuisse reperiuntur, qui forma se, et specie, deminutiuorum nominum ita falli, decipique, paterentur, vt iis exiguita-

18. C. 6. v. 27. 28. 42. p. 76. Nans.

19. Homil. 41. in Ioh. 6. p. 271. A To. 2. edit. Francof. Ducaei.

20. C. 27, 10.

21. Vid. supra not. 5.

22. Matth. 15, 34. coll. v. 36. Marc. 8, 7. Sed iam interpres Latinus vetus vtroque loco habet *pisciculos*, vt Hebraeus interpres euangelii Matthaei הַדָּגִים קְטַנִּים, et Syrus eiusdem euangelii ܢܘܢܐ ܙܥܘܪܐ.

23. Marc. 5, 23. 7, 25.

guitatis rerum, atque paruitatis, notionem subiectam docerent, etiam locis illis, a quibus ea esset remotissima. Velut Aristophanes in Pluto Carionem fecit Mercurio, qui varia cognomina adsciuisset sibi, quod variis fungeretur, multiplicibusque, muneribus, et officiis, sed tum victum solicitus quaereret, ita illudentem ante, quam eum introire iuberet hac lege, vt intestina victimarum elueret, et purgaret [24], Ὡς ἀγαθόν ἐς᾽ ἐωπνυμίας πολλὰς ἔχειν· Οὗτος γὰρ ἐξεύρηκεν αὑτῷ βιότιον. Quo loco etsi res ipsa loquitur, nomine deminutiuo βιότιον idem denotari, quod absolutis nominibus βίος, et βίοτος, hoc est, *victum;* tenuem puta, neque lautum, qualis esse victus seruorum solet; et *res ad viuendum necessarias:* tamen scholiastes Doruillianus non minus, quam Leidensis, illud significare μικρὰν ζωὴν docent. Et eo loco eiusdem fabulae, quo anicula quaedam, quae adulescentula adhuc videri vellet, Chremylo narrans inducitur, amatorem nuper suum, nunc ab ipsa petiisse numos, quibus sibi, et pallium, et calceos, compararet, nunc ipsam rogasse, vt sororibus suis emeret stolas, matri pallam, *stola* χιτώνιον, *palla* θοιματίδιον [25], vocatur. Poëta enim, qui sciret, amatorum fere hanc esse calliditatem, vt, quum poscerent ab amiculabus aliquid pro aliis, quo facilius impetrarent illud, nominibus rerum vterentur deminutiuis, mulierculam amatoris orationem imitari, atque exprimere, iussit. Et tamen Dorvillianus enarrator persuadere lectoribus conatus est, Aristophanem vocabulo θοιματίδιον significasse μικρὸν ἱμάτιον, hoc est, eiusmodi pallam, cuius

24. v. 1165. s. 25. v. 985. s.

cuius vſus eſſet nullus, et quae hactenus ne cogitari quidem recte poſſet. Etſi igitur Lexicographis Noui Teſtamenti venia huius erroris dari facile poteſt, a quo nec eos, quorum lingua Graeca eſſet vernacula, atque domeſtica, cauere ſibi ſemper potuiſſe appareat: tamen notatio eius, et reprehenſio, neque puerilis a quoquam debet, et leuis, neque inutilis, et ſuperuacanea, iudicari, quum multae ex eo ſaepe opiniones naſcantur, et ridiculae, et noſtra, aliorumque, doctrina indigniſſimae. Quis enim credidiſſet, repertum vnquam iri, qui e praecepto Thomae Magiſtri, quo munditiei, et elegantiae, orationis Graecae ſtudioſos nomen deminutiuum λοπάδιον praeferre abſoluto nomini λοπὰς iuſſit [26], recte collegi poſſe exiſtimarent, eum, et ſibi perſuaſum habuiſſe, et perſuadere aliis voluiſſe, Graecos veteres nunquam patinis magnis, et capacibus, ſemper anguſtis, et minutis, patellis, vſos eſſe? Et tamen exortus eſt nuper vir quidam, et grauitatis, et doctrinae Graecae, laude florentiſſimus, qui hoc ex illa grammatici obſeruatione plane intellegi poſſe affirmaret; nullam ſane aliam ob cauſſam, quam quod non meminiſſet, deminutiua nomina in libris Atticorum maxime agere fere partes primitiuorum nomi-

26. Sic Dinarchus, et Plato, vti maluerunt deminutivo nomine λαμπάδιον, quam primitiuo λαμπάς. Harpocratio: Λαμπάδιον, ἣν νῦν ἡμεῖς λαμπάδα καλοῦμεν, οὕτως ὠνόμαζον. Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Πυθέου, καὶ Πλάτων ἐν πρώτῳ τῆς Πολιτείας. Haec ipſa obſeruatio grammatici doctiſſimi in Lexico Suidae legitur contracta in haec verba, Λαμπάδιον· ἡ λαμπάς· οὕτω Δείναρχος, καὶ Πλάτων. Phavorinus autem hinc in ſuum Lexicon tranſtulit gloſſam cum ſolo gloſſemate, Λαμπάδιον· ἡ λαμπάς.

minum, quibus propterea tot in locis alia vocabula, quae deminutionem declararent, tanquam comites necessarii, perspicuitatis adiuuandae caussa, adiuncta cernerentur [27]. Sed satis dictum videtur de primo verborum genere, quibus a Lexicographis Noui Testamenti multis iusto angustior potestas, atque vis, tribuitur.

III. His coniuncta hac ex parte, et finitima, reperiuntur nomina illa, quae a Prisciano, aliisque grammaticis, et collectiua, et comprehensiua, appellantur, quae, quum, qua terminationem, singularia esse videantur, tamen, qua notionem, paria pluralibus sunt, atque adeo, vel omnes, vel certe multas, eiusdem generis res significant. His enim nominibus nos non fugit auctores librorum Noui Testamenti interdum ita vsos esse, vt vnam illis tantum certi alicuius generis rem expresserint. Ἱματισμὸς certe quidem, quo nomine a Graecis scriptoribus, etiam a Luca, et Paulo, *vestitus*, hoc est, vel *pallium*, et *tunica*, et *indusium* [28], vel *palla*, et *stola*, et *indusium* [29], indicatur, in eiusdem Lucae commentariis [30] de *pallio* tantum, sed in euangelio Matthaei [31], et Iohannis [32], vt in hymnis Dauidicis [33] nomen Hebraicum לְבוּשׁ, de

 sola

27. Vid. Animaduerss. ad Velleri Gram. Gr. p. 133.

28. Luc. 7, 25. Act. 20, 33. Menti enim Lucae obversatum esse videtur nomen Hebraicum בְּגָדִים. Vid. οἱ ό 2. Regg. 7, 8.

29. 1. Tim. 2, 9.: quo loco Paulum quoque reddidisse putamus idem illud nomen בְּגָדִים. Vid. οἱ ό Gen. 24, 53.

30. C. 9, 29. coll. Matth. 17, 2. Marc. 9, 3.: quibus in locis *pallium* vocatur *τὰ ἱμάτια*, vt *palla* a *τοῖς ό* Ruth. 3, 3. *ὁ ἱματισμός* Hebr. שִׂמְלוֹת.

31. C. 27, 35.

32. C. 19, 24. coll. v. 23.

33. Ps. 22, 19.

ſola *tunica*, legitur. Contra vero aeque certum eſſe ſcimus, atque exploratum, ſcriptores diuinos huic nominum generi pleriſque in locis, rationis Hebraeorum admonitu, ſuas partes reliquiſſe, ita, vt illa, vel ab ipſis Euangeliſtis, et Apoſtolis, permutata, vel ab grammaticis, et interpretibus, explicata, iiſdem nominibus pluralibus inueniantur. Quo magis etiam mirandum arbitramur, multos Lexicographos ita neglegentes fuiſſe, atque incautos, vt magnae huiuſmodi vocabulorum multitudini poteſtatem nominum ſingularium tribuerint. Quo quidem in numero, praeter nomina καρπὸς, σπέρμα, τὸ περισσεῦον [34], et complura alia, videmus eſſe vocabulum κέρμα, quo Iohannes in commentariis vſus eſt, vbi narrat [35], Ieſum porticus templi Hieroſolymitani ingreſſum, impia Iudaeorum leuitate tantopere eſſe commotum, vt etiam numulariorum menſas, numis ante ex iis in terram deiectis, ſubuerterit. Verba Iohannis ipſa ſunt haec, καὶ τῶν κολλυβιςῶν ἐξέχεε τὸ κέρμα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέςρεψε. Iam vero τὸ κέρμα nomen collectiuum eſſe, quo, non vnus, ſed multi, numi ſignificentur, praeter rem ipſam, Pollucis, eruditiſſimi grammatici, obſeruatio docet. Is enim animaduertit, atque praecipit [36], Dorienſes qui-

34. Matth. 14, 20. 15, 37. coll. Marc. 8, 8. Ioh. 6, 12. ſ.

35. C. 2, 15.

36. 7, 170. Κέρματα δὲ πολλῶν πληθυντικῶς εἰρηκότων, κέρμα ἑνικῶς Ἄμφις εἴρηκεν ἐν Ἀμπελουργῷ, καὶ Ἀντιφάνης ἐν Κύκλωπι· et 9, 87. ſ. ὥσπερ καὶ κέρματα, ἀλλ᾽ οὐ κέρμα, λέγειν Ἀττικόν· παρὰ μέντοι τοῖς Δωριεῦσι καὶ τὸ κέρμα ἐςὶν εἰρημένον· εὕροι δ᾽ ἄν τις αὐτὸ καὶ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς· ὥσπερ καὶ ἐν τῷ Ἄμφιδος Ἀμπελουργῷ, Μικρόν τι κέρμα· καὶ παρ᾽ Ἀντι-

quidem, itemque Amphin, et Antiphanen, poëtas comicos, numero ſingulari κέρμα vſos eſſe; ſed in libris Atticorum pro illo fere alterum numerum vſurpatum extare; ita, vt etiam in codice euangeliorum Colbertino octauo, et in Origenis commentariis [37], non τὸ κέρμα, verum τὰ κέρματα, quod interpretamentum alterius lectionis exiſtimari debet, legatur. Qua ex re facile intellegitur, in Lexicis Stocquii, Suartii, et aliorum, perperam tradi, κέρμα eſſe *numulum.* Et quanquam Beza ante eos idem vocabulum Graecum rectius interpretatus erat plurali numero eiuſdem nominis Latini: tamen nec hanc eius interpretationem apparet eſſe eiuſmodi, quae probari lectoribus Euangeliſtae doctis, et diligentibus, poſſe videatur. Neque enim iudicari ſic ſatis poteſt, quales potiſſimum numos Ieſus in terram profuderit. Scilicet, cum ex iis, quae a grammaticis antiquis de nomine κέρματα [38],

prae-

Ἀντιφάνει ἐν τῷ Κύκλωπι, Κέρμα γάρ τι τυγχάνω· et f. 89. ὡς δ' ἐπὶ τῶν κερμάτων οἱ ἀρχαῖοι Ἀττικοὶ ἥκιστα τῷ ἑνικῷ ἐχρῶντο, οὕτως δ' ἐπὶ τῷ ἀργυρίῳ τῷ πληθυντικῷ.

37. in Ioh. 2, 15. p. 149. A, et p. 167. E, To. 2. Colon.

38. Heſychius: Κέρματα· — θραύσματα. Suidas: Κέρματα· τὰ λεπτότατα. Ἐπὶ γὰρ Ἰουστινιανοῦ βασιλέως τῶν ἀργυραμοιβῶν — ἀποτεμόμενος μοῖραν. Qui eſt locus Procopii, ex hiſtoria eius arcana petitus, p. 111. edit. Aleman.: qui vt paulo aliter legitur in ipſis Procopii libris, vt iam Neocorus animaduertit: ita ante verba ἐπὶ γὰρ Ἰουστ. βασιλέως, quae Suidas ipſe addidit, librarii in eius Lexico omiſiſſe videntur verba Procopii haec, Ἃ δὲ καὶ ἐς τὰ κέρματα τοῖς βασιλεῦσιν εἴργασται, οὗ μοι παριτέον οἴομαι εἶναι. Quae quidem verba quis credat ab ipſo Suida omiſſa eſſe, qui docere vellet auctoritate illius ipſius Procopii loci, τὰ κέρματα

praecipiuntur, tum ex ipsis scriptorum veterum locis, quibus idem vocabulum 39, cum verbis inde ductis, κερματίζειν, et διακερματίζειν, et κατακερματίζειν 40, occurrit, apertum esse, atque per-

ματα esse τὰ λεπτότατα? Idem Suidas: Ἀργυραμοιβός· ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρε ἀλλασσόμενος· ὁ τραπεζίτης· ὁ ἀργυροπράτης· κολλεκτάριος. Sed in Glossario Nomico videtur rectius legi ἀλλασσόμενος τραπεζίτης. Nam glossa κολλεκτάριος in eo sic explicata extat: ὁ ἀργυραμοιβὸς, ἤτοι ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρε ἀλλασσόμενος τραπεζίτης, ὁ ἀργυροπράτης. Scilicet Suidas verba, Ἀργυραμοιβός· ὁ κέρμα ἀντὶ ἀργύρε ἀλλασσόμενος descripsit e Glossario Platonico Timaei, ex quo ἀργυρίε pro ἀργύρε reponendum videtur. Schol. Aristoph. ad Nubb. p. 96. Froben. Ἀργυραμοιβοὶ, οἱ ἀντὶ ἀργυρίε κέρματα ἀμείβοντες. Schol. Theocriti ad Idyl. 10, 44. Δραχμὴ, ἡ πληρᾶσα τὴν χεῖρα τῷ κέρματι.

39. Aristoph. Plut. 379. Τὸ ςόμ' ἐπιβύσας κέρμασιν τῶν ῥητόρων· vbi schol. Doruil. glossam κέρμασιν interpretatus est nomine νομίσμασι. Intellegi scilicet oboli, chalci, aliique numi viles, et minuti, debere videntur. Certe insignis hanc in rem locus est apud eundem Aristophanem Auu. 1106. ss., Γλαῦκες ὑμᾶς ἔ ποτ' ἐπιλείψεσι Λαυριωτικαὶ, Ἀλλ' ἐνοικήσεσιν ἔνδον, ἔν τε τοῖς βαλαντίοις Ἐννεοττεύσεσι, κἀκλέψεσι μικρὰ κέρματα· vt apud Laërt. 6, 82. de Monimo, mensarii cuiusdam Corinthii seruo, leguntur haec, Αὐτίκα γὰρ ἐκεῖνος μανίαν προσποιηθεὶς, τό, τε κέρμα διεῤῥίπτει, καὶ πᾶν τὸ ἐπὶ τραπέζης ἀργύριον. At enim apud Aristoph. Plut. d. l. κέρματα accipere malim omnino de *pecunia*, ob v. 381.

40. Aristoph. Vespp. 784. s. — δραχμὴν μετ' ἐμᾶ πρώην λαβὼν, Ἐλθὼν διεκερμάτιζέ μ' ἐν τοῖς ἰχθύσιν· et in fabula, quae Δαιταλεῖς fuit inscripta, Οὐδ' ἀργύριόν ἐςιν κεκερματισμένον. Qui duo poëtae loci laudantur a Polluce Onom. 9, 88. s.: posterior etiam 7, 170., vt prior a Suida v. διεκερμάτισε· vbi v. Neocorus p. 576. To. 1. Suidas: Κερματίζει· εἰς λεπτὰ διαιρεῖ· — καὶ κατακερματίζει· Ἐξήγαγεν ἐκ τῆς ζώνης τὰς χρυσᾶς Δαρεικὰς

perſpicuum, videmus, κέρματα proprie quidem, et in primis, dictos eſſe numos, et argenteos, et aereos, minutos, et viles, tanquam obolos [41], chalcos, et alios, quibus permutarentur numi pretioſiores, et maiores, velut darici, tetradrachma, didrachma, drachmae, et alii: ab qua generis vitae ſuae parte ipſos menſarios in promtu eſt a Graecis κερματιςὰς [42], a Latinis *numularios*, appellatos eſſe. Sed quum menſarii Hieroſolymis in porticibus templi propterea ſederint, vt arte ſua, atque pecunia, adiuuarent emtionem, et venditionem, pecudum, aliarumque rerum ad ſacrificia neceſſariarum, in primiſque ſolutionem didrachmorum, ſiue ſemiſiclorum, et hac permutatione numorum lucrum, quaeſtumque, facerent: ſane neceſſe eſt, vt notio vocabuli κέρμα apud Iohannem latius pateat, neque ſolum numos complectatur, quibus permutentur alii, verum etiam eos, qui permutati fuerint, atque numulariis pro permutatione dati. Quos quidem triplicis generis numos recte licebit vno verbo *aes* nominari cum auctoribus Gloſſariorum veterum, a Labbaeo, poſt Henr. Stephanum, et Vulcanium, collectorum, et a Cangio, poſt

κὸς, κατακερματίσαι θέλων, καὶ διαλύσασθαι τῷ πανδοκεῖ. Heſychius: Κατακερματίζει· εἰς πολλὰ ἀναλίσκει, διατέμνει, ἢ λεπτύνει, ἢ μερίζει. Vnde ap. eundem Heſychium in hac gloſſa, Κέρματα· εἰς λεπτὰ διαιρεῖ, ἤγουν εἰς μικρὰ συντρίβει, viri docti pro κέρματα reponendum κερματίζει recte cenſuerunt. Pollux 7, 170. τὸ καταλλάττειν νόμισμα, καὶ κερματίζειν.

41. Vid. Ariſtophanes Veſpp. 787. coll. v. 784. f.

42. Nonnus p. 24. edit. Fr. Nanſii L. B. a. 1589. eos eleganter vocat κερμοδότην χορὸν Φιλοπλούτοιο τραπέζης. Omnino de verbis κέρμα, et κερματίζειν, vid. Salmaſius de vſuris c. 17. pag. 495. ſſ.

post eius mortem, editorum. His enim in Glossariis sicut omnino magnus ipsarum glossarum numerus e libris Noui Testamenti peritus, sed glossemata e versione eorundem librorum Latina vetere, quam nunc vulgatam dicimus, sumta, leguntur [43]; qua de re iam Ioh. Pricaeus admonuit [44] studiosos harum literarum; adeo, vt multae huius versionis mendae, istorum Glossariorum indicio [45], tolli, multa in iisdem Glossariis

43. Nos quidem inter legendum obseruaueramus adhuc, et collegeramus, exempla vtriusque generis haec: Ἀμέριμνος — *securus*, e Matth. 28, 14.: Ἀνεχώρησεν *Secessit*, e Matth. 14, 13.: Ἀρκεῖσθε *Contenti estote*, e Luc. 3, 14.: Ἀρσενοκοίτης *Masculorum concubitor*, ex 1. Corr. 6, 9. et 1. Tim. 1, 10.: Ἀφανίζω *Extermino* — *demolior*, e Matth. 6, 16. 19.: Βέβλημαι *Iaceo*, e Matth. 8, 6.: Διαφημίζω — *diffamo*, e Matth. 9, 31.: Δόματα *Data*, e Matth. 7, 11.: Εἰ δὲ μήγε *Alioquin*, e Matth. 9, 17.: Ἔξω, ἐν τόπῳ, *Foris*, e Matth. 12, 46.: Κατ' ἰδίαν *Seorsum* — *secreto*, e Matth. 14, 13. 24, 3. et Marc. 9, 28.: Ναὶ *Etiam*, e Matth. 13, 51.: Παρὰ — *secus*, e Matth. 13, 1.: Παράπτωμα *Delictum*, e Matth. 6, 14.: Πλήρωμα — *supplementum*, e Marc. 2, 21.: Πολυλογία *Multiloquium*, e Matth. 6, 7.: Προσφάγιον — *pulmentarium*, e Ioh. 21, 5.: Σχίσμα *Scissura*, e Matth. 9, 16. et Marc. 2, 21.: Σώματα *Mancipia*, ex Apoc. 18, 13. [v. Proluss. in V. et N. T. 3, 2. p. 61. s.]: Φράσον — *edissere*, e Matth. 13, 36. 15, 15. Hunc glossarum, et glossematum, indiculum aliis quibusdam exemplis adauximus Prolus. 28, 2.

44. in notis ad Matth. 7, 27. p. 80. edit. Paris. a. 1646.

45. Sic Col. 2, 4. verba ἐν πιθανολογίᾳ in vers. vulg. exemplis, quae inspeximus, omnibus vtriusque recensionis, Sixtinae, et Clementinae, atque adeo in ipsis Hieronymi libris [p. 182. b, edit. Froben. To. 9.], reddita leguntur verbis *in sublimitate sermonum*. At dubitari non potest, quin pro *sublimitate* reponi debeat *subtilitate*, indicio Glossariorum veterum, quae habent, Πιθανολογία *Subti-*

riis librariorum peccata corrigi, auxilio librorum eius, possint: ita etiam nomen κέρμα, ex illo ipso Iohannis loco, vt nobis quidem videtur, in haec Glossaria translatum, redditum vocabulo Latino *aes* extat. Cuius quidem interpretationis caussae afferri multae, et idoneae, posse videntur. Etenim primum res ipsa loquitur, nomine κέρμα ab Iohanne significatos esse numos omnes, quoscunque Iesus in mensis numulariorum positos offendisset, hoc est, eos, quorum genera a nobis sunt paulo ante commemorata. Deinde non solum in Hesychii Glossario glossa κέρματα nomine χρήματα, quo *pecuniam* omnis generis indicari constat [46], explicata legitur, ita, vt dubitari non possit, quin ipsi scriptores Graeci isto vocabulo omne genus pecuniae complexi sint [47]; sed etiam Origenes illud

Subtilitate: quum *sublimitas sermonis* sit ὑπεροχὴ λόγου 1. Corr. 2, 1. Sed ne quis forte putet, vt glossema perfectum sit, addendum esse *sermonum*: teneri oportet, etiam in his Glossariis saepe vnam tantum glossarum compositarum partem, reconditiorem scilicet, Latine explicari, vt, Πτῶσις μεγάλη *Ruina*, e Matth. 7, 27. vid. ad Plat. Euthyphron. 1, 9. Et quum auctor vers. vulg. verbum ἀδημονεῖν Marc. 14, 33. verterit *taedere*, h. e. *moestum esse*: vid. Matth. 26, 37. Phill. 2, 26.: sed in Glossariis Graecolatinis legatur, Ἀδημονῶ *Pertaedeo*: quis dubitet, quin auctores eorum in exemplis vers. vulg. scriptum inuenerint *pertaedere* pro *taedere?*

46. Pollux 3, 86. τὸ δὲ ἀργύριον καλεῖται χρήματα, καὶ νομίσματα, ὥσπερ καὶ τὸ χρυσίον.

47. Vid. not. 39. Et Phrynichus eclogg. p. 158. Pau., Εὐκερματεῖν, inquit, ἀηδὲς πάνυ· ἥδιστα δ' ἂν εἴπης εὐπορεῖν κερμάτων, h. e. *abundare pecunia*, *pecuniosum esse*, *diuitem esse numis*: quam grammatici doctissimi obseruationem in Lexicon suum transtulit Phauorinus.

lud numulariorum κέρμα, modo νομίσματα [48] vocat, modo χρήματα [49], et Chryſoſtomus [50] ἀργύριον. Denique in Syriaca verſione nomen κέρμα conuerſum nomine ܥܘܪܦܢܐ videmus: quo ipſo verbo auctori eius interpretari placuit in Marci commentariis [51], vocabulum χαλκός· quo ibi omnis generis pecuniam ſignificari, ſicut illo eiuſdem euangeliſtae loco, quo Ieſus admonuiſſe Apoſtolos perhibetur [52], ne ſecum ferrent viatica, manifeſtius eſt, quam vt doceri pluribus neceſſe ſit. Quemadmodum igitur interpretem Syrum apparet nomen κέρμα accepiſſe de omni numorum genere; quum nomen ܥܘܪܦܢܐ de ipſa pecuniae *permutatione*, quatenus *deductione* fit [53], vt Graecum κόλλυβος [54], ita vſurpatum videa-

48. Commentarr. in Ioh. p. 172. C To. 2. Colon.

49. d. l. p. 173. C.

50. Homil. 22. in Ioh. p. 145. A To. 2. Francof. Sed ἀργύριον ſunt omnis generis *numi*, aerei, et argentei, et aurei. Etymol. M. v. ἀργυρόηλον, et ex eo Phauorinus v. ἀργύριον· Ἰϛέον, ὅτι πᾶν νόμισμα, εἴτ' ἐν χαλκῷ, εἴτ' ἐν ἀργύρῳ, εἴτ' ἐν χρυσῷ, εἰώθασιν ἀργύριον καλεῖν· καὶ οἱ μὲν Ῥήτορες ἑνικῶς, οἱ δὲ Κωμικοὶ ἀργύρια πληθυντικῶς.

51. C. 12, 41.

52. C. 6, 8. coll. Matth. 10, 9. Luc. 9, 3.

53. Scilicet verbum ܥܪܦ ſignificaſſe videtur, in re numaria, *deducere*, quum etiam Hebraicum verbum עָרַף valuerit *abſcindere*. Sed nomina in ܢ deſinentia in lingua Syrorum actionem indicant: velut ܫܘܠܛܢ Marc. 6, 7.: ܕܘܟܪܢ Marc. 14, 9.: ܦܘܪܥܢ Luc. 14, 14.: ܦܘܪܩܢ Romm. 3, 24. Itaque vix dubitari poſſe videtur, quin etiam nomen ܥܘܪܦܢ, in re pecuniaria, proprie de *deductione* vſurpatum fuerit, ſed translatum ad *permutationem pecuniae*.

54. Pollux 3, 84. ἀργυρίου ἀλλαγή, ὁ καλούμενος κόλλυβος. add. 7, 170.

videatur, vt ipsi numularii, qui a Graecis, et Euangelistis, κολλυβισαὶ vocantur, a Syris ܡܥܪܦܢܐ dicerentur [55], sed deinde ad *numos*, qui, et *permutantur*, et pro collybo *deducuntur*, denique ad omnem omnino *pecuniam*, translatum: sic, quum idem vocabulum Graecum in versione vulgata redditum Latino nomine *aes* extet, quo nemo ignorat significari omne numorum genus [56], profecto dubitari recte a nemine potest, quin Latinus quoque interpres in eadem cum Syro sententia fuerit; praesertim quum magno eum studio, et diligentia, imitatum esse, atque expressisse, veterem scribendi elegantiam in confesso sit. Quod quum Erasmus, et Castalio, non nescirent: retinendum censuere in versionibus suis vocabulum *aes*, cuius in locum Seb. Schmidio sine caussa idonea visum est substituere nomen barbarum, et Latinis inauditum, *cambia*. In hac igitur rationum, argumentorumque, et multitudine, et grauitate, quae vocabulo κέρμα a Iohanne omnis generis pecuniam, quae permutatur, et pro collybo deducitur, significatam esse doceant, illud perperam in multis Lexicis ita explicari, vt lectores de *numulo* tantum, aeris, argentiue, segmento, cogitare iubeantur, quis non videt? Atque haec disputata sunto de secundo verborum singulorum genere, quorum vim, et potestatem, amplam, lateque patentem, diximus a Lexicographis Noui Testamenti fere omnibus temere, et inuito loquendi vsu, contrahi, et in angustum concludi.

IIII.

55. Matth. 21, 12. Marc. 11, 15. Ioh. 2, 14. 15.

56. Vid. Terent. Phorm. 3, 2. 26. Gellius 5, 14. extr. et Schultingius ad Sen. controuerss. 2, 9. p. 137. To. 3. Gron.

IIII. Iam vero quoniam multis prohibiti impedimentis ſumus, ne de reliquis horum verborum generibus quaerere poſſemus: hae in aliud tempus dilata diſputatione, veniemus tandem ad rem eam, cuius cauſſa a nobis etiam hic libellus propoſitus eſt. Schola enim Thomana hoc quoque anno pietatis aduerſus deum ſuae ſenſus ita exprimere ſtudebit, vt gratias numini eius ſummas publice agat pro beneficiis adhuc acceptis, eoque magis ſtudebit, quo maiorem, admirabilioremque, praecipuorum bonorum copiam ſibi, et multitudinem, contigiſſe laeta exultat. Nam prouidentia dei, et potentia, non modo a corporibus noſtris omnes inſidias, omnes impetus, eorum morborum diligentiſſime defendit, quorum furore, et crudelitate, hoc anno tantam, et virorum, et adulescentium, vim etiam in noſtra vrbe confectam eſſe triſtes recordamur, ſed eam quoque otii, ac quietis, vſuram, qua tot aliae ſcholae caruerunt adhuc, atque etiamnunc carent, ſcholae noſtrae, in mediis belli turbis, et periculis, praeſtitit, vt, et magiſtri eius, et diſcipuli, fauore, et liberalitate, ampliſſimorum patronorum, et curatorum grauiſſimorum, et aliorum euergetarum ſummorum, adiuti, atque ornati, potuerint, ſine vllo impedimento, bonarum literarum opes, et exponere accurate, et ſtudioſe comparare. Cuius quidem beneficii magnitudinis ſingularis grata cogitatio auctorem me exiſtere iuſſit diſcipulo claſſico, CAR. GVIL GREDINGIO, *Graeza Nariſco*, adulescenti, et virtutis, et liberalis doctrinae, ſtudioſiſſimo, vt cras, hora V. veſpertina, in auditorio claſſico, audientibus nobis, collegae amantiſſimi, Latine verba faceret *de neceſſitate, atque vtilitate,*

otii,

otii, et quietis, in omni vitae, et ſtudiorum, genere, ita, vt a deo O. M. ſummis, et ardentiſſimis, precibus peteret, vellet numine ſuo, et praeſidio, anno quoque proximo, ab agro, et finibus, vrbis noſtrae omnia belli mala, et incommoda, plane defendere, conſuliſque noſtrae ciuitatis, et conſularium, et reliquorum ſenatorum, in primiſque curatorum ſcholae vrbicae vtriuſque, virorum, et doctrina, et meritis in rem publicam, atque Chriſtianam, illuſtrium, ſalutem, et fortunas, omnino tueri, quo nec noſtrae ſcholae res poſthac detrimenti quidquam caperent, immo laetis cotidie incrementis augerentur. Horum vero bonorum, et commodorum, vſura vt digni reperiamur: iubebis ipſe tu, optime deus, ab Spiritu tuo incendi animos noſtros, et inflammari, amore, ſtudioque, omnis virtutis, et ſanctitatis, acerrimo, vt ea cogitemus ſemper, et loquamur, et agamus, quae probentur tibi, et placeant, vnice. Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. III. Kal. Ianuarias A. C CIↃIↃCCLXXVIIII

PROLVSIO VNDECIMA

DE NOTIONIBVS IVSTO ANGVSTIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS GENERVM SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

In notandis, atque persequendis, Lexicorum Noui Testamenti vitiis peruenimus nuper ad genus eorum quartum, ad quod referenda esse demonstrauimus verba, et simplicia, et iuncta, illa, quorum potestas, quamuis late patens, vsus loquendi auctoritate, tamen ita contracta, atque coarctata, ab conditoribus istorum librorum reperiretur, vt simulacra rerum, et imagines, quas scriptores diuini signis illis, et notis, ostenderent menti lectorum, multis suis partibus, atque numeris, orbatae, et truncatae, apparerent. Quo quidem singulorum vocabulorum in numero ponenda esse docuimus, non solum deminutiua nomina, quibus consuetudo loquendi Graeca fere partes absolutorum nominum tribuisset, sed etiam comprehensiua, quibus, non vna quaedam, sed omnes, aut certe multae, eiusdem generis res significarentur, quaeque adeo, non singularium nominum, immo pluralium, vim haberent. His vero duobus verborum

rum ſimplicium generibus adiiciendum eſſe tertium eorundem vocabulorum genus, quae etſi ſacri ſcriptores iuſſerint eſſe generis rerum alicuius vniuerſi indices, tamen Lexicographi Novi Teſtamenti ita explicare reperiantur, vt illis tantum certam quandam iſtius generis formam, atque ſpeciem, denotari praecipiant, breuiter nunc, et ita, demonſtrabimus, vt, pro inſtituti noſtri ratione, nonnulla huius vitii partis exempla, eaque illuſtria, neque leuia, proponamus, quo magis appareat omnibus aequitas, atque veritas, noſtrarum querelarum.

II. Nomen enim ἀγορὰ, quo proprie quidem *conuentum* hominum, atque *coetum*, ſignificari, vel origo eius ſatis docet, ab antiquis, et probis, Graecitatis auctoribus poni ſolet, non modo de locis, in quibus res ad victum, cultumque corporis, pertinentes venduntur, et emuntur, in quibus, vel iudicia fiunt, vel cum populo agitur, et conciones habentur, quoniam conuenire illuc maxime, et confluere, magnus hominum, ciuiumque, numerus ſolet; quae loca a Latinis *fora* vocantur: ſed etiam de ipſis hominibus, et ciuibus, qui coierunt, ſeque congregarunt, in eiuſmodi loca; de orationibus item, quae in concione populi habentur, et de rebus venalibus omnis generis, quarum copiae in foro expoſitae conſpiciuntur, maximeque illis, quae ad victum neceſſariae ſunt. Atque variam hanc, multiplicemque, vocabuli poteſtatem, cum ab antiquis grammaticis diligenter notatam eſſe videmus [1], tum ab recentioribus ſcri-

1. Apollonius Sophiſta ἡ ἐκκλησία, τὸ πλῆθος, Lex. Homer. p. 18. Ἀγορά· καὶ ὁ τόπος, καὶ τὸ συνάθροισμα,

ptorum veterum interpretibus, Lexicorumque conditoribus, nominatim ab Henr. Stephano, multis, iisque idoneis, exemplis confirmatam, et illustratam, scimus. Iam etsi Lexicographi Noui

ϑροισμα. Etymol. M., et ex eo Phauorinus: Ἀγορὴ, καὶ αὐτὸ τὸ ἄϑροισμα, καὶ ὁ τόπος, καὶ ὁ λόγος· παρὰ τὸ ἀγείρω, τὸ ἀϑροίζω καὶ ἐκκλησιάζω, γίνεται ἀγορὴ, ὃ σημαίνει ἐκκλησίαν, συνέδριον. Sic Lat. *concio* tria significat *locum*, et *verba*, et *suggestum*, *vnde verba fiunt*. v. Gellius 18, 7. Schol. Aristoph. ad Acharnn. 21. ἐν ἀγορᾷ· διάφορα δηλοῖ λέξις, νῦν μὲν τὴν ἐκκλησίαν, — καὶ τὸν τόπον, ἔνϑα πιπράσκεται τὰ ὤνια, καὶ αὐτὰ τὰ ὤνια σημαίνει. [Xen. Cyrop. 2, 4. 19. ἀγορὰν — σιτία — ποτά]. Haec verba transtulit in suum Lexicon, quibusdam, vel omissis, vel immutatis, Suidas: et Suidae verba descripsit Phauorinus, cuius tamen in Lexico illa paulo plenius leguntur, quam in libris Suidae editis, quibus hodie vtimur. id quod Neocorus non animaduertit. Nam apud Suidan nunc extant haec, Ἀγορά· ἡ ἐκκλησία· ὅϑεν ὁ Νέστωρ ἀγορητής [Il. ά, 247. f.]· καὶ ὁ τόπος, ἔνϑα πιπράσκονται τὰ ὤνια, καὶ αὐτὰ τὰ ὤνια· sed apud Phauorinum ista, Ἀγορά· ἡ ἐκκλησία, ὡς τὸ ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσιν [Aristoph. Acharnn. 21.]· ὅϑεν ὁ Νέστωρ ἀγορητής· καὶ ὁ τόπος, τὸ πωλητήριον, ἔνϑα πιπράσκονται τὰ ὤνια· καὶ αὐτὰ τὰ ὤνια, ἤτοι τὰ πιπρασκόμενα· καὶ τὸ δικαστήριον. Sic enim distinguenda videntur esse, atque interpungenda, verba grammatici. Reliqua, quae ab eo annotata sunt de potestate nominis ἀγορὰ, Ἀγορὰ καὶ ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἀγείρεται ὁ λαὸς — ἡ ἀγορὰ ὁ τόπος τῆς συνάξεως, καὶ τὸ πλῆϑος τὸ συναγόμενον, καὶ αὐτὴ ἡ δημηγορία — καὶ περὶ Σικελίαν, excerpta reperimus ex Eustathii commentariis ad Odyss. β' p. 1430. et Il. ά p. 45. Rom. His vocabuli significationibus addidit duas alias Ioh. Tzetzes ad Hesiodi Ἔργα p. 16. b Heins.: Σημαίνει δὲ ἡ ἀγορὰ τὸ πωλητήριον, τὸ βουλευτήριον, τὰ ἐν ἀμφοτέροις πλήϑη, τὰς ἐν ἀμφοτέροις λαλιάς· καταχρηστικῶς δὲ πᾶσαν ἀπὸ τούτου λαλιάν· ἀγορὰ λέγεται καὶ τὸ ἀγοραζόμενον πρᾶγμα, καὶ τὸ νόμισμα, δι' οὗ ἀγοράζεται.

Noui Teſtamenti lectoribus librorum eius perſuadere conantur, nomine ἀγορὰ in illis, vel conuentum hominum, et coetum, vel forum, in quo veneunt res ad victum neceſſariae, et in quo iudicia exercentur, ſignificari: tamen notionem eius multo latius patere, neque tantum ad fora, ſed omnino ad omnia loca foris ſimilia, hoc eſt, ad plateas, et vias, vrbium, atque opidorum, pertinere, in plerisque commentariorum Euangeliſtarum locis, ita certum eſſe, exploratumque, putamus, vt recte dubitari a nemine vllo modo poſſe videatur. Etenim vt in loco euangelii Matthaei illo [2], quo paterfamilias mercede conducturus operas, quas in vineam mitteret ſuam, offendiſſe dicitur multos iſtius generis homines otioſos, et deſides, ἐν τῇ ἀγορᾷ, hoc vocabulo forum negotiationis, rerumque venalium, indicari, quum haec loca ſemper fuerint, non tam deuerſoria, quam domicilia, eorum, qui operam aliis ſuam mercede locare cuperent [3], facile concedimus; vt in hoc ipſo foro [4] Paulus Apoſtolus Athenis doctrinae Chriſtianae opes omnibus, in quos incidiſſet, expoſuiſſe intellegitur, quum eum, pro ſapientia ſua liberali, appareat maxime ſequutum eſſe loca celebria, atque frequentia; vt in commentariis rerum Apoſtolorum [5] idem ille Apoſtolus, et Silas, leguntur Philippis, Macedoniae opido, a barbaris rapti eſſe εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, adeo, vt nomine ἀγορὰ *forum*, locum, *in quo iudicia fiunt*, declarari, res ipſa clamet: ita has ipſas eius ſignificationes alieniſſimas eſſe a reliquis

2. C. 20, 3.
3. Vid. Ioh. Cunr. Ditericii Lex. N, T. in h. v.
4. Act. 17, 17.
5. C. 16, 19.

quis librorum Noui Teſtamenti locis, nobis quidem perſuaſiſſimum habemus. Etenim quum ipſius humanitatis, commodorumque ciuium, ratio magiſtratus omnes iubeat vel maxime curare, et prouidere, vt petulantes, atque laſciui, puerorum in primis ſtrepitus ab areis fororum arceantur, et amoueantur: quis credat, Chriſti ſaeculo apud Iudaeos puerorum gregibus ita laſciuire, et ludere, licuiſſe in foro, vt alii, vel tibiis canerent, vel naenias dicerent, alii, vel pectora palmis plangerent ſua, vel ad tibiarum modos ſaltarent? Et cur Matthaeus in eo commentariorum loco, quo refert, Chriſtum Phariſaeos, et iureconſultos Iudaeorum, qui, nec triſtitia, et ſeueritate, ſingulari Iohannis Baptiſtae commoueri ſe paſſi eſſent, nec comitate ipſius, laetitiaque, communi capi ſeſe ſinerent, ſimiles eſſe dixiſſe pueris moroſis, qui ſtudia aequalium omnia neglegerent, quorum animos, neque hilaritas colluſorum, neque grauitas, tangeret, cur igitur Matthaeus in loco illo, ſi forum voluiſſet ſignificare, multitudinis potiſſimum numero vſus eſſet, ita, vt ſcriberet ἐν ἀγοραῖς? Quanquam enim in multis codicibus ſingularem numerum in locum pluralis ſubſtitutum extare non ignoramus, quali codice vſus eſt interpres, et Latinus, et Syrus; tamen primo eum poteſtate parem plurali eſſe, paulo inferius demonſtrabimus; deinde nec dubitandum arbitramur, quin ille e loco Lucae [7], quo eadem vox Chriſti prodita legitur, ab interpretibus in margines codicum tranſlatus, inde in texta verborum Matthaei inigrauerit. Quem quidem eſſe largiſſimum varieta-

6. Matth. 11, 16. ff. 7. C. 7, 32.

rietatis lectionis codicum Noui Testamenti fontem, quis nescit [8]? Quis porro putet, eam fuisse Pharisaeorum, Iudaeorumque in iure prudentium, superbissimorum hominum, modestiam, vt tantum in conuentibus aliorum, et coetibus [9], vel publicis, vel priuatis, salutari auerent? Quis credat, eosdem illos ciuitatis Iudaicae principes, qui tam fastidiose accederent ad alios, qui tam studiose cauerent, ne forte adspectu aliorum, et tactu, et vero etiam halitu, polluerentur casta sua corpora, fuisse tam parum diligentes, et cautos, vt tantum e foro reuersi domum ante, quam cibum caperent, manus lauarent [10]? Et quis sibi persuadeat, aegrotos illos, qui in lectis, grabatisque, iacentes asportati esse ad Iesum, in Genesaritide commorantem, leguntur [11], vt ope eius salutem recuperarent, in foris potissimum opidorum fuisse collocatos? Immo vero ea, quae diximus, omnia lectores euangeliorum iubere videntur in locis illis cogitare, non tam de foro, quam omnino de *publico*, hoc est, de *plateis*, et *viis*, opidorum, villarumque. Quod quidem etsi perspexisse iam, pro doctrinae suae elegantia, interpres Latinus vetus videri possit, qui verba Marci [12], ἐν ἀγοραῖς, vertit *in plateis*: tamen vix dubitandum putamus, quin homo codicibus vsus fuerit, in quibus scriptum legeretur ἐν πλατείαις. Haec certe est nonnullorum codicum, qui ad nostram peruenere aetatem, lectio, in marginibus librorum, interpretationis caussa, a gremmaticis posita, aut sponte, aut admonitu

 loci

8. Vid. Prolus. 24, 1.

9. Matth. 23, 7. Marc. 12, 38. Luc. 11, 43. 20, 46.

10. Marc. 7, 4.

11. Marc. 6, 56.

12. C. 6, 56.

loci Lucae in Apoſtolorum actis [13], quo aegroti, quibus a Petro reſtitueretur valetudo, elati eſſe κατὰ τὰς πλατείας perhibentur. Hos codices quum alii cum illis codicibus contenderent, in quibus ſcriptum extaret ἀγοραῖς, hanc ſcripturam ita annotandam cenſuere, vt eam iuxta alteram ponerent, adiecto etiam nomine ῥύμαις ex eiuſdem Euangeliſtae [14], Matthaeiue [15], commentariis. Ex huiuſmodi vero codicibus gloſſa πλατείαις cum gloſſematis ῥύμαις, ἀγοραῖς, in Gloſſaria Noui Teſtamenti veniſſe, et ex illis in Heſychii Gloſſarium [16], ex quo eam Phauorinus quoque in Lexicon ſuum tranſtulit, profecta eſſe videtur. Etſi igitur, et ingenio vtriuſque vocabuli, et plurium, meliorumque, codicum auctoritate, adducti non dubitamus, quin Marcus ipſe ſcripſerit ἐν ἀγοραῖς, ita, vt nomen πλατείαις interpretamentum nominis ἀγοραῖς haberi debeat: tamen ex hoc ipſo interpretamento doctrina auctorum eius ita elucet, vt nullum aptius, et magis idoneum, reperiri potuiſſe credamus. Hebraei enim plateas, et vias, omninoque loca publica, opidorum, non ſolum רְחוֹבוֹת [17], ſed etiam חוּצוֹת [18], appellant, Chaldaei [19], et Syri [20], שְׁוָקִין,

13. C. 5, 15.

14. C. 14, 21.

15. C. 6, 2.

16. Heſychius: Πλατείαις· ῥύμαις, ἀγοραῖς. Nam Valeſius pro ἀγοραῖς ſine cauſſa reponendum ἀγυιαῖς opinabatur, p. 974. To. 2. Sic in Gloſſario eiuſdem grammatici legitur gloſſa κοινὸν, additis gloſſematis βδελυκτὸν, ἀκάθαρτον, ex Romm. 14, 14. At eadem gloſſa cum iiſdem gloſſematis extat in Gloſſar. N. T. Fabric. p. 114. et in Λέξεσι τῶν Ἀποστολικῶν ἐπιστολῶν apud Matthaeium Lect. Moſquenſſ. p. 61. Vol. 2.

17. Vid. Threnn. 2, 11. coll. τοῖς ό.

18. 2. Sam. 1, 20. Amoſ. 5, 16.

19. Ionath. 2. Sam. 22, 43. Ezech. 7, 19.

20. Matth. 6, 2. 5.

שְׁוָקִין, ita tamen, vt singularis numerus vtriusque vocabuli [21], exemplo nominum illorum omnium, quae a grammaticis collectiua nominantur, saepenumero partes alterius numeri agat: et quum nomen שׁוק tantum in tribus illis libris legatur [22], quorum auctor vulgo Salomo, rex Iudaeorum, esse putatur, nescio sane, an ex eo existimari recte possit, libros illos, nisi toti compositi fuerint, atque editi, longe post Salomonis tempora, certe tamen immutatos multis in locis esse, atque interpolatos, ab manu recentiore; praesertim quum etiam complura alia huius interpolationis vestigia in iis compareant. Iam vt Alexandrini Iudaei *publica loca*, *vias*, *et plateas*, opidorum, villarumque, quas ab Hebraeis vtroque numero nominis חוץ significatas esse diximus, nunc ὁδὲς [23], et ἐξόδες [24], etiam διόδες [25], nunc πλατείας [26], appellarunt: ita verba עַל־פְּנֵי חוּץ, quae in libro Iobi leguntur [27], et a Latino interprete explicata sunt verbis *in plateis*, Symmacho visum est conuertere ἐπὶ πρόσωπον ἀγορᾶς· cui ipsi interpreti non dubitamus vindicare verba εἰς ἀγρὸν, quibus Montefalconius, sine auctoris nomine, reliquias Hexaplorum Origenianorum, codicis cuiusdam bibliothecae Parisiensis regiae auctoritate, auxit in Samuelis commentariis [28], sed ita, vt, et ipsius

21. Gen. 39, 12. f. Prouu. 1, 20. 22, 13. Onquel. Gen. d. l.

22. Prouu. 7, 8. Cant. 3, 2. Eccles. 12, 4. f.

23. Ier. 5, 1. 7, 17. Amos. 5, 16.

24. Prouu. 1, 20. Ier. 11, 13.

25. Ier. 7, 34. et c. 14, 16. in exemplo Ald. et cod. Alex.

26. Ies. 15, 3.

27. C. 18, 17.

28. 1. Sam. 9, 26.

rei, quae ibi narratur, admonitu, et verbi Hebraici הַחוּצָה indicio, reponatur εἰς ἀγορὰν, hoc est, *in publicum*, foras. Atque huius ipsius nominis vtroque numero redditum in versione Alexandrina [29] legimus numerum vtrumque vocabuli שׁוּק: quo eodem verbo interpres librorum Noui Testamenti Syrus, non solum nomen ἀγορὰ [30], sed etiam vocabula πλατεῖαι [31], et ῥύμαι [32], explicauit. Ex his igitur, quae breuiter disputauimus de vsu nominis ἀγορὰ in antiquis Veteris Testamenti versionibus, intellegi posse a quoque videtur, potestatem eius in dialecto Macedonica, certe Alexandrina, tam late patuisse, vt etiam singulari illius numero indicarentur omnia *loca publica*, hoc est, non tantum *fora*, sed etiam *plateae*, et *viae*, opidorum. Quae quidem vis quin illi recte tribui potuerit, quis dubitet, quum homines, et ciues, non tantum in foris, sed etiam in plateis, atque viis, coire, et circulari, soleant? Iam vero quum confessa, et manifesta, res sit, Euangelistas ipsos quoque consuetudinem loquendi Alexandrinam esse sequutos, adeo, vt vtrumque numerum nominis שׁוּק expresserint numero vtroque vocabuli ἀγορά· qua de re iam Heinsius pater [33] lectores Novi Testamenti praeclare admonuit; quum singularis numerus Hebraei vocabuli, non semper vnum locum publicum, hoc est, forum, significarit, sed saepenumero pro plurali positus fuerit,

29. Eccles. 12, 4. s. Cant. 3, 2. Sed Prouu. 7, 8. pro בַּשּׁוּק in eadem versione est ἐν διόδοις, quum Latinus interpres vsus sit verbis *per plateam*.

30. Matth. 11, 16.

31. Matth. 12, 19. Luc. 10, 10.

32. Matth. 6, 2.

33. Exercitatt. ad Marc. 7, 4. p. 111. s.

rit, ita, vt, vel *omnia loca publica* opidorum, vel certe *multa*, complecteretur, id est, nunc *forum*, et *plateas*, nunc *plateas* tantum, atque *vias*, indicaret: ab interpretibus librorum diuinorum, qui reperire velint, quae loco quoque potestas nomini ἀγορὰ subiecta sit, diligenter habendam esse rationem ipsarum rerum, de quibus exponitur, quis non intellegit? Profecto huius praecepti auctoritatem qui sequutus fuerit, eum speramus esse nullo modo dubitaturum, quin eo loco commentariorum Marci [34], quo Pharisaei, reliquique Iudaei, leguntur manus lauisse ante prandium, et coenam, ἀπὸ ἀγορᾶς, hoc vocabulo omnino *publicum*, loca publica, hoc est, forum, et plateae, declarentur, non minus, quam locis euangeliorum his [35], quibus iidem, aliique Iudaeorum principes, impense affectasse referuntur salutationes ἐν ταῖς ἀγοραῖς. Etsi enim non ignoramus, exortum esse nuper virum aliquem doctrinae Graecae laude clarum, qui verba ἀπὸ ἀγορᾶς coniungenda cum verbis οὐκ ἐσθίουσι ita censeret, vt ἀγορὰ essent *res in foro venales:* tamen hanc viri doctissimi opinionem vel eo conuinci posse arbitramur, quod certissimum est, vt supra demonstrauimus, ab Euangelista vocabulo ἀγορὰ redditum esse nomen Hebraicum שוק, quod a nemine vnquam de rebus promercalibus, victuue in foro venali, vsurpatum constet. Et quum lecti, in quibus iacebant aegroti, qui a Christo sanari gestirent, collocati fuisse, atque propositi, dicuntur [36] ἐν ταῖς ἀγοραῖς· quid est, quo lectores cogantur de certo quodam locorum publicorum genere, de foris puta, cogita-

re?

34. C. 7, 4.
35. Vid. supra not. 9.
36. *Marc.* 6, 56.

re? quidni potius ſtatuamus, nomen ἀγορὰ etiam a Marco ita eſſe poſitum, vt ad omnia locorum publicorum genera, id eſt, ad fora, et plateas, pertineret? Quem vero inſtituta ciuitatum bene moratarum non doceant, eo loco commentariorum Matthaei [37], quo commemorantur a Chriſto luſus puerorum ἐν ἀγοραῖς, hoc ipſum verbum oportere ita accipi, vt eo plateae tantum, et viae, opidorum ſignificari exiſtimentur? Neque enim commouere quenquam, vt in alia omnia eat, debet lectio ἐν ἀγορᾷ, quam e Lucae commentariis in codices quoſdam euangelii Matthaei profectam eſſe ſupra ſignificauimus, quum ex iis, quae paulo ante diſputata ſunt, conſtet, vſum loquendi, et Hebraicum, et Alexandrinum, ſingulari numero nominum שׁוק, et ἀγορὰ, partes numeri multitudinis dediſſe. Etenim pueri Iudaeorum, qui viderent, in nuptiis, et choreis, tibias adhiberi [38], ſed in funeribus naenias cani [39], putandi ſunt in plateis ludentes eadem feciſſe, atque adeo colluſoribus, qui, neque laetis, neque triſtibus, carminibus commouerentur, hanc inhu-

37. C. 11, 16.

38. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. חליל, et Bartholinus in de tibiis veterum 2, 12.

39. Matthaeus vſus eſt verbo θρηνεῖν· quod Buxtorfius d. l. interpretatur *lamentari tibiis*, h. e. *naeniam canere ad tibias*. Quam tamen interpretationem verbi θρηνεῖν ingenium non admittit. Hoc enim reſpondet verbo Hebraico קוֹנֵן, quod tantum *naeniam*, carmen lugubre, *canere* [Sueton. Octau. 100.] ſignificat. Quare *praeficae*, et ab Hebraeis [Ier. 9, 16.] הַמְקוֹנְנוֹת dicuntur, et a Graecis αἱ θρηνοῦσαι, h. e. θρηνῳδοὶ ἐπ' ἐκφορὰν Gloſſ. vett. vid. Aeſop. fab. 122. Caeterum non ignoramus, etiam apud Iudaeos illorum temporum naenias cantatas eſſe ad tibias. vid. Matth. 9, 23.

humanitatis, et morofitatis, infolentiam exprobraffe. Quo ipfo peruerfitatis vitio quum Pharifaeorum, et iureconfultorum Iudaeorum, animi laborarent, qui fe, neque auftera, et dura, viuendi ratione Iohannis permoueri fiuiffent, neque humana, et iucunda, vita Iefu fe adduci finerent, vt eum crederent, et faterentur, effe Meffian, eiufque praecepta fequerentur, vitaque, et moribus, exprimerent: propterea hanc immanem animi eorum duritiem fimilem effe oftendit magifter hominum optimus ftupori fenfuum, et morofitati nouae, iftorum puerorum. Quum igitur ex hac difputatione noftra fatis elucere videatur, vocabulo ἀγορὰ ab Euangeliftis etiam *publicum*; loca publica omnis generis, fora, et plateas, opidorum, maximeque has, fignificari: quis non miretur, Lexicographos Noui Teftamenti ad vnum omnes, etiamfi fere peccarint in hanc partem, vt poteftatem verborum fingulorum dilatarent iufto laxius, tamen huius nominis vim ita coarctare conatos effe, vt eam tantum ad fora pertinere praeceperint? Sed eodem hoc errore lapfi funt in explicando nomine κατασκήνωσις Stocquius, Schoetgenius, Simonius, et alii. Etenim κατασκηνώσεις in euangelio Matthaei [40], et Lucae [41], tradunt effe *nidos* [42], verbis Lutheri, Latiniue interpretis antiqui, decepti, quum tamen, et ipfius rei, et vfus loquendi Euangeliftarum, indicio videre facile, atque cognofcere, potuiffent cum Suartio, vocabulo illo a fcriptoribus diuinis notata effe *loca*, *in quibus*

40. C. 8, 20.

41. C. 9, 58.

42. Notauit iam vanitatem huius interpretationis vocabuli Graeci Gataquerus Aduerfarr. mifcell. 2, 17. p. 363. Trai.

bus consident, et quiescunt, volucres noctu, etiam interdiu, tutae ab omni caeli iniuria: quae loca recte dixeris vno verbo *latibula*, vel *cubilia*. Quum enim iureconsultorum Iudaeorum aliquis ad Christum Genesaram cum discipulis iamiam traiecturum adiisset, atque ostendisset, sese comitem sequuturum esse ipsum; quum Christus videret, hominem tanta cupiditate appetere consuetudinem, et familiaritatem, suam, non propterea, vt sua disciplina, doctrinaque, vteretur, verum eo animo, vt frueretur diuitiis, quas parari a se, faciundis portentis, et depellendis morbis, putaret: vt non modo reiiceret petentem, sed etiam impiam illius calliditatem, leuitatemque [43], notaret, affirmauit ei, inopiam suam tantam esse, vt ipso etiam domicilio, atque habitaculo, careret [44], quum tamen vulpeculis sua

43. Nam Christus laudat vulpeculas, et auiculas. Sed vulpecula est imago hominis callidi, et insidiatoris fraudulenti, auicula hominis leuis, et inconstantis. vid. Boëtius Consol. philosoph. 4. p. 96. Leid. a. 1656.

44. Verba Christi sunt, ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει, ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. Homines enim habitacula appetunt maxime propterea, vt quietem ibi capiant: sed qui corpus quieti dant, ii in primis hoc agunt, vt caput quiescat. Ex quo apparet, cur formula τὴν κεφαλὴν κλίνειν significet, primum *quiescere*, deinde *habitaculum, domicilium, habere*. Quam quidem eius vim eleganter aperuit, et Chrysostomus, qui [homil. 28. p. 335. A To. I. edit. Duc. Francof.] verba illa Christi interpretatus est sic, Οὐχ ὁρᾷς, ὅτι οὔτε καταγώγιόν μοί ἐστιν — κ. τ. λ.: et Theophylactus, qui [p. 32. Rom.] ad eundem Matthaei locum annotavit haec, Προσδοκᾷς ἀκολουθῶν ἐμοὶ χρήματα συλλέγειν; οὐχ ὁρᾷς, ὅτι ἄοικός εἰμι; et ad Luc. 9, 58. pag. 261. τοσοῦτον γὰρ πτωχείαν εἰσηγοῦμαι καὶ διδάσκω, ὥστε τἄλλα μὲν ζῷα φωλεοὺς ἔχειν, ἐμὲ δὲ οὐδὲ οἰκίαν. Aeque elegantia sunt verba, quibus

sua essent lustra, et latibula [45], auiculis suae κατασκηνώσεις. Quae quidem orationis Christi series quem non doceat, κατασκηνώσεις esse *latibula*, non *nidos*? Neque enim volucres in nidis semper, omnique anni tempore, versantur, neque propterea, vt quiescant, et tutae sint ab iniuria aëris. Atque hanc vocabuli κατασκήνωσις interpretationem vsu verbi κατασκηνοῦν ita confirmatam stare videmus, vt labefactari nullo modo a quoquam possit. Hoc enim verbum in ipsis Matthaei [46], et Marci [47], et Lucae [48], commentariis

quibus Hieronymus interpretatus est verba illa Christi: *Quid me propter diuitias, et saeculi lucra, cupis sequi, quum tantae sim paupertatis, vt ne hospitiolum quidem habeam, et non meo vtar tecto?* v. To. 9. Opp. p. 12. b Basil.

45. Φωλεοὶ dicuntur a Matthaeo, et Luca. Iam Ammonius, Φωλεὸς, inquit, καὶ κοίτη διαφέρει. Φωλεὸς μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν ἑρπετῶν τάσσεται — ὥστε ἐπὶ μὲν τῶν ἑρπετῶν ῥητέον τὸ φωλεύειν. At quanquam nomen φωλεὸς de *latibulis serpentium* extat ap. Pausan. 8, 16. p. 632. Kuhn. et Apollod. biblioth. 1, 9. 11.: vt verbum φωλεύειν Aesop. fab. 141.: tamen ap. eundem Pausan. 4, 18. p. 325. nomen φωλίον, quod omissum est in thesauro Stephani, legitur de *lustro vulpeculae*, vt nomen φωλεὸς de *lustro vrsae* apud Aelian. H. AA. 6, 3., et numerus pluralis eius de *lustris tigridum* apud Pseudoplutarch. de fluminn. nominn. pag. 14. Mosac. Rectius igitur praecipit Hesychius, et ex eo Phavorinus: Φωλεόν· — οὗ τὰ θηρία κοιμᾶται. Gloss. vett. Φωλεὸς *Lustrum, latebra, latibulum, cubile.* Φωλεοὶ *Lustra, latebrae.* v. Vuetstenius ad Matth. 8, 20. Notauit enim iam Eustathius ad Odyss. λ' p. 1682. 34. Rom. vanitatem praecepti Ammonii de vsu nominis φωλεὸς, Ἐνταῦθα δὲ μνηστέον, inquiens, τοῦ εἰπόντος, ὅτι ἐπὶ ἑρπετῶν ὁ φωλεὸς, ἐφ' ὧν καὶ τὸ φωλεύειν, καὶ ῥητέον, ὡς οὐ πάντη ἐκεῖνος ἠλήθευσεν. Ἄρκτοι γὰρ μὴ ἑρπετὰ οὖσαι φωλεῖν λέγονται, ὃ ταὐτόν ἐστι τῷ φωλεύειν κ. τ. λ.

46. C. 13, 32.

47. C. 4, 32.

48. C. 13, 19.

tariis legitur de auiculis, quae in ramis arbuſcularum, non nidulantur, ſed omnino conſident, et quieſcunt, et quaſi habitant. Chriſtus enim vt vim euangelii, atque efficacitatem, incredibilem demonſtraret, vt doceret, numerum ſectatorum doctrinae diuinae, gregem alumnorum diſciplinae ſuae, qui nunc eſſet praecipue paruus, et exiguus, paulatim tantopere auctum iri, vt nulla alia doctrina tot amatores, nulla cuiuſquam diſciplina tot alumnos, vnquam numeraſſe reperiretur, neque numeratura eſſet: euangelium aiebat ſimile eſſe grano ſinapis, omnium granorum minimo, ſed quod terrae mandatum efferret tantum olus, quod, non tam oleris formam, quam potius arboris ſpeciem, referret, cuius in ramis volucres conſidere, atque quieſcere, ſolerent. Verba Matthaei, a quibus nec caeterorum Euangeliſtarum verba diſcrepant, ſunt haec, καὶ γίνεται δένδρον, ὥστε ἐλθεῖν τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ κατασκηνοῦν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ. Iam vero Latinus interpres verbum κατασκηνοῦν, in commentariis Matthaei, et Marci, verbo *habitare*, ſed in Lucae euangelio verbo *requieſcere*, reddidit, atque adeo maiorem probauit conſtantiam, quam interpres Syrus, qui illud ipſum verbum Graecum in duobus quidem locis [49] verbo ܢܫܟܢܘܢ, ſed in vno [50], verbo ܢܛܠܠܘܢ, explicauit: quod verbum nec caeteris in locis commutare altero debuiſſet. Neque enim dubitari vllo modo poteſt, quin ſacri ſcriptores verbo Graeco Hebraeum שָׁכַן expreſſerint, quod, vt de aliis beſtiis, ita etiam de auibus, vſurpatur ſic, vt ſit

49. Matth. 13, 32. Luc. 13, 19.

50. Marc. 4, 32.

ſit *commorari*, *verſari*, *habitare*, *quieſcere*, *cubare*, *conſidere*, atque adeo idem valeat, quod verba Chaldaica מְדַר, et אַטְלָה. Quam quidem in rem egregius locus, et locis Euangeliſtarum omnino ſimilis, in Danielis libello [51] extat, vbi Nabuchodonoſor, rex, in ſomnis vidiſſe refertur, praeter alia, arborem, et altiſſimam, et maxime patulam, ſub qua תַּטְלֵל חֵיוַת בָּרָא וּבְעַנְפּוֹהִי יְדֻרָן צִפֲּרֵי שְׁמַיָּא: ſed paulo poſt [52], vbi, non tam coniecisse regi, quam interpretatus eſſe, ſomnium illud legitur Daniel, in locum verbi תַּטְלֵל ſuffectum reperitur verbum תְּדוּר, et pro verbo יְדֻרָן verbum יִשְׁכְּנָן poſitum cernitur. Quae quidem vtriuſque loci comparatio commonſtrare poteſt omnibus, tribus illis verbis vnam eſſe, eandemque, notionem ſubiectam. Verborum autem מְדַר, et אַטְלָה, nemo neſcit hanc eſſe vim, vt ſignificent *habitare*, et *verſari*, *quieſcere*, et *conſidere*, adeo, vt nec verbum מִשְׁכַּן ab iis diſcrepare, ſed vnum ſonare, intellegatur. Id quum non fugeret Iudaeos illos, qui Ezechielis oracula in Graecum conuerterunt, hoc ipſum verbum שְׁכַן, quod de auibus poſitum viderent, verbo *ἀναπαύεσθαι* explicarunt [53]: ſed Theodotioni viſum eſt, loco Danielis ante laudato, illud, vt verbum אַטְלָה, exprimere verbo *κατασκηνοῦν* [54]. Nam *κατῴκουν*, quod in codice Alexandrino legitur pro *κατεσκήνουν*, non tam ab alio interprete profectum, quam potius ex altero prophetae loco [55] illuc, librarii incuria, migraſſe videtur. Sed

51. C. 4, 9.
52. C. 4, 18.
53. C. 17, 23.
54. C. 4, 9. 18.
55. C. 4, 9. Zonaras chron. p. 86. To. 1. Volf. eandem rem attingens, vtitur verbis his, *ὑπ᾽ αὐτὸ δὲ κατεσκή-*

T

Sed hoc tamen interpretamentum vtrumque ſane melius eſt, reique, et verbi Chaldaici, naturae accommodatius, quam verbum νοσσεύειν, quod in verſione Danielis Alexandrina, quae nuper Romae edita eſt, Gotingaeque repetita, inuenitur. Hoc enim verbum verbo Hebraeo קָנַן reſpondere, quis ignorat? Quum igitur certum ſit, et exploratum, Euangeliſtas ipſos quoque verbo κατασκηνȣ̃ν reddidiſſe Hebraeum verbum שָׁכַן, non קָנַן, quod tamen in verſione euangelii Matthaei Hebraica a Munſtero emiſſa comparet: quem non pudeat, voces Lexicorum, illud verbis *nidulari*, et *nidificare*, interpretantium, ſequi potius, quam vſus loquendi auctoritatem, qui illi poteſtatem *commorandi*, *habitandi*, *quieſcendi*, *verſandi* [56], vel, quo verbo Iuuencus, preſbyter, in hiſtoria euangelica [57] vſus eſt, *conſidendi*, addictam teſtatur? Iam vero ſi Matthaeus, et Lucas, verbum Hebraicum שָׁכַן, quod de auiculis ita ponitur, vt ſit *habitare*, *quieſcere*, *conſidere*, verbo Graeco κατασκηνȣ̃ν reddiderunt: certe dubitari a nemine vllo modo recte poteſt, quin etiam nomine κατασκηνώσεις ab iiſdem Euangeliſtis nomen Hebraeum מִשְׁכָּנִים, vel מִשְׁכָּנוֹת, vel Chaldaicum, et Syriacum, ܡܛܠܠܐ, ita expreſſum ſit, vt ſignificaret, non *nidos*, immo *habitacula*, *latibula*, εὐνὰς, loca, in quibus auiculae noctu, etiam interdiu, conſident, atque quieſcunt,

σκήνȣν τὰ θηρία τὰ ἄγρια, καὶ τὰ πετεινὰ ἐν τοῖς κλάδοις κατῴκει αὐτȣ̃. Sic etiam verbum εὐνάζεσθαι apud Homerum Odyſ. ε, 65. de auibus legitur, ita, vt ſit *conſidere*, non *nidulari*, vt vertunt interpretes Latini.

56. Interpres Latinus Dan. 4, 9. 18. vſus eſt verbis *conuerſari*, et *commorari*.

57. 2, 824. ſ. — *ramis vt plumea turba Conſidat, poſſitque vmbras habitare virentes.*

escunt, ab iniuria caeli tutae. Et profecto saepe mirati sumus, non modo Lexicographos omnes, sed etiam reliquos interpretes, Noui Testamenti, Hammondo, paucisque aliis, exceptis, vna quasi conspiratione, et consensu, praecipere, verbo κακολογεῖν notionem *male dicendi*, et *obtrectandi*, subiectam esse a Matthaeo [58], et Marco [59], vbi referunt, Christum exprobrasse Pharisaeis, et iureconsultis Hierosolymitanis, insignem, et stultissimam, leuitatem, peruersitatemque, qua ablati mallent decretis synedrorum, quamuis impiis, et nefariis, satisfacere potius, quam parere imperio, et auctoritati, legum, atque praeceptorum dei sanctissimorum. Neque enim tantum orationis Christi series, sed multo etiam magis natura, et leges, oppositionis verborum, docere istos homines facile poterant, verbo illo omnia contemtionis, neglectionisque, parentum genera comprehendi. Nam verbum κακολογεῖν opponitur ab Euangelistis verbo τιμᾷν, ita, vt eo necesse sit idem declarari, quod verbo ἀτιμάζειν. Τιμᾷν autem, vt verbum כִּבֵּד in lingua Hebraeorum, ad homines sic refertur, vt sit, non modo aliquem *magni aestimare*, *diligere*, *carum habere*, *caritate complecti*, sed etiam *caritatem beniuolentiae expromere*, et declarare, vel *oratione*, et verbis, ita, vt alteri semper bene dicas, bene de eo existimes, laudibus eum, atque gratiis, venerere, vel *factis*, et re ipsa, vt omni eum tempore, atque loco, colas, et obserues, quocunque modo, vt auctoritate eius moueare, atque consiliis, et praeceptis, et iussis, obtemperes, atque pareas, vt commoda eius, et ratio-

 nes,

58. C. 15, 4. 59. C. 7, 10.

nes, adiuues, vt ei profis, vt inopiae eius copiis tuis fuccurras, vt victum ei, cultumque, corporis fuppedites. Iam vero verbo כִּבֵּד opponuntur ab Hebraeis verba קִלֵּל, et הִקְלָה [60], quae adeo et ipfa ponuntur de iis, qui, et *contemnunt* alios, atque *vilipendunt*, et hanc fuam eorum *contemtionem*, atque defpicientiam, indicant, atque *produnt*, non folum *ore*, ita, vt male iis dicant, male de iis opinentur, iis obtrectent, eos vituperent, fed etiam *re ipfa*, vt eos neglegant, neque curent vllo modo, vt commodis eorum, et rationibus, defint, vt eos iacere in inopia finant, neque rebus ad viuendum neceffariis iuuent. Iudaei autem Alexandrini verbum הִקְלָה verbo ἀτιμάζειν explicarunt [61], et verbum קִלֵּל, pro quo in Symmachi, caeterorumque interpretum, reliquiis idem illud verbum Graecum pofitum exftat [62], interpretati funt, vt aliis in locis [63], ita etiam in loco Exodi illo, quem Chriftus laudavit [64], verbo κακολογεῖν, quod fcirent, verbum Hebraicum maxime, et creberrime, vfurpari de iis, qui aliis male dicerent, ita, vt dubitari non poffit, quin poteftas verbi κακολογεῖν apud Matthaeum, et Marcum, quum verbo τιμᾶν opponatur, aeque late pateat, atque vis verbi ἀτιμάζειν. Vt igitur liberi a deo iubentur τιμᾶν τὸν πατέρα, καὶ τὴν μητέρα, hoc eft, *parentes caros habere, beniuolentiaeque caritatem erga eos declarare femper, et oratione atque verbis, et factis atque re ipfa, maximeque eo, vt inopiae eorum adfint, atque res illis ad viuendum neceffarias fuppeditent:*

60. Vid. Ex. 20, 12. Deut. 5, 16. coll. Ex. 21, 17. Deut. 27, 16.

61. Deut. 27, 16.

62. Ex. 22, 28.

63. Ex. 22, 28.

64. C. 21, 17.

tent [65]: ita iidem vetantur κακολογεῖν πατέρα, ἢ μητέρα, id eſt, *contemnere parentes, ſuumque eorum contemtum prodere, neque ore, neque ipſa re, in primiſque eo, vt inopiae eorum deſint, vt petentibus, et victum, et cultum, corporis negent.* Cuius quidem rei optimus magiſter, et auctor certiſſimus, eſt ipſe Chriſtus, quo praeeunte Matthaeus verba קַלֵּל, et κακολογεῖν, interpretatus eſt verbis ȣ τιμᾷν [66], ita tamen, vt vterque maxime ſpectari vellet genus impietatis aduerſus parentes illud, quod in eo poſitum eſt, vt liberi parentum inopiam leuare recuſent. id quod clare ſatis, atque euidenter, Marcus oſtendit, qui verba Matthaei, ȣ μὴ τιμῆσαι τὸν πατέρα αὐτȣ̃, ἢ τὴν μητέρα αὐτȣ̃, com-

T 3

65. Hieronymus ad Matth. d. l. p. 22. b To. 9. Opp. Baſil.: *Honor in ſcripturis, non tantum in ſalutationibus et officiis deferendis, quantum in eleemoſynis, ac munerum oblatione, ſentitur.* Honora, *inquit Apoſtolus*, viduas, quae verae viduae ſunt. *hic* honor *donum intelligitur. Et in alio loco*, Preſbyteri duplici honore honorandi, maxime qui laborant in verbo et doctrina dei. *Et per hoc mandatum iubemur boui trituranti os non claudere: et dignus ſit operarius mercede ſua. Praeceperat dominus, vel imbecillitates, vel aetates, vel penurias, parentum conſiderans, vt filii bonorarent, etiam in vitae neceſſariis miniſtrandis, parentes ſuos.* Xenocrates philoſophus apud Porphyrium de abſtinent. animall. 4, 22. pag. 178. ſ. Cantabrig. refert, Eleuſinios diligenter obſervaſſe ſua aetate etiam legem, qua iuſſiſſet Triptolemus γονεῖς τιμᾷν, Δεῖ γὰρ, inquiens, τȣ̀ς μὲν γονεῖς, εὐεργέτας ἡμῶν γεγενημένȣς, ἀντευποιεῖν, ἐφ᾽ ὅσον ἐνδέχεται· et Hierocles commentarr. in carmm. Pythagorae p. 46. Nedh. τιμὴ γονέων, inquit, ἡ ὄντως, ἣν δίδωσιν ὁ τῆς ἀρετῆς σκοπός· μήτε σωμάτων φειδομένȣς ἡμᾶς, μήτε χρημάτων, ἀλλ᾽ ἑκόντας αὐτοῖς ὑποτετάχθαι εἰς πάντα τὰ τοιαῦτα. Conf. Menagius ad Laërt. 1, 55. p. 31. a Meibom. et Ioh. Seldenius de iure nat. et gentt. e diſc. Hebrr. 7, 2.

66. C. 15, 5.

commutauit [97] verbis, ὀδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ, ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ, hoc est, ὀδὲν διδόναι, quibus verbis Theophylactus Matthaei [68] verba ὀ μὴ τιμῆσαι scientissime explicauit [68]. Nam quum Matthaeus ὃς ἂν εἴπῃ scripserit pro ἐάν τις, vel, quae sunt verba Marci [69], ἐὰν ἄνθρωπος, rationem Hebraeorum sequutus, qui pronomen אֲשֶׁר, vel simpliciter, vel adiuncto nomine aliquo [70], ita ponere solent, vt sit *si quis:* facile apparet, verba, quibus Christus complexus est decretum synedrorum illud, quo funditus euerti legem dei de parentibus pie colendis queritur, haec, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ, ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς· καὶ ὀ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ, enuntiatione hypothetica, sed manca illa, neque numeris suis absoluta, contineri. Caret enim parte altera, quae vulgo apodosis vocatur, ita, vt post verba, καὶ ὀ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ, quae Christus subiunxisse censendus est [71] ipsi Iudaeorum praecepto, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ, ἢ τῇ μητρὶ, Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, vt, quid inde sequeretur, doceret, addi cogitatione debeant verba εὖ ἔχει, vel similia: qua de re alio loco [72] plura a nobis dicta sunt. Itaque oratio Christi, optimi seruatoris, impiam principum Iudaeorum leui-

67. C. 7, 12.
68. p. 62. Rom.
69. C. 7, 11.
70. Vt Leuit. 4, 22. אֲשֶׁר נָשִׂיא יֶחֱטָא, h. e. אִם נָשִׂיא יֶחֱטָא vid. v. 3. et v. 27. Alexandrini Iudaei eleganter vertunt, ἐὰν δὲ ὁ ἄρχων ἁμάρτῃ.

71. Vid. Marc. 7, 11.
72. Prolus. de linguae Graecae interioris scientia, interpretationis librorum N. T. adiumento maxime necessario s. 5., quae est quinta Prolusf. in V. et N. T., p. 124. ss.

leuitatem obiurgantis, hanc habet ſententiam, *Deus parentes coli omnibus modis, et etiam iuuari, a liberis iuſſit, necemque propoſuit ſecus facientibus: vos vero docetis, qui parentes, ipſius opem implorantes, reiiciat, quod rem ſuam deo vouerit, templique vſibus deſtinarit, eum recte facere, neque delinquere.* Sic vero planum a nobis factum eſſe putamus, Lexicorum Noui Teſtamenti auctores etiam in hanc partem peccaſſe, vt multa verba, quibus vſus loquendi ſcriptorum ſacrorum genus quoddam rerum denotari iuſſiſſe repe[illegible]etur, ea ita explicarint, vt iis formam illius generis, et ſpeciem aliquam indicari praeceperint.

III. Reliquum eſt, vt fautoribus diſciplinae, inſtitutorumque, ſcholae Thomanae omnino omnibus ſignificemus, conſtituiſſe alumnos eius publicos tres, ſpei bonae adoleſcentes, CAR BENI. EHRENHVSIVM, *Vlberidorpio Miſnicum*, CHRISTI. THEOPH. LEHNIVM, *Thraena Miſnicum*, CAR. GVIL. GREDINGIVM, *Graeza Nariſcum*, ante, quam, relictis ſcholae ſubſelliis, doctorum academiae Lipſienſis auditoria frequentare inſtituerent, patronis ampliſſimis, et grauiſſimis curatoribus, ſcholae noſtrae, quorum liberalitate, et benignitate, ſapientia, et prouidentia, ſua literarum ſtudia per tot annos tantopere adiuta eſſe ſcirent, pro ſtudio virtutis, et honeſtatis, ſuo, gratias publice ita agere, vt etiam facultatis ſuae Latine dicendi qualiſcunque documenta darent. Extitimus enim illis auctores, vt, non modo *naturam, rationemque, diligentis, et accuratae, lectionis, atque interpretationis, ſcriptorum veterum vtriuſque linguae* explicarent, ſed etiam oſtenderent,

quot, *et quanta*, *bona*, *atque ornamenta*, *mentis*, *et animi*, *et orationis*, *proficiscerentur ab illa ipsa lectione*, *atque enarratione*, *librorum barbarorum*, quo appareret, ipsos adhuc non esse commotos vocibus illiberalibus, stultisque, eorum, qui clamant, omnem illam operam, et curam, quae in legendis, et interpretandis, libris Latinis, atque Graecis, ponatur, inanem esse, atque inutilem, quae nemini, qui in tractandis artibus maioribus, et grauioribus disciplinis, versetur, vllos fructus, vlla praemia, aurea scilicet, et argentea, vnquam ferat. Sed quo certius nos sperare liberalitas, et constantia, optimorum iuvenum iubet, eos porro studiosissime persequuturos esse sectam, atque instituta, eorum, qui, non tam praeceptorum copia, quam exemplorum suorum auctoritate, demonstrent ingenuis adulescentibus, et commendent, summam vtilitatem assiduae, et diligentis, lectionis, atque interpretationis, librorum vtriusque sermonis in omni vitae, studiorumque, genere: eo vehementius rogatos cupimus patronos, et curatores, et fautores omnes, scholae Thomanae, velint perendie collegio nostro hoc honoris habere, vt, si commodum est, hora VIIII. matutina in auditorio classico frequentes conueniant, laudatorumque illorum doctrinae Graecae, et Latinae, oratiunculas auribus beniuolis accipiant. Qua quidem beniuolentiae, et fauoris, significatione maximum, et nobis, et discipulis omnibus, beneficium tributum esse existimabimus, cuius memoria laetos cotidie, atque dulces, fructus nostrae disciplinae ferat. Nam vbi meminerint adulescentes ingenui, quantus favor,

vor, quanta ſtudia, eorum virorum, quibus conſtet nihil, niſi recta, et honeſta, bona, et vtilia, placere, probarique, et poſſe, et ſolere, contigerint orationibus iis, quae tot, et tanta, commoda, atque ornamenta, lectionis, et interpretationis, ſcriptorum veterum accuratae propoſuerint: nonne magiſtri confidant, talium diſcipulorum animos, non tam incenſum, quam inflammatum, iri ſtudio, et Graecarum, et Latinarum, literarum tanto, quod eos adeo cogat volumina auctorum vtriuſque ſermonis manu diurna, nocturnaque, verſare? Hac vero tanta docilitate diſcipulorum, hac tanta eorum auiditate cognoſcendi, neque deguſtandi, verum devorandi, cupedias, opeſque, ſalubres linguarum veterum, num gratius quidquam, et iucundius, contingere poſſe putemus magiſtris fidelibus, ſalutiſque, et priuatae diſcipulorum, et publicae patriae, amantibus? Scripſimus Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Nonas Maias A. C. CIƆIƆCCLXXVIIII

PROLVSIO DVODECIMA

DE NOTIONIBVS IVSTO ANGVSTIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS PARTIVM RERVM SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

In numero verborum ſingulorum, quibus a pleriſque Lexicorum Noui Teſtamenti conditoribus iuſto arctiores ſubiici notiones hactenus docere conati ſumus, ponenda etiam illa videntur, quibus etſi auctores, inuentoreſque, ipſi hanc attribuerant vim, vt ſemper certas quasdam rei alicuius partes, atque numeros, ſignificarent, tamen vſus loquendi auctoritas, qui nec hoc in genere ſe vllis adſtrictum vinculis teneri putaret, eam dedit poteſtatem, vt res ſaepenumero totas, integraſque, indicarent. Hebraei enim veteres, pro ſuo ſimplicitatis, et perſpicuitatis, ſtudio, cuius principem illis, et magiſtram, in iſtis orationis incunabulis, atque primordiis, in iſta verborum inopia, atque penuria, apparet extitiſſe ipſam naturam, hanc ſequuti rationem reperiuntur, vt pro verbis, quae eſſent totius alicuius rei ſigna, et notae, vterentur vocabulis, quorum ſono ſingulae illius partes menti offerrentur. Etenim, vt hoc vtar, quum

quum is, qui apud alios, et cum aliis, versatur, inter eos, et exire, et introire, intellegatur: Hebraea lingua rem, quam Latinis verbo *versari* significare visum est, exprimere verbis צֵאת וָבוֹא solet [1]. Cuius quidem rationis vestigia, non solum in Lucae commentariis de rebus Apostolorum apparent eo loco, quo Christus, seruator hominum optimus, perhibetur [2] εἰσελθεῖν, καὶ ἐξελθεῖν, ἐπὶ τοὺς Ἀποστόλους, hoc est, *versatus esse inter Apostolos, et cum Apostolis*, verum etiam in Phoenissis Euripidis, qua in fabula Iocasta, mater, Eteoclen, filium, quem videret solum regnare, Polynice, fratre, excluso, velle, amantissime, et fidelissime, admonens inducitur [3], ne Φιλοτιμίαν, hoc est, Πλεονεξίαν, deam pessimam, et iniustissimam, tanta cupiditate, et studio, affectetur, quae πολλοὺς ἐς οἴκους, καὶ πόλεις, εὐδαίμονας Εἰσῆλθε, κἀξῆλθ', ἐπ' ὀλέθρῳ τῶν χρωμένων, id est, *multis in domibus*, gentibus, familiis, *et vrbibus*, ciuitatibus, *florentibus habitare, et versari, soleat, ita, vt perniciem afferat, atque exitium, amicis suis, et assectatoribus.* Et quoniam ii, qui prandent, et coenant, conuiuantur, et epulantur, et edere solent, et bibere: ab Hebraeis *prandentes*, et *coenantes*, et *epulantes*, dici אָכוֹל וְשָׁתוֹת [4], eorumque exemplo ab Alexandrinis interpretibus non minus, quam ab scriptoribus Noui Testamenti, φάγειν, καὶ πίνειν [5], ἐσθίειν, καὶ πίνειν,

1. Vid. 1. Sam. 18, 13. 16. 29, 6. Deut. 31, 2.

2. C. 1, 21. add. c. 9, 28. Ioh. 10, 9.

3. V. 546. f.: ad quem locum v. Valquenarius.

4. Vid. Gen. 24, 54. 2. Sam. 11, 11. 1. Regg. 18, 41. f. 19, 6. 8. Ruth. 3, 3. 7.

5. Vid. 1. Regg. 18, 41. f. 19, 8. Ruth. 3, 3. 7. Luc. 13, 26. 17, 8. 1. Corr. 10, 7. 15, 32.

νεῖν [6], τρώγειν, καὶ πίνειν [7], quis ignorat? quum tamen ab ipsis sermonis Graeci auctoribus hoc in genere verba ἀριστᾶν, et ἀριστοποιεῖσθαι, δειπνεῖν, et δειπνοποιεῖσθαι, ἑστιᾶσθαι, et εὐωχεῖσθαι, vsurpari constet. Iidem autem Hebraei quum, ipsa ratione duce, et magistra, cognouissent, vna saepenumero multarum rerum parte alteram ita contineri, vt, audito, et percepto, eius vocabulo, menti etiam alterius partis species, atque adeo totius rei forma, occurreret: vel solo huius partis potioris, et praestantioris, verbo recte exprimi rem integram posse putarunt. Moses quidem loco non vno [8] verbum אֱכוֹל simpliciter posuit, ita, vt *coena* illo significaretur: et scriptor is, qui commentarios rerum regum Iudaeae reliquit, quo loco refert, Elian, vatem, qui tantum non enectus fame, et siti, corpus somno dedisset sub dio, a quodam apparitorum dei e somno excitatum, admonitumque, esse, vt coenaret, et caperet cibum, potumque, diuinitus missum, quo refectus, et sustentatus, iter inceptum perageret, rem illam, non modo verbis אֱכוֹל וּשְׁתוֹת, sed etiam verbo אֱכוֹל [9], priuato socio suo, et comite, indicat. Atque hanc dili-

6. Vid. 1. Regg. 1, 25. 4, 20. Prouu. 23, 7. Matth. 24, 49. Marc. 2, 16. Luc. 5, 30. 33. 12, 45. 1. Corr. 11, 22. Sic ἐσθίειν καὶ πίνειν πολυτέλεια, h. e. πολυτελῆ, si quidem scriptura non mendosa est, neque potius legendum πολυτελείᾳ, h. e. πολυτελῶς, pro εὐωχεῖσθαι, siue δειπνεῖν, πολυτελῶς legitur in epistola Aristippi ad Antisthenem, quae est nona in epistolis Socraticorum a Leone Allatio editis, p. 24. s.

7. Vid. Matth. 24, 38.

8. Gen. 43, 16. Iosephus autem Archaeol. 2, 3. p. 41. s. Basil. eandem illam rem, quam Moses ibi attigit, ita exposuit, vt nomine δεῖπνον vsus sit.

9. 1. Regg. 19, 5. 7. coll. v. 6. 8.

diligentem loquendi elegantiam Hebraeorum auctores vtriusque linguae, pro singulari suo vocem naturae sequendi studio, imitati reperiuntur. Etenim a Sallustio quidem in bello Iugurthino [10] Numidis tribuitur haec laus, vt *cibus illis aduersum famem, atque sitim, non lubidini, neque luxuriae*, fuisse dicatur. Qua in oratione etiam caeci cernunt e verbis *aduersum famem, atque sitim*, non existimari, sed iudicari, recte posse, *cibum* accipi, et de esculentis, et de potulentis, debere. Quod quum animaduertissent veteres grammatici, atque adeo oris suorum librorum apposuissent, aut inter versus adscripsissent, admonitionis, et interpretationis, caussa, alii nomen *potus*, alii verba *et potus*, vel *potusque*: sane apparet facile, qui factum sit, vt externis illis, et aduenticiis, verbis augeretur, stulta, ineptaque, librariorum liberalitate, ipsa historici oratio, cum in duobus codicibus, quos Cortius adhibuit, hoc est, Guelferbytano nono, et Bergeriano, vel potius Misenensi, tum in illis libris, e quibus Pomponius Laetus Sallustii opera edidit. Hic autem istius nominis vsus eo minus debet cuiquam nouus, inauditusque, videri, quo magis constat, etiam a Graecis scriptoribus, non tantum verbo σιτεῖσθαι, quod fere valeret *panem edere*, omninoque *esculenta capere*, et, adiunctis eorum, quibus vescimur, generum vocabulis, simpliciter *edere*, hanc tributam esse vim, vt *coenare*, esculenta, atque potulenta, capere, significaret [11], sed etiam nomina σῖτα, et σιτία, multis

10. C. 89, 8.

11. Vid. Xen. Cyrop. 1, 2. 8. Atque sic verbum σιτεῖσθαι legitur iam apud Homer. Odyss. ώ, 208.: quo ex loco sumta est glossa σιτέσκοντο,

multis in locis ita posita reperiri, vt omnia, et *esculentorum*, et *potulentorum*, genera complecterentur [12]. Quem ipsum honorem ab iis habitum esse vocabulo γαστὴρ, quis nescit? Hoc enim nomen quum etiam *ventriculum*, cibi receptaculum, significaret: accidit, vt consuetudo loquendi illud, non solum ipsi *cibo* imponeret, atque adeo a nomine ποτὸν distingueret, sed etiam paulatim

σκοντο, id quod Ioh. Iensius in lucubrationibus Hesychianis p. 213. animaduertit, apud Hesychium, qui adiecit illi haec glossemata, ἐσιτοῦντο, ἤσθιον, ἠρίστουν· quae cum ipsa glossa repetiit Phauorinus in Lexico suo: cuius tamen in exemplo Basileensi vitiose scriptum est σιτίσκοντο, quam mendam inde nec iis eximere placuit, qui exemplum Venetum curarunt. In scholiis minoribus explicatur verbis σίτου, καὶ τροφῆς, μεταλάμβανον, vt Suidas v. σιτομετρεῖν, σιτοποιεῖσθαι apud Xen. Cyrop. 1, 6. 19. significare ostendit τροφὴν λαμβάνειν. Verbum σιτίζειν pro δειπνίζειν, et εὐωχεῖν, et ἑστιᾶν, legitur in epistola Aristippi ad Antisthenem supra laudata, p. 25.

12. Vid. Herodo. 1, 190. coll. Xen. Cyrop. 7, 5. 7. Nam quae Herodotus σιτία vocat, ea Xenophon. τὰ ἐπιτήδεια nominat. Suidas: Σῖτα, ἡ τροφὴ, σῖτα, καὶ ποτά. Ξενοφῶν δὲ ἐπιτήδεια καλεῖ. Respexisse enim videtur grammaticus, a quo Suidas verba illa mutuatus est, maxime ad locum Xenophontis Cyrop. 4, 2. 17. 19.: vbi σῖτα καὶ ποτὰ, et τὰ ἐπιτήδεια, sunt verba idem valentia. Nam §. 19. etiam in cod. Guelf. σίτοις legitur, non σιτίοις, quae est editorum, nunc librorum scriptura. Alii eiusmodi loci, vbi τὰ ἐπιτήδεια dicuntur *esculenta*, *et potulenta*, sunt Cyrop. 1, 6. 19. 5, 3. 16. 5, 4. 9. 6, 2. 10.: et quum 1, 6. 9. Cyrus dixisset, οὐκοῦν ταῦτα [τὰ ἐπιτήδεια] μὲν — Κυαξάρης φησὶ παρέξειν τοῖς ἐντεῦθεν πᾶσιν οὖσιν· §. 12. καὶ περὶ μὲν τροφῆς, inquit, ἐπείσθην, ἱκανὸν εἶναι ὑπάρχον, ὅ, τι Κυαξάρης ἔμελλε παρέξειν ἡμῖν. Numerus autem singularis σῖτον ab Homero quoque de cibo, et potu, positus videtur Il. ω', 129. 602. 613. 619. coll. v. 628.

latim inſtitueret ſimpliciter, omiſſo vocabulo altero, vſurpare de *cibo*, et *potu*. Xenophon certe quidem in illo Cyropaediae loco, quo refert, magiſtros puerorum apud Perſas etiam hoc ſtudioſe egiſſe, vt diſciplinae ſuae alumnos continentiae in victu aſſuefacerent, διδάσκουσι δὲ, inquit [13], καὶ ἐγκρατεῖς εἶναι γαστρὸς, καὶ ποτοῦ· ſed in commentariis dictorum, et factorum, Socratis eximiam diuini philoſophi in victu temperantiam ita praedicat [14], vt eum γαστρὸς πάντων ἀνθρώπων ἐγκρατέστατον fuiſſe confirmet: et Epimenides, poëta, in libro oraculorum Cretas legitur [15] γαστέρας appellaſſe nullam aliam ob cauſſam, quam vt luxuriem eorum, et in victu intemperantiam, praecipuam notaret, atque reprehenderet. Conviuium autem ipſum, et accubitionem amicorum epularem, a ſcriptoribus Graecis optimis, non modo σύνδειπνον [16], hoc eſt, *concoenationem*, ſed etiam συμπόσιον, id eſt, *compotationem*, ipſo Cicerone

13. 1, 2. 8.

14. 1, 2. 1.

15. Tit. 1, 12.: vbi v. Hieronymus p. 122. a To. 9. Opp. Baſil. Phauorinus ex Heſychio: Γαστέρες· οἱ τροφῆς μόνης ἐπιμελούμενοι· ſed perperam mutauit verba doctiſſimi grammatici, neque mentem eius aſſequutus eſt. Heſychii enim in Lexico legitur, Γαστέρες οἷον· τροφῆς μόνης ἐπιμελούμενοι· ὡς Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ [v. 26.]. Sed in exemplo eius Aldino, non modo vitioſe μόνας editum eſt, ſed etiam verba ὡς Ἡσ. ἐν τῇ Θεογ. male relata ſunt ad praecedentem gloſſam γάσος, vt in eiuſdem Phauorini Lexico, qui adeo quum non videret, quid ſibi vellet οἷον, pro eo Articulum οἱ repoſuit.

16. Vid. Plato Sympoſ. 1. Athen. 8, 17. p. 365. B: qui locus Athenaei laudatur ab Euſtathio ad Il. π' p. 1085. 42. Rom.

rone interprete [17], vt ab Hebraeis מִשְׁתֶּה [18], nominari, quem harum literarum ſtudioſum fugit? Quum igitur ipſi vtriuſque linguae auctores ſaepenumero totam aliquam rem ſignificaſſe verbis partis illius potioris, excellentioriſque, reperiantur: neminem facile futurum ſperamus, qui magnopere miretur, Euangeliſtas, et Apoſtolos, illam ipſam rationem, praeeuntibus Iudaeis Alexandrinis, ſequutos, in commentariis ſuis, atque epiſtolis, verba δειπνεῖν, et συνδειπνεῖν, commutaſſe verbis φάγειν [19], et ἐσθίειν [20], συνεσθίειν [21], et συμφάγειν [22]. quae adeo ab Lexicographis Noui Teſtamenti, non verbo *edere*, ſed verbo *coenare*, aut certe formula *cibum*, eſculenta, et potulenta, *capere*, explicari debebant. Huius autem diligentiae admonere eos, praeter rem ipſam, facile poterat, primum conſuetudo ſermonis Hebraeorum, e qua verbum אָכַל, vel ſolum, vel nomen לֶחֶם ſecum, tanquam comitem, ac ſocium, habens, ita poneretur, vt idem declararet, quod formula אָכוֹל וְשָׁתוֹת declarari ſupra demonſtrauimus: deinde vſus loquendi ipſorum ſcriptorum diuinorum, Graecorumque alterius Teſtamenti interpretum. Nam Lucas quidem in commentariis rerum Chriſti, oſtendens, eum aliquando a Phariſaeo quodam ad coenam inuitatum eſſe, ἠρώτα δέ τις, inquit [23], αὐτὸν τῶν Φαρισαίων, ἵνα φάγῃ μετ' αὐτȣ. ſed alio loco idem ille Euangeliſta

17. 9. ep. 24, 9. Cat. M. 13. Vid. Stephanus ſchediaſmm. 1, 8.

18. Vid. Iob. 1, 4.: vbi οἱ ό habent πότος, ſed interpres Latinus *conuiuium*.

19. Matth. 15, 20.

20. Matth. 9, 11. coll. v. 10. 26, 21. 26. Marc. 2, 16. 7, 3. ſ. 14, 18. 22.

21. Luc. 15, 2. 1. Corr. 5, 11. Gall. 2, 12.

22. Act. 11, 3.

23. C. 7, 36.

lista eandem sententiam expressit his verbis, ἠρώτα αὐτὸν Φαρισαῖός τις, ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ [24]. Vt enim scriptor diuinus verbo φάγειν Hebraeum verbum אָכוֹל reddidit: ita dubitari recte a nemine potest, quin verbum ἀριστᾷν respondere iusserit formulae Hebraeae אָכוֹל לֶחֶם, atque adeo vtrique verbo tribuerit potestatem verborum δειπνεῖν, et δειπνοποιεῖσθαι, quibus humanos scriptores hoc in genere fere vti consueuisse diximus. Quod quidem fieri ab illo potuisse, eo magis, atque rectius, quis non intellegit, quum, non tantum Theophrastus, elegantissimus scriptor, verbo ἐσθίειν partes verbi δειπνεῖν dedisse alicubi [25] videatur, sed ipsi adeo Alexandrini Iudaei formulam אָכוֹל לֶחֶם, et verbum אָכוֹל cum comite suo אֶת, etiam verbis ἀριστᾷν [26], et συνδειπνεῖν [27], explicasse reperiantur?

II. Hanc

24. C. 11, 37.: vbi παρ' αὐτῷ est Hebr. בְּבֵיתוֹ. vid. Iob. 42, 11.

25. Charr. c. 24, 2. Nam ἐσθίοντι ibi praepositus legitur ἀλειφόμενος.

26. Gen. 43, 25. ἤκουσαν γὰρ, ὅτι ἐκεῖ μέλλει ἀριστᾷν. Nam οἱ ό, aut legisse videntur יאכל לֶחֶם pro יֹאכְלוּ לָחֶם, aut certe haec verba ad solum Iosephum referenda putasse.

27. Gen. 43, 32.: apud Philonem de Ioseph. p. 555. C Paris. est verbum συνεστιᾶσθαι. Sed 2. Sam. 12, 17., vbi in exemplo Complut. pro καὶ οὐ συνέφαγεν αὐτοῖς ἄρτον legitur οὐδὲ συνεδείπνησεν ἄρτον μετ' αὐτῶν, certum videtur, verba οὐδὲ συνεδείπνησεν αὐτοῖς vindicanda esse Symmacho, ita, vt οἱ ό scripserint καὶ οὐ συνέφαγεν μετ' αὐτῶν ἄρτον. Vulg. *nec comedit cum iis cibum.* Neque enim mirandum est, Iudaeum Alexandrinum illum, qui Proverbia Salomonis Graece vertit, quum fuerit linguae Graecae apprime peritus [v. Valquenar. ad Eurip. Phoeniss. p. 15. et 146.], c. 23, 6. formulam Hebraeam, לְחוֹם לֶחֶם, quae ab formulis אָכוֹל לֶחֶם, et בָּרוֹת לֶחֶם, non differt, verbo συνδειπνεῖν reddidisse.

V

II. Hane vero ipſam rationem, quae totam rem aliquam indicaret verbis partis eius, cui principatum in aliquo genere deberi appareret, ſequendam ſibi Hebraei putarunt maxime tum, quum demonſtrare aliis res ad viuendum neceſſarias vellent. Harum enim rerum naturam quum contineri viderent omnino duabus partibus, atque formis, quarum vna ad victum, altera ad cultum corporis, pertineret; quum intellegerent, copiam victus eſſe adeo neceſſariam, vt homines ſine illo vitam nullo modo tueri, ac retinere, vnquam poſſent: inſtituerunt *omnia, quaecunque ad viuendum neceſſaria ſunt*, non ſolum ita ſignificare, vt nomini לֶחֶם, quo inſignire ipſis placuiſſet, non ſolum omnis generis cibum, ſed omnino cuncta, quae ad victum ſuppeditarent [28], vocabula בֶּגֶר, et שִׂמְלָה [29], tanquam comites, adiungerent, verum etiam ſic, vt illud ipſum nomen לֶחֶם ponerent ſolum, ſocioque ſuo orbatum, atque adeo ei hanc tribuerent vim, vt, et *victum*, et *cultum corporis*, complecteretur. Eo quidem commentariorum Samuelis loco, quo Daui-

28. Vnde 2. Sam. 3, 29. pro לחם Ionath. habet מזון: Deut. 10, 18. Vulg. *victus*, et 2. Sam. 12, 17. *cibus*. Origenes commentarr. in Ioh. pag. 165. A To. 2. Colon. Οὐκ ἀγνοητέον μέντοιγε, ὅτι πᾶσα τροφὴ καταχρηστικώτερον ἄρτος λέγεται, ὡς ἐπὶ Μωϋσέως ἐν τῷ Δευτερονομίῳ [c. 9, 9.] γέγραπται, Τεσσαράκοντα ἡμέρας ἄρτον οὐκ ἔφαγε, καὶ ὕδωρ οὐκ ἔπιεν, ἀντὶ τοῦ, οὔτε ξηρᾶς, οὔτε ὑγρᾶς, μετείληφε τροφῆς.

29. Vid. Gen. 28, 20. Deut. 10, 18. Eſai. 3, 7. Vnde etiam Paulus τὰ ἐπιτήδεια 1. Tim. 6, 8. dixit διατροφὰς, καὶ σκεπάσματα· ex quo loco petita eſt gloſſa διατροφὰς ap. Heſychium: Διατροφάς· βρώματα· vt Sextus Empir. c. mathematt. 9, 2. p. 572. τροφὴν καὶ σκεπάσματα· vbi v. Fabricius.

Dauides Ioabo, Abneris interfectori, diras poenas imprecatus esse legitur [30], verbis חָסֵר־לָחֶם res ipsa clamat *eum* declarari, *qui rerum ad viuendum necessariarum*, hoc est, victus, cultusque corporis, *inops sit*, atque egenus, qui etiam רָעֵב [31], et a Luca [32] *πεινῶν*, ita vocatur, vt ad *πλουτοῦντα*, hoc est, rebus ad viuendum necessariis abundantem, et copiosum, referatur. Et quum Salomo, rex, qui, neque in diuitiis, omniumque rerum affluentia, neque in egestate, atque inopia, vitam degere vellet, ipse se in libro sententiarum [33] fecit a deo haec precantem, הַטְרִיפֵנִי לֶחֶם חֻקִּי: vocabulo לֶחֶם, non modo *cibum*, et *potum*, sed etiam *vestitum*, atque adeo verbis לֶחֶם חוק *iustam victus, cultusque corporis, copiam*, significari, quis non videt? Forma enim illa loquendi quin ducta existimari debeat a dominis, qui familiae *iusta praebere*, hoc est, cibaria, et vestes, saltem vestiarium, praestare, soleant, quis dubitet, quum homines etiam a barbaris scriptoribus [34] cum seruis, deum cum domino, comparari sciamus? Viderunt certe quidem hoc, pro doctrinae suae elegantia, et Alexandrini interpretes, et Symmachus. Etenim ab hoc לֶחֶם חוק dicitur *δίαιτα ἱκανὴ* [35], ita, vt

 δίαιτα

30. 2. Sam. 3, 29. add. Prouu. 12, 9. Ps. 132, 15.: quo loco verba אַשְׂבִּיעַ לָחֶם referuntur ad אֶבְיוֹנִים.

31. Ps. 107, 36. coll. v. 5.

32. C. 1, 53. add. c. 6, 21. coll. Matth. 5, 6.

33. C. 30, 8.

34. Vid. Plat. Phaedon. 7.

35. Ita sumitur nomen *δίαιτα* in prouerbio [v. Apostolius cent. 2, 77.], Ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. Et quid sit *δίαιτα ἱκανὴ*, vel e Xenophontis Cyropaedia cognosci licet, in qua 1, 6. 7. haec leguntur, *ἐπιμεληθῆναι — τὰ ἐπιτήδεια ὅπως αὐτός τε, καὶ οἱ οἰκέται, ἱκανῶς ἔχοιεν*, hoc est, *curare — vt, et*

ipse,

δίαιτα sint *res ad viuendum necessariae*, quas Iacobus in epistola catholica [36] τὰ ἐπιτήδεια τȣ̃ σώματος vocat, Aristophanes in Pluto [37] βίον, Xenophon in Cyropaedia [38], vel simpliciter τὰ ἐπιτήδεια, vel τὰ εἰς τὴν δίαιταν ἐπιτήδεια, Aeschines Socraticus in Eryxia [39], nunc τἀναγκαῖα πρὸς τὸν βίον, et τὰ ἐπιτήδεια τὰ πρὸς τὴν δίαιταν, nunc τὰ πρὸς τὴν τȣ̃ σώματος θεραπείαν ἐπιτήδεια, et πρὸς τὸ σῶμά τε καὶ τὴν δίαιταν ἐπιτήδεια, Diogenes Laërtius [40] τὰ εἰς τὸν βίον χρήσιμα. Alexandrinis autem Iudaeis visum est easdem res aeque eleganter τὰ δέοντα [41] appellare: quod vocabulum Hieronymus verbis *victui meo necessaria* recte explicauit, sed nec verba καὶ τὰ αὐτάρκη, hoc est, τὰ

ipse, et familia, domestici, *instam haberet rerum ad viuendum necessariarum copiam*: quae ipsa sententia ibidem expressa extat his verbis, ὅπως ἕξȣσιν ἅπαντα τὰ ἐπιτήδεια ἔκπλεω. Sed vocabulo δίαιτα nonnunquam comes additur ἐσθὴς, simileue nomen, ita, vt δίαιτα sit tantum *victus*. v. Critias apud Athen. 12, 6. p. 527. B. Atque sic fere simpliciter vsurpatur. v. Xen. Cyrop. 1, 2. 16. coll. 1, 6. 14. Neque aliter ponitur interdum nomen τὰ ἐπιτήδεια. v. Xen. Anab. 1, 2. 14. add. Suidas v. ἐπιτήδεια.

36. C. 2, 16.: vbi v. Kypquius.

37. v. 534. Sic חַיִּים legitur Prouerbb. 27, 27.

38. 1, 6. 7. 2, 1. 6. 6, 2. 11. 8, 1. 3.

39. c. 7.: quo loco verbis generis subiiciuntur vocabula formarum, σιτία, καὶ ποτὰ, καὶ ἱμάτια, καὶ εἴ τι ἄλλο τῶν τοιȣ́των ἐςί· c. 31. 38. 41. Vid. Index Aeschin. v. ἐπιτήδεια.

40. 3, 98.

41. Etiam ap. Xen. Cyrop. 1, 6. 10. τὰ ἐπιτήδεια, et τὰ δέοντα, sunt verba idem valentia: quae eodem loco explicata leguntur verbis ἃ δεῖ ὑπάρχειν· et quae auctor vitae Homeri, quae Herodoto tribuitur, c. 6. τὰ δέοντα dixit, ea c. 16. τὰ ἀναγκαῖα vocat.

τὰ ἱκανὰ [42], neglegere debuiſſet, quae in eorundem interpretum verſione propterea adiecta apparet, vt verbo Hebraeo חֻקִּי reſponderent. Atque huius ducum peritiſſimorum diligentiae veſtigiis inſiſtere debuiſſet Aquila, ſi voluiſſet verba Salomonis Hebraea Graecis ita expreſſa oſtendere legentibus, vt ſententiam eorum reperirent, perſpicerentque, facile omnes. Sed quum placuiſſet homini, vel origines, nataleſque, nominum Hebraeorum conſectari, vel proprias eorum, aut certe maxime vſitatas, et tritas, ſignificationes ita perſequi, vt eas omnibus in locis redderet iiſdem verbis Graecis, atque adeo his nouas, inuſitataſque, notiones ſubiiceret: mirandum ſane non eſt, eum verba לֶחֶם חוק, vel potius לֶחֶם חֻקִּים, quum חֻקִּי legiſſe pro חֻקִּי videatur, quibus proprie *demenſum*, σιτομέτριον, deinde *iuſta*, quae ſeruo praeberentur ab hero, denique omnino *iuſtam rerum ad viuendum neceſſariarum copiam*, ſignificatam ab Hebraeis ſciret, verbis ἄρτος ἀκριβασμῶν ita interpretatum eſſe, vt nomine ἄρτος idem declararetur, quod verbis δίαιτα, et τὰ δέοντα. Neque vero aliam rationem tenuerant ante eum Matthaeus, atque Lucas, in explicando eodem illo Hebraeorum vocabulo לֶחֶם locis commentariorum iis, quibus Chriſtus diſciplinae ſuae alumnis tradidiſſe perhibetur precum formulam, qua vterentur cotidie, ſi contingere ſibi a deo perfectam, abſolutamque, hac in vita felicitatem vellent. Quid enim felicius, et beatius, cogitari poteſt fortuna, atque conditione, eius, qui deum rite, caſteque, veneretur, et colat, qui gaudeat graui,

 plena-

42. Heſychius: Αὐτάρκης· ἱκανός. Phauorinus, nesciebam vnde: Αὔταρκες· τὸ ἱκανῶς ἐξαρκοῦν.

plenaque, ſcientia doctrinae diuinae, maximeque eius partis, quae eſt de Chriſto, eiuſque ſummis in vniuerſum hominum genus beneficiis, atque meritis, qui mores, vitamque omnem, ad voluntatem dei, et praecepta, conformare ſtudeat, qui habeat iuſtam eorum, quae ad viuendum neceſſaria ſunt, copiam, proprio labore paratam, qui amoris, et beniuolentiae, dei conſcientia ſuſtentetur, qui tutus ab inſidiis, et iniuriis, Satanae [43] omnibus ſemper praeſtetur, vt fidem deo datam ne violet leuis, et impius, immo

43. *Satanas* enim, geniorum malorum princeps, in libris N. T., vt ὁ διάβολος, et ὁ Σατανᾶς, ita etiam ὁ πονηρὸς, vocatur: vid. Matth. 5, 37. 13, 19. 38. coll. Marc. 4, 15. Luc. 8, 12. Act. 13, 10. 1. Ioh. 3, 10.: Eph. 6, 16. coll. v. 11. 2. Theſſ. 3, 3. 1. Ioh. 2, 13. ſ. 3, 12. coll. v. 8.: de quo vocem illam Chriſti iam Chryſoſtomus, aliique eccleſiae antiquae doctores, rectiſſime acceperunt. vid. Suicerus theſ. eccleſ. v. πονηρὸς p. 807. ſ. To. 2. edit. pr. Etenim quum enuntiatio ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ ad enuntiationem μὴ εἰσενέγκης ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν referatur: apertum eſt, τὸν πονηρὸν a Chriſto dictum eſſe *principem*, et *auctorem*, τοῦ πειρασμοῦ· ſed hunc ex aliis locis librorum diuinorum conſtat eſſe Satanam. vid. Eph. 6, 11. ſſ. 1. Pe. 5, 8. Neque vero aduerſatur huic interpretationi, immo vehementer eam commendat, ipſum verbum ῥύσασθαι. Hoc enim verbum reſpondet in verſione ſeptuagintauirali V. T. verbo Hebraico הִצִּיל, quod fere idem ſignificat, quod verbum הוֹשִׁיעַ, atque conſtruitur, vel cum particula מִן, vel cum nomine מִיַּד, ſequente genitiuo, et ablatiuo, perſonae, ita, vt valeat *aliquem liberare, et tueri, ab inſidiis, impetu, vi, alicuius.* Qua quidem ex re intellegi etiam poteſt, cur ſcriptores N. T. verbum ῥύεσθαι, nunc praepoſitionem ἀπὸ ſubſequi iuſſerint, nunc verba ἐκ χειρός. vid. Luc. 1, 74. Et quia Alexandrini Iudaei nomen מִיַּד nonnunquam reddidere ſimpliciter particula ἀπό· arbitror, verba ἀπὸ τοῦ πονηροῦ eſſe verba מִיַּד הָרָע, adeo, vt vel hinc appareat, τοῦ πονη-

mo pius, et grauis, ſeruet. Haec enim bona Chriſtiani, ſi ſaluti deeſſe ſuae nolint, petere a deo cotidie, auctore, et magiſtro, Chriſto, debent. Et res quidem ad viuendum neceſſarias ille poſtulare nos ab communi omnium parente ita iuſſit [44], τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Iam vero nomine ἄρτος, non ſolum *panem*, non ſolum *cibum*, et *potum*, ſed omnino *victum, cultumque corporis*, omnia, quaecunque ad viuendum neceſſaria ſunt, quae a Iacobo Apoſtolo eleganter, Graecaeque rationi conuenienter, τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος, a Paulo διατροφὰς, καὶ σκεπάσματα, dici vidimus, ſignificari, non tantum vſus vocabuli לֶחֶם docet,

νηροῦ non eſſe genitiuum neutrius generis, Locus eſt apud Moſen Ex. 2, 19., vbi filiae ſacerdotis Midianitarum leguntur dare voluiſſe potatum pecori, ſed prohibitae eſſe ab paſtoribus: interea Moſes dicitur acceſſiſſe, et impediviſſe, ne paſtores moleſti eſſent puellabus: hae quum domum reueniſſent ad parentem, אִישׁ מִצְרִי הִצִּילָנוּ מִיַּד הָרֹעִים, inquiunt. Haec verba Hebraica ſeptuaginta interpretes verterunt ita, ἄνθρωπος Αἰγύπτιος ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ποιμένων, h. e. *Aegyptius quidam prohibuit a nobis impetus, vimque, paſtorum, vt poſſemus potatum dare pecori.* Hunc autem locum eſſe locis Matthaei, et Lucae, ſimillimum, quis non videt? Satanas enim inſidias ponit fidei Chriſtianorum, et pietati aduerſus deum, impetum quaſi in eam facit, quo a deo deſciſcant ad ipſum, quo, relictis dei partibus, ſectam ipſius ſequantur. vid. Eph. 6, 11. ſſ. Itaque, vt vocis, μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, hic eſt ſenſus, *noli nos incidere iubere in inſidias, quas Satanas fidei noſtrae, et pietati in te, ſtruit, quo nos a tuis partibus trahat in ſuas*, ita enunciationem alteram, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, in promtu eſt debere explicari ſic, *immo probibe a nobis has eius inſidias omnes, quo tuam ſemper ſectam, tuas partes, ſequamur, nunquam a te ad ipſum deſciſcamus.*

44. Matth. 6, 12. Luc. 11, 3. Sed Lucas pro σήμερον dixit, eodem ſenſu, τὸ καθ' ἡμέραν, *cotidie.*

quod etiam in Syriaco ſermone illius aetatis ita vſurpatum conſtat, vt illud in lingua Hebraea celebratum fuiſſe ſupra demonſtrauimus, ſed etiam ex eo elucet, quod magiſter hominum optimus, qui diſcipulos ſuos cotidie a deo petere τὸν ἄρτον iuſſiſſet, iis eodem tempore praecepiſſe legitur [45], vt diligenter cauerent, ne ipſorum animi vnquam ſolicitarentur cura rerum ad viuendum neceſſariarum, quarum iuſtam copiam confidere poſſent ad ipſos a diuina benignitate profecturam eſſe, ſi laeti ſubirent ſemper, et firmi perferrent, labores, neque languori vnquam ſeſe, deſidiaeque, dederent. Laboribus enim, etiam Epicharmo auctore [46], vendunt dii mortalibus omnia bona. Itaque Lexicographos Noui Teſtamenti multos non oportebat vim, et poteſtatem, nominis ἄρτος tam late patentem ita coanguſtare, et coarctare, vt eo *panem*, vel *cibum*, et *potum*, ſignificari traderent: immo debebant illud cum Ioh. Cunr. Dietericio, eximio ſuperioris ſaeculi philologo, cuius Lexicon miramur tantopere neglegi nunc ab harum literarum ſtudioſis, et cum Ioh. Simonio, ita explicare, vt lectores commentariorum Matthaei, et Lucae, cogitare iuberent de omnibus victus partibus, de victu, cultuque corporis, de *omnibus rebus ad viuendum neceſſariis*. Et quanquam non ignoro, quam variae ferantur, et inter ſe diſſidentes, inter-

45. Matth. 6, 25. 31. ſſ. Luc. 12, 22. 29. ſ.

46. Vid. Xen. Memorr. 2, 1. 20. et ibi Ruhnquenius: et Libanius orat. 19. p. 508. C To. 2. Morel. Nam τὸν ἄρτον ἡμῶν eſt *res ad viuendum neceſſarias, noſtris laboribus paratas.* v. Clericus ad 2. Theſſ. 3, 12. et Proluſ. 13, 2.

terpretum, et veterum [47], et recentiorum [48], ſententiae de notione vocabuli ἐπιέσιος, quas longum, neque tam difficile, quam inutile, eſſet dinumerare: cuius ſingularis opinionum diſſenſionis, et diſcrepantiae, cauſſa quin ab ipſa verbi forma noua, et Graecis inaudita [49], ducenda ſit, quis dubitet? tamen ratio, et ſententia, eorum [50], qui ἄρτον ἐπιέσιον ab Euangeliſtis dici *victum poſterum*, ſiue *craſtinum*, hoc eſt, *res ad viuendum cras*, ſiue *poſtridie, neceſſarias*, docent, vna omnes veritatis numeros, atque partes, habere nobis videtur. Etenim quum ſcriptores ſacri non neſcirent, ciuitatem Iudaeorum ab auctoribus verſionis Alexandrinae appellari λαὸν dei περιέσιον, ſed vocabulum περιέσιος, quod fuiſſe putamus

 diale-

47. In cod. Coiſlin. 20. et 24., quorum excerpta Ioh. Iac. Vetſtenius miſerat ad Ioh. Albertium, ſcholia leguntur, ab Albertio ad calcem Gloſſarii N. T. p. 202. ſ. edita, haec: τὸν ἐπιέσιον· τἒτ' ἔςι, τὸν μέλλοντα, τὸν ἐπιόντα, τὸν προσδοκώμενον, τὸν μὴ τἒ ἐνεςῶτος οἰκεῖον, ἀλλὰ τὸν ἀποδοθησόμενον ἐν τῷ μέλλοντι τοῖς ἁγίοις. — — — Ἢ τὸν συνιςῶντα τὸ σῶμα ἡμῶν. Add. Caſaubonus exercitatt. Antibaronn. 16, 39. p. 380. ſ. Suicerus theſ. eccleſ. v. ἐπιέσιος p. 1169. ſſ. To. 1. Vetſtenius ad Matth. 6, 11., et Matthaeius ad Luc. 11, 3.

48. Vid., praeter Stolbergium, et alios, a Volfio in Curis philologg. ad Matth. 6, 11., et a Fabricio in Cod. Apocr. N. T. P. 1. p. 367. ſ. edit. ſec., laudatos, Albertius ad Matth. 6, 11. p. 47. ſſ. et Ioh. Rud. Stecquius Tempp. Heluett. To. 5. ſect. 4. p. 514. ſ.

49. Origenes de orat. 16. πρῶτον δὲ τἒτ' ἰςέον, ὅτι ἡ λέξις ἡ ἐπιέσιος παρ' ἐδενὶ τῶν Ἑλλήνων, ἔτε τῶν σοφῶν, ὠνόμαςαι, ἔτε ἐν τῇ τῶν ἰδιωτῶν συνηθείᾳ τέτριπται, ἀλλ' ἔοικε πεπλάσθαι ὑπὸ τῶν Εὐαγγελιςῶν.

50. Hoc in numero ſunt, praeter plures, Tan. Faber ep. 2. p. 183. P. 2. et Neocorus ad Suidan v. ἐπιέσιος ἄρτος p. 823. To. 1.

dialecti Alexandrinae [51] proprium, ductum viderent a feminino genere participii verbi περίειμι· quidni existimasse putentur, sibi aeque recte licere ex eodem genere participii verbi ἔπειμι effingere, et formare, nomen ἐπιούσιος, quo Hebraeum vocabulum מָחָר, vel מָחֳרָת, exprimeretur, praesertim quum huius generis verba, vt ἐθελούσιος, ἑκούσιος, ἀκούσιος, et alia, nec in caeteris Graecorum linguis inusitata essent, et *dies posterus*, siue *crastinus*, vulgo ἡ ἐπιοῦσα diceretur [52]? Nam Hieronymus quidem testatur [53], se in euangelio, quod inscriptum esset secundum Hebraeos, pro ἐπιούσιον reperisse מָחָר, ita, vt vix dubitari posse videatur, quin Christus ipse, agens cum suis discipulis, vsus sit verbis אֶת־לַחְמֵנוּ דְּמָחָר, vel אֶת־לַחְמֵנוּ לְמָחָר. Significari autem verbis illis Graecis *victum*, *et cultum*, *crastini diei*, postero die necessarium, τὰ ἐπιτήδεια τὰ τῆς ἐπιούσης, non omnino *temporis futuri*, vel ipsam disciplinae Christi rationem, atque instituta, docere quemque posse arbitramur. Quum enim Christus noluerit animos suorum discipulorum vrgeri vllo modo solicitudine victus diei crastini, quod laborum, qui subeundi essent, et per-

51. De dialecto Alexandrina peculiarem librum scripserat Demetrius Ixion, qui laudatur ab Athen. 9, 11. p. 393. C, et Irenaeus s. Pacatus, grammaticus Alexandrinus, libros septem, quibus docere conatus erat, dialectum istam ex Attica extitisse. Habuit multa verba propria, quae ab grammaticis antiquis diligenter sunt notata. v. Etymol. M. v. ἀφάρτερος p. 175. Sylb. Eustathius ad Iliad. ν' p. 948. 34. et ad Iliad. σ' p. 1157. 44. Rom.

52. 1. Sam. 5, 3. pro מִמָּחֳרָת οἱ ό habent τῇ ἐπαύριον· sed ap. Ioseph. Archaeol. 6, 1. p. 150. Basil., vbi eadem res refertur, est τῇ ἐπιούσῃ.

53. ad Matth. 6, 11. f. 10. b To. 9. Basil.

perferendi, ab hominibus cotidie, vt sibi victum pararent, tanta grauitas esset, atque molestia, quae non deberet augeri curis ad victum diei crastini spectantibus [54]; quum familiares suos studiose cohortatus sit, vt curam rerum ad viuendum postero quoque die necessariarum mandarent, committerentque, dei prouidentiae, qui saluti cuiusque, pro liberalitate sua infinita, ita esset prospecturus, vt eos cotidie laboribus invenire iuberet ea, quibus ad vitam crastino quoque die sustentandam opus esset [55]: intellectu profecto procliue est, eum debuisse omnibus auctorem, admonitoremque, existere, vt hanc potissimum dei benignitatem, quae in praebendis cotidie posteri cuiusque diei iustis cerneretur, precibus cotidianis lacessere studerent. Atque sic remoueri, tollique, posse omnes illas difficultates sperabamus, quibus premi putabat Salmasius [56] rationem eorum, qui verba Euangelistarum, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, de victu, et cultu corporis, crastino acciperent. Neque vero principes interpretum veterum illa aliter explicasse reperiuntur. Quum enim victus postero quoque die necessarius intellegatur esse idem semper, et cotidie, necessarius, qui a Iacobo Apostolo [57] ἡ ἐφήμερος τροφὴ, ab Euripide [58] ὁ καθ'

54. Matth. 6, 34.

55. Matth. 6, 32.

56. de foenore trapez. p. 794. ff.

57. ep. 2, 15. Sic ap. Lucianum Soloec. p. 718. To. 2. Graeu. legitur, Διαφέρεις γὰρ οὐδὲν τῶν πτωχῶν, οἳ τὴν ἐφήμερον τροφὴν μεταιτοῦσι. Conf. Fabricius ad Sextum Empir. c. Ethicc. 3. p. 702. Apud Eurip. Phoenn. 414. ἐπ' ἦμαρ ἔχειν est *victum cotidianum habere:* qualis homo ab Herodo. 1, 32. vocatur ὁ ἐπ' ἡμέρην ἔχων.

58. Electr. 235. add. Sophocles Oedip. Colon. 1367. p. 377. Cantabr.

ὁ καθ' ἡμέραν βίος, ab Heliodoro [59] ἡ καθ' ἡμέραν ἀναγκαῖος τροφὴ, nominatur: interpreti Syro visum est eum appellare ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ [60], Hebraeo, cuius interpretatio euangelii Matthaei a Seb. Munstero edita est, לֶחֶם תָּמִידִי, et versionis Latinae auctori *panem cotidianum*: quem multis saeculis ante Lutherum sequutus est, praeter plures ecclesiae veteris doctores alios, Chrysostomus, qui glossam ἐπιούσιος vocabulis ἐφήμερος, et καθημερινὸς, explanauit [61], quod posterius glossema ex eius libris in Glossaria Noui Testamenti venit, et ex iis in Suidae Glossarium, indeque in Lexicon Phauorini, migrauit [62]. Nam nomen

59. 6. p. 284. Comelin. Praeiuit Thucydides. vid. 1, 2.

60. H. e. *res ad viuendum necessarias*. nam idem interpres verba Iacobi ep. 2, 16. τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος vertit ܣܘܢܩܢܐ ܕܦܓܪܐ.

61. Homil. 20. in Matth. 6. p. 244. A C To. 1. Francof. τί ἐστι, τὸν ἄρτον [ἡμῶν] τὸν ἐπιούσιον; τὸν ἐφήμερον· — διὰ τοῦτο προσέθηκε τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον, τουτέστι, τὸν ἐφήμερον. Et homil. 42. in Ioh. 6. p. 277. D To. 2. τὸ γὰρ [παραινεῖν] μηδὲν πλέον ἐπιζητεῖν τοῦ ἄρτου τοῦ ἐπιουσίου, τουτέστι, τοῦ καθημερινοῦ.

62. Suidas: Ἐπιούσιος ἄρτος· ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων, ἢ ὁ καθημερινός. Phauorinus: Ἐπιούσιος ἄρτος· ὁ τῇ ἑκάστῃ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων, ἢ καθημερινός. Ita legitur in exemplo Basileensi, et Veneto: sed legi debet ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ, re ipsa iubente. Neque aliter scriptum extat hoc glossema, quod ipsum e Glossario quodam N. T. sumtum videtur [v. Suicerus thes. eccles. p. 1170. To. 1.], in libris Etymologici M., cuius tamen auctor omisit glossema alterum. Isidorus Pelusiota 4. ep. 24. pag. 11. Comelin. τὸν ἄρτον ἡμῖν τὸν ἐπιούσιον, τουτέστιν, ἢ τὸν τῇ ψυχῇ ἁρμόδιον, ἢ τὸν τῇ σαρκὶ αὐτάρκη. Theophylactus ad Matth. 6, 11. pag. 25. Rom., ἐπιούσιον, τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν

men *superſubſtantialem*, quod nunc in libris editis apud Matthaeum in locum vocabuli *cotidianum* ſubſtitutum extat, tranſlatum in antiquos codices exiſtimari debet e Latina verſione Hieronymi, qui diſerte ſcriptum reliquit [63], ſe *panem* ἐπιούσιον dixiſſe *panem ſuperſubſtantialem*.

III. Atque haec diſputata ſunto etiam de quarto genere verborum ſingulorum, quorum pote-

μῶν αὐτάρκη· et ad Luc. 11, 3. p. 270. Διδάσκει δὲ τὸν ἐπιούσιον ἄρτον ζητεῖν μόνον, τουτέστι, τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν, καὶ τῇ συστάσει τῆς ζωῆς συμβαλλόμενον. Atque hanc vocabuli ἐπιούσιος interpretationem conatus eſt tueri, ita, vt verba ἄρτος ἐπιούσιος Latine explicarit verbis, *quod ad vitam noſtram ſuſtentandam neceſſarium ſit*, in epiſtola critica ad Gulielmum, epiſcopum Glouceſtrienſem, Ioh. Tupius, Opuſcc. Criticc. p. 115. To. 2. Lipſ. At, vt alia viri doctiſſimi ea in re errata praetereamus, non cogitaſſe videtur, appoſitum ἐπιούσιος ſic omnino ſuperuacaneum eſſe.

63. ad Matth. 6, 11. f. 10. b To. 9. Baſil. Verba eius haec ſunt: *Quod nos ſuperſubſtantialem expreſſimus, in Graeco habetur* ἐπιούσιον· *quod verbum LXX. interpretes* περιούσιον *frequentiſſime transferunt. Conſiderauimus ergo in Hebraeo, et vbicunque illi* περιούσιον *expreſſerunt, nos inuenimus* סְגֻלָּה: *quod Symmachus* ἐξαίρετον, *id eſt*, praecipuum, *vel* egregium, *tranſtulit: licet in quodam loco* [Eccleſ. 2, 8.] peculiare *interpretatus ſit. Quando ergo petimus, vt* peculiarem, *vel* praecipuum, *nobis deus tribuat* panem, *illum petimus, qui dicit*, Ego ſum panis viuus, qui de caelo deſcendi. *In Euangelio, quod appellatur* ſecundum Hebraeos, *pro* ſuperſubſtantiali pane *reperi* מחר, *quod dicitur* craſtinum: *vt ſit ſenſus*, Panem noſtrum craſtinum, *id eſt*, futurum, da nobis hodie. *Poſſumus* ſuperſubſtantialem panem *et aliter intelligere, qui ſuper* omnes ſubſtantias ſit, et vniuerſas ſuperet creaturas. *Alii ſimpliciter putant, ſecundum Apoſtoli ſermonem, dicentis*, Habentes victum, et veſtitum, his contenti ſimus, *de* praeſenti *tantum cibo ſanctos curam gerere. vnde et in poſterioribus ſit praeceptum*, Nolite cogitare de craſtino.

potestatem late patentem a plerisque Lexicographis Noui Testamenti male contractam, et, repugnante vsu loquendi scriptorum diuinorum, in angustum coactam, reperimus. Quorum quidem verborum etsi plura afferri genera potuisse non nescimus: illa tamen, quorum exempla quaedam in hoc, et duobus superioribus, libellis exhibuimus, nobilissima, et clarissima, esse putamus, neque vllo modo dubitamus, quin hac disputatione nostra animaduersio, et diligentia, liberalis lectorum librorum sacrorum ita, vel excitari, vel exacui, possit, vt nec caeteris in generibus falli se facile, atque decipi, ab istis hominibus patiantur.

IIII. Hac vero ex re quemadmodum intellegere plane, et haud dubie, potestis, discipuli optimi, quantum, quamque egregium, bonum sit doctrina grauis, et perfecta sapientia, cuius auxilio penetrare ad sensum scriptorum diuinorum, atque adeo accuratam euangelii scientiam consequi, quisque valeat, e qua nascatur tanta fructuum mortis Christi fiducia, et tantum omnis virtutis, et sanctitatis, studium efflorescat, quod sequatur, atque comitetur, pura amoris, beniuolentiaeque, dei conscientia, certa sincerae securitatis hac in vita effectrix, et gaudiorum immortalium post mortem pollicitatrix benigna: ita vel superioris belli incommodorum memoria, quae deus hoc anno, pro incredibili sua in nos liberalitate, reuocatis pacis almae commodis, opinione omnium mortalium citius, non minuit, sed sustulit, docere vos, et commonefacere, facillime potest, eruditio, atque virtus, quam stabilia sint, et certa, salutis hominum, et adiumenta, et ornamenta. Multi enim tum, non

ami-

amiſere, verum perdidere, vel magna ex parte, vel omnino, omnia fortunae, non tam bona, quam ludibria, adeo, vt, qui diuitiis antea, copiaque rerum omnium, affluere, et ſibi, et aliis, viſi eſſent, ii nunc, vel vi, vel ferro, vel igni, hoſtium, non tam in paupertatem, quam in egeſtatem, coniecti, aliorum opem flentes, lamentanteſque, etiam contemtu inter ſuos laborantes, implorare cogantur: ſed virtus, et doctrina, caſus omnes, et pericula, ſaluae, incolumeſque, etiam admiratione ab omnibus affectae, et honoribus auctae, euaſerunt, ita, vt eas vel propterea ſolas bonorum, et diuitiarum, nomine dignas eſſe appareret. Cuius quidem rei veritas vt vobis aperta pateret facilius, atque certius: iuſſimus commilitonem veſtrum, CAR. THEOPHILVM DOEHLERVM, *Ricobaco Nariſcum*, adoleſcentem, et ſapientiae, et honeſtatis omnis, ſtudioſiſſimum, perendie oratione Latina, audientibus vobis, docere, *qui ſapientia, et virtute, praeditus eſſet, eum ſolum, et eſſe, et cum Stoicis dici debere, diuitem* Huic igitur orationi iuuenis optimi ita intereritis, vt gratiam habeatis deo, praeſidi, et conſeruatori, ſcholae noſtrae, qui hoc quoque anno, non tantum corpora veſtra ſuſtentari liberalitate ordinis ampliſſimi, et prouidentia curatoris ſcholae, eximia, ſed etiam animos doctrinae, virtutiſque, ornamentis augeri diſciplina, et fide, magiſtrorum, iuſſit. Cum hac autem aduerſus deum pietate coniungetis preces ardentiſſimas, quibus curae eius, et tutelae, commendetis porro ſalutem, et fortunas, eorum omnium, a quibus tam bene, tamque liberaliter, proſpici rationibus veſtris, atque conſuli, videtis. Neque

enim

enim dubitare vllo modo debetis, quin deus liberalitate ſua, et benignitate, reſponſurus ſit veſtris precibus, ſi etiam proximo anno ſtudia probitatis, et literarum, ſtudiis rerum aliarum omnium anteferetis. Nam quum ab rudi hominum vulgo aurum, et argentum, et reliquas huiuſmodi res caducas, et fragiles, quae multarum ſaepe, et immanium, moleſtiarum genitrices, et ſalutis omnis peſtes, exiſtant, tanta, non cupiditate, ſed auiditate, appeti ſciatis, vt earum cauſſa omnes ſibi, etiam grauiſſimos, labores ſubeundos, omnia, etiam maxima, pericula contemnenda, putent: quid vobis, qui in ſtudio literarum verſamini, faciundum cenſetis, vt propriorum, ſempiternorumque, bonorum in poſſeſſionem veniatis, quae omnes curas, et ſolicitudines, ab animis veſtris ita defendant ſemper, vt ſalutem veſtram omnem ſic fundent, ſic ſtabiliant, ſic confirment, vt nunquam conuelli, et labefactari, nedum euerti, proſternique, vllo caſu poſſit? Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Ianuarias A. C. CIƆIƆCCLXXX

PROLV

PROLVSIO TERTIA DECIMA

DE NOTIONIBVS IVSTO ANGVSTIORIBVS QVAE IN LEXICIS N. T. VERBIS IVNCTIS ET DICENDI FORMVLIS SVBIECTAE LEGVNTVR

Q. B. V

Quum docuiſſe hactenus iuſto idoneorum exemplorum numero videamur, auctores Lexicorum Noui Teſtamenti peccaſſe etiam in hanc partem, vt multis verbis ſingulis vim, poteſtatemque, arctiorem, et minorem, tribuerint, quam vſus illis loquendi ſcriptorum ſacrorum dediſſe reperiretur: via, atque ratio, diſputationis, quam ſequi in perſequendis, et corrigendis, iſtorum librorum vitiis viſum eſt, poſtulat, vt oſtendamus, nec verba iuncta, dicendique formulas omnes, quas vulgo phraſes appellant, in illis ita explicatas legi, quin deprehendi facile veſtigia multa, et certa, eiuſdem peccati, in quo notando ſuperiores noſtri libelli occupati fuere, poſſint. Sed quo facilius tamen huius diſputationis noſtrae partis copias vno comprehendi libello liceat; quum ipſa huius vitii ratio ſatis perſpicua ſit, neque magno opere obſcura: et pauca iſtius leuitatis, atque temeritatis, exempla

proferemus, et in illis proferendis ita verſabimur, vt indiſtincta, neque ad ſuum quaeque genus relata, ponamus.

II. Atque ex iis quidem, quae a nobis nuper de poteſtate nominum *ἄρτος*, et לֶחֶם, verborumque *φάγειν*, *ἐσθίειν*, *τρώγειν*, et אֱכוֹל, diſputata ſunt, iudicari a quoque ſponte poteſt, formulas *ἄρτον φάγειν*, *ἄρτον*, ſiue *ἄρτους*, *ἐσθίειν*, et *τρώγειν ἄρτον*, quas, vt ab interpretibus Veteris Teſtamenti Alexandrinis [1], ita etiam ab Euangeliſtis [2], et Paulo Apoſtolo [3], ex Hebraea formula אֱכוֹל לֶחֶם effictas apparet, non *panem comedere*, vt multa illas Lexica cum interprete Latino vetere explicant, ſed *coenare*, *cibum*, eſculenta et potulenta, *capere*, ſignificare. Etenim qui coenant, et epulantur, qui eſcis, et potionibus, veſcuntur, hi ab Hebraeis [4] dicuntur אֱכוֹל וּשְׁתוֹת: qui iidem Hebraei his ipſis verbis particulas לִפְנֵי [5], et עִם [6], tanquam comites, adiunxere tum,

1. Gen. 37, 25. Ex. 2, 20. 18, 12. [in cod. Alex. nam cod. Vatic. Complut. Ald. habent *συμφαγεῖν* pro *φαγεῖν*]. 2. Sam. 9, 7. 10. 1. Regg. 21, 5. Ier. 52, 33.

2. Matth. 15, 2. Marc. 3, 20. 7, 2. 5. Luc. 14, 1. Ioh. 6, 23. 13, 18. Vid. Vorſtius Philol. c. 37, 5. p. 695. ſſ. Lipſ.

3. 2. Theſſ. 3, 8. 12.

4. Gen. 24, 54. 1. Sam. 30, 16. 1. Regg. 4, 20. Ruth. 3, 3. 7.

5. 2. Sam. 11, 13. 1. Regg. 1, 25. Sed Ioſephus Archaeol. 7, 11. p. 221. Baſ. verba ſeptuaginta interpretum, *καὶ ἰδοὺ εἰσιν ἐσθίοντες καὶ πίνοντες* [Complut. *αὐτοὶ ἐσθίουσι καὶ πίνουσι*· quae videntur eſſe alius interpretis verba] *ἐνώπιον αὐτοῦ*, *καὶ εἶπαν*, *Ζήτω ὁ βασιλεὺς Ἀδωνίας*, quae putidius ſunt ex Hebraeis expreſſa, pro ſuo Graecae elegantiae ſtudio, ita interpretatus eſt, *οἱ μετὰ κρότου*, *καὶ παιδιᾶς εὐωχούμενοι πολλῆς*, *αἰώνιον αὐτῷ συνευχῶνται* [leg. *συνεύχονται*] *τὴν ἡγεμονίαν*.

6. Iob. 1, 4. coll. 42, 11.

ſum, quum de conuiuis, atque iis, loquerentur, qui cum aliis coenarent, cibumque caperent. Quibus quidem ex formulis quin etiam librorum Noui Teſtamenti auctores, non tantum Alexandrini Iudaei, imitatione expreſſerint formulas φάγειν, ſiue ἐσθίειν, ſiue τρώγειν, καὶ πίνειν, itemque φάγειν ἐνώπιόν τινος, καὶ πίνειν, et συμφάγειν, καὶ συμπίνειν, τινὶ, quarum his Lucas [7], illis cum Luca Matthaeus, Marcuſque, et Paulus, quorum locos ſupra [8] indicauimus, vſi ſunt, quis dubitet? Iam vero vt ipſis Veteris Teſtamenti ſcriptoribus placuit formulas אֱכוֹל לֶחֶם, et אֱכוֹל וּשְׁתוֹת, inter ſe permutare: ita non ſolum Paulus formulam φαγεῖν καὶ πιεῖν in locum formulae ἄρτον φαγεῖν ſubſtituiſſe reperitur, ſed nec Alexandrini interpretes dubitarunt verba Hebraea אֱכוֹל לֶחֶם Graecis φαγεῖν καὶ πιεῖν explanare. Etenim loco narrationis Iobi illo [9], quo ſeptem hominis filii epulas, die ſuo quiſque natali, ita inſtituiſſe referuntur, vt ſorores ſuas tres ad eas inuitarint, haec leguntur verba, וְשָׁלְחוּ וְקָרְאוּ לִשְׁלֹשֶׁת אַחְיוֹתֵיהֶם לֶאֱכוֹל וְלִשְׁתּוֹת עִמָּהֶם: ſed vbi fratres, et ſorores, et familiares, viri, quem opibus iam, atque diuitiis, longe florentiorem, quam antea, viderent, conſuetudinem eius, et amicitiam, denuo ſequuti eſſe, atque apud eum, et cum eo, epulati, perhibentur, ibi [10] auctori hiſtoriae hanc ipſam rem verbis exponere placuit iſtis, וַיֹּאכְלוּ עִמּוֹ לֶחֶם בְּבֵיתוֹ.

 Quod

7. C. 13, 26. Act. 10, 41. Iohannes c. 13, 18. ſic dixit ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, pro Hebr. אוֹכֵל לַחְמִי Pſ. 41, 10.: vbi οἱ ὁ habent ὁ ἐσθίων ἄρτους μου. Luc. 7, 36. eſt ἵνα φάγῃ μετ' αὐτοῦ.

8. Proluſ. 12, 2.

9. C. 1, 4.

10. C. 42, 11.

Quod quum, pro doctrina sua, animaduertissent facile Alexandrini Iudaei: recte profecto existimarunt sibi licere sententiam scriptoris diuini ita ostendere legentibus, vt verba illa Hebraica redderent Graecis his, φαγόντες δὲ καὶ πιόντες παρ' αὐτῷ, hoc est, *coenantes*, *epulantes*, *domi eius*, siue *domi apud eum.* Nam etiam optimi Graecitatis auctores praepositioni παρὰ datiuum personae ita adiunxerunt, vt significaretur locus, in quo intellegeretur esse, atque versari, is, cuius vocabulum additum esset [11]: quomodo Lucas refert, Christum aliquando rogatum esse a Pharisaeo quodam [12], ὅπως ἀριστήσῃ παρ' αὐτῷ, id est, *vt coenaret domi apud ipsum*, et Simonem Petrum [13] ξενίζεσθαι παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ *deversari apud Simonem quendam, coriarium*, hoc est, ipso interprete [14], ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος βυρσέως. Et Paulus quum ostendere vellet, se recte, et sine vllo

11. Sic ap. Theophrastum charr. 9, 1. δειπνεῖν παρ' ἑτέρῳ est *coenare domi apud alium*, siue *foris*: ap. Xen. Memorr. 2, 7. 4. οἱ παρὰ σοὶ ἐλεύθεροι — οἱ παρὰ Κεράμωνι δοῦλοι *liberi, qui sunt domi apud te — serui, qui sunt domi apud Ceramonem*: coll. f. 2. add. Aristoph. Plut. 393. f. 1047. 1121.: vbi παρὰ ταῖς καπηλίσιν est *in tabernis coparum*, non *a copis*, παρὰ τῶν καπηλίδων, vt scholiastes Leidensis accepit perperam. Interdum additur, interpretationis caussa, vocabulum loci: vt ap. Theophrastum charr. 4, 1. τοῖς παρ' αὐτῷ ἐργαζομένοις μισθωτοῖς ἐν ἀγρῷ· et c. 8, 3. παρὰ τούτοις κρυπτόμενόν τινα ἐν οἰκίᾳ. Eodem sensu Terentius dixit Adelphph. 5, 3. 13. *Cur nunc apud te potat?* vt Cic. 9. ep. 15, 11. *senatus consulta scribuntur apud amatorem tuum, familiarem meum*: sed *domi apud me* Eun. 4, 6. 9. Heaut. 1, 1. 119. f.: et *apud me domi* Heaut. 3, 1. 21. Qua ipsa forma loquendi etiam patrium sermonem delectari, quis nescit?

12. C. 11, 37.

13. Act. 10, 6.

14. Act. 10, 32.

vllo iustae reprehensionis metu, postulare, caeterorum Apostolorum exemplo, ab iis, quibus doctrinae Christianae partes, et praecepta, interpretaretur, et traderet, posse, vt cibum ipsi, et alimenta corporis, praeberent: in priore quidem ad Corinthios epistola [15] vsus est his verbis, μὴ ὀυκ ἔχομεν ἐξουσίαν φαγεῖν καὶ πιεῖν; sed in literis ad Thessalonicenses posterioribus negat, se hoc iure suo, atque beneficio, vti apud eos voluisse, immo, quoad Thessalonicae commoratus esset, diligenter se cauisse ait, ne corpus vnquam pascere videretur alimentis mendicatis, gratisque, et sine mercede, praebitis, atque adeo studiosissime hoc egisse, vt cibum caperet semper, quem diurno ipse, nocturnoque, labore, tractandis scilicet coriis, et conficiendis tentoriis [16], inuenisset. Hanc autem diligentiam, et cautionem, a se adhibitam esse, ipse professus est his verbis [17], ὀυδὲ δωρεὰν ἄρτον ἐφάγομεν παρά τινος. Nam vt ἄρτον φάγειν παρά τινος est *cibum capere alieno labore paratum, prandere, et coenare, de alieno*, cui formulae Paulus eodem in loco [18] opponit formulam τὸν ἑαυτοῦ ἄρτον ἐσθίειν, hoc est, *escis, et potionibus, vesci proprio labore inuentis, prandere, et coenare, de suo:* ita verba δωρεὰν ἄρτον φάγειν παρά τινος quin recte explicari verbis Ouidii [19] *cibo pasci mendicato*, id est, *gratuito*, possint, quis dubitet? Etenim pronomen ἑαυτοῦ eundem habet intellectum, quem pronomen ἡμῶν habere scimus in parte formulae precum familiae Christi

15. C. 9, 4.
16. Vid. Act. 18, 3. et Suicerus thes. eccles. v. σκυτοτόμος p. 981. s. To. 2. et Menagius ad Laërt. 2, 122.
17. C. 3, 8.
18. V. 12.
19. Trist. 5, 8. 14.

vniuersae communis illa [20], qua deum rogamus, velit nos cotidie laboribus inuenire iubere eam rerum ad viuendum necessariarum copiam, quae, ad vitam crastino quoque die conseruandam sufficiat: neç praepositionis παρὰ in formula ἄρτον φάγειν παρά τινος alia certe vis est, quam qua praeditam esse nouimus praepositionem *a* in formulis *dare ab alio*, *soluere ab alio* [21], reliquisque similibus. Qua quidem huius formulae exquisita elegantia, et constructione verborum minime vulgari, facile potuisse grammaticos leues, nec plane eruditos, ita offendi, vt pro verbo ἐφάγομεν, quod in plurimis, optimisque, codicibus extat, et ab eruditissimis, grauissimisque, librorum diuinorum interpretibus [22] redditum est, verbum ἐλάβομεν, quod reliqua admitteret Apostoli oratio, substituerent, quis non intellegit? Quo minus etiam mirandum est, irrepsisse illud in nonnullos, neque vetustatis, neque fidei, spectatae

20. Matth. 6, 11. Luc. 11, 3. Conf. Prolus. 12, 2. 46.

21. Vid. Cic. ad Att. 5. ep. 21. Conf. Tursellinus de Particulis orat. Lat. c. 1, 3. et Vigerus de Idiomm. L. G. 9, 6. 1. Atque haec interpretandi verba Pauli ratio haud dubie vera est. Possent enim etiam ita explicari, vt ante verba παρά τινος intellegi debere diceretur articulus τόν· qui certe nonnunquam sic omitti ab scriptoribus N. T. solet: vt 1. Pe. 2, 9. λαὸς εἰς περιποίησιν dictum est pro λαὸς ὁ εἰς περιποίησιν, et 2. Pe. 3, 10. κλέπτης ἐν νυκτὶ pro κλέπτης ὁ ἐν νυκτί. Sequuti autem hoc quoque in genere videntur vsum loquendi Hebraeorum: vt Ps. 90, 4. יום אתמול, h. e. ἡ ἡμέρα ἡ ἐχθὲς, vt οἱ ὁ verterunt: qui ipsi, eodem loco, pro אשמורה בלילה habent φυλακὴ ἐν νυκτὶ, sed Sym. φυλακὴ νυκτερινή.

22. Vulg. *neque gratis panem manducauimus ab aliquo*. Syr. ܐܦܠܐ ܠܚܡܐ ܕܡܓܢ ܐܟܠܢ ܡܢ ܐܢܫ ܡܢܟܘܢ.

ctatae codices: ſed eo magis admirandum putamus, quod Eraſmus, tam accuratae, acriſque, diligentiae vir, adduci ſe iſtorum librorum auctoritate paſſus ſit, vt verbum ἐλάβομεν ſua in exempla reciperet, nec Beza [23], et Camerario [24], ſummis viris, diſſentientibus; praeſertim quum vel altera enuntiationis Paulianae pars, ἀλλ' ἐν κόπῳ καὶ μόχθῳ, νύκτα καὶ ἡμέραν ἐργαζόμενοι, reſpuere illud, atque repudiare, videatur. Quia igitur vtriuſque formulae Hebraicae, אֱכוֹל וּשְׁתוֹת, et אֱכוֹל לֶחֶם, poteſtatem aeque late patere apparet: cui tandem in mentem veniat infitiari, loquutionem ἄρτον φάγειν, atque dictiones geminas, pertinere omnino ad eos, qui cibum ſumant, qui eſcis, et potionibus, veſcantur, qui prandeant, et coenent, qui conuiuentur, et epulentur, non tantum ad hos, qui panem comedant? De cuius quidem iſtarum formularum interpretationis veritate eo minus poteſt a quoquam recte dubitari, quo magis inter ſtudioſos librorum ſacrorum lectores conſtat, et Lucan [25], et Alexandrinos Iudaeos [26], eandem illam formulam Hebraicam, אֱכוֹל לֶחֶם, interpretatos reperiri

23. Beza verba Pauli Latine vertit, *neque gratis panem edimus* acceptum *a quoquam:* et ſubiecit hanc notam, *Quidam legunt*, ἐλάβομεν παρά τινος, accepimus a quoquam: *idque fortaſſis rectius.* Legit ita Oecumenius p. 737. Veron.: ſed Theophylactus p. 734. Londin. habet ἐφάγομεν, addita interpretatione hac, Ὅρα δὲ, πῶς δωρεὰν φαγεῖν ἐκάλεσε τὸ παρ' αὐτῶν τραφῆναι.

24. Camerarius ad verbum ἐργαζόμενοι adſcripſit haec: Ἔλλειψις, *vt deſit* διήγομεν *vel repetatur* ὡς κοινὸν, ἐλάβομεν τὸν ἄρτον.

25. C. 11, 37. coll. c. 7, 36. Nam φάγειν ibi idem eſt, quod ἄρτον φάγειν. vid. Proluſ. 12, 2.

26. Gen. 43, 25. Vid. Proluſ. 12, 2. et Proluſ. 25, 4.

riri verbo ἀριστᾶν, cui partes verbi δειπνεῖν dederint. Sed ſatis, et fortaſſe plus, quam ſatis eſt, de formulae ἄρτον φάγειν, eique parium, poteſtate diſputatum videtur: ad alias veniamus. In commentariis Matthaei, quo loco Chriſtus dei, patris ſui, ſapientiam admirabilem, incredibilemque benignitatem, laudando extollens inducitur, quam ita declaret, vt doctrina ſua, et praeceptis, non Phariſaeos, alioſque ciuitatis Iudaeorum principes, verum vulgus, impertiri velit, et iubeat, haec leguntur verba [27], Ναὶ, ὁ πατὴρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου. Quibus quidem verbis, etſi multi Lexicorum conditores reperiuntur, qui ſignificari praecipiant *bonam*, et *propenſam*, dei *voluntatem*, *gratuitum* hominum *amorem*: tamen, non modo ipſius rei naturam, ſed multo etiam magis vſus loquendi Euangeliſtae rationem, docere quemque facile poſſe ſperamus, vocem illam Chriſti omnino ad conſilium dei, et voluntatem, pertinere. Etenim quum εὐδοκία ἐγένετο ἔμπροσθέν σου idem valeat, quod εὐδόκησας, hoc eſt, ἠθέλησας· quum pro particula οὕτως ſic ſubſtitui recte verba τοῦτο ποιῆσαι poſſint: ſane perſpicuum eſt, ſententiam orationis Ieſu hanc eſſe, *recte tibi, pater, hoc videtur, et placet: recte hoc a te, pater, fit: laudo tuum hoc, pater, conſilium, et voluntatem.* Sed quo magis tamen videant, et vero etiam cernant, omnes, quam vera ſit haec vocis optimi ſalutis hominum ſeruatoris interpretatio: quid impedit, quo minus breuem illi approbationem adiungamus, praeſertim quum hoc quoque exemplo admoniti lectores librorum Noui Teſtamenti liberales cognoſce-

27. C. 11, 26.

gnoſcere poſſint, quam neceſſarium, quamque praeſens, adiumentum ad intellegendam eorum orationem Graecam ſit accurata linguarum orientis ſcientia, Chaldaearumque librorum Veteris Teſtamenti verſionum cum verbis diuinorum ſcriptorum Hebraicis comparatio diligens? Matthaeus enim in exponenda illa Chriſti oratione putandus eſt conſuetudinem loquendi aetatis ſuae, atque ciuitatis, eſſe ſequutus. Cuius quidem rationis veſtigia in commentariis Samuelis comparent eo loco, quo Samuel abiectos Iſraëlitarum animos, qui non neſcirent, quantam ſibi iram dei contraxiſſent ea temeritate, et petulantia, quod regem ſibi conſtitui, barbararum ciuitatum more, et exemplo, iuſſiſſent, ita excitare conatus legitur, vt confirmaret iis, et perſuadere ſtuderet, deum vel grauitatis ſuae, atque conſtantiae, cauſſa, quod ipſorum ſibi ciuitatem adoptaſſet, eam perrecturum eſſe amore ſuo, curaque, complecti, dummodo ipſi numen eius ſumma pietate, et religione, colerent. Haec autem ratio, qua vir diuinus orationi ſuae, et confirmationi, fidem faciundam cenſuit, verbis ibi [28] Hebraeis comprehenſa extat his, כִּי הוֹאִיל יְהוָֹה לַעֲשׂוֹת אֶתְכֶם לוֹ לְעָם, hoc eſt, *quum Ioua ciuitatem veſtram voluerit* [29] *ſuam eſſe*: quae verba Ionathas, Chaldaeus paraphraſtes, ita explicauit, אֲרֵי רַעֲוָא קֳדָם יְיָ לְמֶעְבַּד יָתְכוֹן קֳדָמוֹהִי לְעָם. Iam vero quum Chaldaica verba רַעֲוָא קֳדָם יְיָ, et Hebraea הוֹאִיל יְהוָֹה, vnum idemque,

 ſigni-

28. 1. Sam. 12, 22.

29. Vulgatus interpres vertit, *quia* iurauit *dominus facere vos ſibi populum*. Scilicet ducem ſequutus videtur interpretem aliquem Graecum, qui הוֹאִיל ductum putarit a verbo אָלָה. vid. Proluſſ. de Verſſ. Grr. V. T. p. 17.

significent; quum ex illa Chaldaei sermonis formula expressa sit Graeca, qua Matthaeus vsus est: quis dubitet, quin verba ὅτως εὐδοκία γίνεται ἔμπροσθέν σȣ idem valeant, quod εὐδοκεῖς τȣ̃το ποιῆσαι? Quod quidem etiam ita intellegi a quoque posse speramus. Constat enim inter omnes harum literarum peritos, Chaldaeum nomen רְעָוָא, et Hebraeum רָצוֹן, verba esse idem sententia: neque librorum Iudaeorum veterum lectores fugit, vsurpasse illos crebro tum, quum precarentur a deo aliquid, hanc formulam [30], יְהִי רָצוֹן מִלְּפָנֶיךָ יְהוָֹה, hoc est, *velis, placeat tibi, Ioua*, ita, vt nihil distaret a formula רְצֵה יְהוָֹה, quae in libro hymnorum Dauidicorum [31] legitur. Sed verbum רָצוֹת Alexandrini Iudaei verbo εὐδοκεῖν explicarunt. Vt igitur in versione illorum verba Dauidis, רְצֵה יְהוָֹה לְהַצִּילֵנִי, reddita extant verbis Graecis his, εὐδόκησον, Κύριε, τȣ̃ ῥύσασθαί με· articulus enim infinitiuo ab iis, repugnante Graecae orationis ingenio, additus est, ne particulam Hebraeam ל neglexisse viderentur [32]: vt Lucas in commentariis [33] scripsit, εὐδόκησεν, ὁ πατὴρ ὑμῶν δȣ̃ναι ὑμῖν τὴν βασιλείαν, et Paulus in epistola ad Galatas [34], εὐδόκησεν ὁ Θεὸς ἀποκαλύψαι τὸν υἱὸν αὐτȣ̃ ἐν ἐμοί· ita etiam Matthaeum omnes facile vident pro ὅτι ὅτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σȣ dicere, salua Christi sententia, potuisse, ὅτι εὐδόκησας τȣ̃το ποιῆσαι. Hic vero ipse Euangelista alio loco [35] eandem illam formulam com-

30. Vid. Ludou. Capellus spicileg. ad Matth. 11, 26.

31. Ps. 40, 14.

32. Vid. Prolus. de locis nonnullis N. T. e verss. Grr. Malachiae illustrandis s. 3. p. 15., quae est Prolusf. in V. et N. T. prima: et Prolus. 33, 4.

33. C. 12, 32.

34. C. 1, 15. s.

35. C. 18, 14.

commutasse reperitur haec, ὅτως ἐςὶ θέλημα ἔμπροσθεν τȣ̃ πατρὸς τȣ̃ ἐν ȣ̓ρανοῖς, pro qua Petro [36] placuit vti ista, ὅτως ἐςὶ τὸ θέλημα τȣ̃ θεȣ̃, ita, vt vel ex hac vtriusque formulae commutatione rectissime iudicari possit, verba ἐγένετο εὐδοκία verbis ἐςὶ θέλημα esse potestate paria, atque adeo omnino ad voluntatem dei, et consilium, referri debere. Quod quidem iudicium etiam eo confirmatur, quod, non tantum in Alexandrinorum, reliquorumque Veteris Testamenti interpretum, versionibus verba εὐδοκεῖν, et θέλειν [37], atque nomina εὐδοκία, et θέλημα [38], inter se permutata extant, ita, vt nec Glossariorum veterum auctores [39] verbum alterum altero interpretari dubitarint, sed etiam Syro Noui Testamenti interpreti visum est nomen ܨܒܝܢܐ [40], et verbum ܨܒܐ [41], ita ponere, vt hoc verbis εὐδοκεῖν, et θέλειν, etiam βȣ́λεσθαι, illud nominibus εὐδοκία, et θέλημα, etiam βȣλὴ, responderet: quod quam scienter ab eo, et perite, factum sit, vel ex hoc elucet, quod Chaldaei paraphrastae nomen רָצוֹן eodem nomine צִבְיוֹנָא [42], et verba אֲבוֹת, atque הוֹאִיל eodem verbo מִצְבָּא [43], inter-

36. I. ep. 2, 15.

37. Ps. 40, 14. pro רְצֵה οἱ ό habent εὐδόκησον· inc. θέλησον in cod. Colbertino, ςιχηρῶς scripto.

38. Ps. 30, 8. pro רָצוֹן in vers. Alex. est θέλημα, sed in Symmachi reliquiis εὐδοκία.

39. Hesychius: Εὐδόκησαν· — ἠθέλησαν. Ηὐδόκησεν· ἐθέλησεν. Θέλω· — εὐδοκῶ.

40. Matth. 11, 26. Luc. 10, 21. Matth. 18, 14. 21, 31. Luc. 7, 30.

41. I. Corr. 1, 21. Gal. 1, 15. Matth. 26, 15. Hebrr. 6, 17.

42. Prouu. 10, 32. 11, 1. 16, 15.

43. Iob. 39, 9. Leuit. 26, 21. Ionath. Ex. 2, 21. Onquel.

terpretati sunt. Neque enim eo, quod Paulus in epistola ad Ephesios [44] de consilio dei, et voluntate, vsus est formula κατὰ τὴν εὐδοκίαν τȣ̃ θελήματος αὐτȣ̃, moueri quisquam debet, vt vocabulo εὐδοκία potestatem ab potestate nominis θέλημα diuersam tribuendam esse putet. Nam quum idem ille Apostolus de eadem dei voluntate in epistola ad Galatas [45] ita loquutus reperiatur, vt eam simpliciter θέλημα appellarit: satis perspicuum esse, atque euidens, arbitramur, eam in altero illo loco circumscriptam esse assumto nomine εὐδοκία· quo ipso circuitionis genere delectatus Paulus [46] simplicem misericordiam σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, vt Lucas [47] σπλάγχνα ἐλέȣς, dixit. Quae quum ita sint: quis non probet, ac laudet, Theophylacti doctrinam, atque diligentiam, qui, vt nomine εὐδοκία a Matthaeo simpliciter τὴν θέλησιν, et τὴν ἀρέσκειαν, significatam esse recte vidit [43], ita vocem illam Christi ipsam aeque eleganter interpretatus est [49] cum Chrysostomo [50] verbis ȣ̃τω σοι ἤρεσεν? Atque auctoritatem horum ducum, et prouidentiam, sequi omnes Lexicographi ita debebant, vt formulam ȣ̃τως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σȣ omnino ad consilium dei, atque voluntatem, referendam esse docerent. Neque tamen maiorem cautio-

44. C. 1, 5.

45. C. 1, 4.

46. Col. 3, 12.: vbi Grisbachius, et Matthaeius, singularem numerum οἰκτιρμȣ̃ pro plurali οἰκτιρμῶν substituerunt. vid. Prolus. 6, 4. 86.

47. C. 1, 78.

48. p. 45. Rom.

49. d. l. Δηλοῖ ἐνταῦθα τὴν φιλανθρωπίαν τȣ̃ πατρός, ὅτι ȣ̓χ ὑπ' ἄλλȣ παρακληθεὶς ἀπεκάλυψε τοῖς νηπίοις, ἀλλ' ȣ̃τως ἤρετε αὐτῷ ἐξ ἀρχῆς· εὐδοκία γὰρ ἡ θέλησις, καὶ ἡ ἀρέσκεια.

50. Homil. 39. in Matth. 11. p. 448. E To. 1. Francof.

tionem, et doctrinam, probarunt nonnulli istorum hominum in explicanda vi formulae *βάλλειν μάχαιραν ἐπὶ τὴν γῆν*, quae in commentariis Matthaei legitur, quo loco [51] Christus refertur Apostolis ostendisse, se a patre suo ad Iudaeos missum esse diuinae doctrinae interpretem, et has ipsas partes Apostolis imposuisse, non vt Iudaeorum ciuitatem consensionis, et concordiae, et otii intestini, bonis bearet, sed vt auctor illi existeret, parensque, seditionum, et discordiarum, et dissensionum domesticarum. Quae quidem optimi, et sanctissimi, hominum seruatoris vox ne auribus forte, animisque, leuibus, et imperitis, molesta, grauisque, accidat: eam ille emisisse propterea putandus est, vt, tanquam vates, caneret, futurum esse, vt Iudaeorum alii disciplinam ipsius, et Apostolorum, sequerentur, eique nomina darent, alii eandem fugerent, tantaque contumacia repudiarent, vt in sectatores eius conciperent tanta odia, et tam graues inimicitias, vt etiam salutem eorum, atque caput, omnibus modis oppugnarent. Ipsa autem forma loquendi, *βάλλειν μάχαιραν ἐπὶ τὴν γῆν*, quum a Matthaeo ex oriente arcessita sit: nec interpretationem eius aliunde, quam ex Hebraeo sermone, repetendam esse, quis non intellegit? Iam vero Hebraei reperiuntur [52] nomen חֶרֶב ita retulisse ad nomen שָׁלוֹם, vt eo *bellum*, et *caedem*, significarent: quibus verbis quum Euangelista non ignoraret vsum esse ipsum Christum; visum ei est, *μάχαιραν* ita opponere *εἰρήνῃ*, vt hoc vocabulo *amicitiam*, et *consensionem*, et *concordiam*, hominum complecteretur, illo *inimicitiam*, et *dissen-*

51. C. 10, 34. 52. Ier. 14, 13.

dissensiones, et *discordias*, eorum declararet, quae etiam eo progrederentur, vt alter alterius caput, et vitam, ferro, insidiisque, appeteret. id quod non tantum ex iis apertum, perspicuumque, est, quae Matthaeus Christum deinceps [53] differentem

53. C. 10, 35. f. Legitur ibi verbum διχάζειν· cuius verbi vis quia non satis explicata est, neque a Stephano, neque ab ipsis Lexicographis Noui Testamenti: eam paulo diligentius demonstrare, occasione inuitante, conabimur. Primum enim, et proprie, significat *bipertiri*, quo verbo explicatum extat in antiquis Glossariis a Labbaeo editis; *diffindere, diuidere, in duas partes*. Legitur hoc sensu, et ap. Plat. Politic. f. 8.; quo loco lectio Bas. 2. δίχα σχίζειν e glossemate nata videtur; nam δίχα est εἰς δύο μοίρας [v. Phauorinus h. v. et Plato Cratyl. 14.]: et Leu. 1, 17. pro verbo Hebr. שִׁסַּע in reliquiis inc. interpretis, quem ego Aquilan esse ex eo suspicor, quia idem Aquila Deut. 14, 6. *bestiam, cui sunt bifissae vngulae*, quae a Mose בְּהֵמָה שֹׁסַעַת שֶׁסַע שְׁתֵּי פְרָסוֹת dicitur, vocat δεδιχασμένον διχασμῷ. Nomen διχασμὸς, quod Stephanus in thesauro omisit, a Scoto in appendice thes. Stephaniani laudatur e Phauorini Lexico v. διέτρεσαν· sed Phauorinus verba illa in suum Lexicon transtulit ex Eustathii commentariis ad Il. λ', 481. p. 857. 48. ss. Rom. Et *dentes aduersi acuti* dicuntur διχαστῆρες auctore Polluce 2, 91. ὅτι — διχάζουσι τὸ προσπεσὸν, h. e. *quia morsu diuidunt escas* [Cic. N. DD. 2, 54.]: atque ap. Eustath. ad Odys. η' pag. 1582. 11. Rom. τὰ ἄτερ τεταγμένα leguntur δεδιχάσθαι ἀλλήλων. Ap. Xen. anab. 4, 8. 15. διχάζειν legitur, vt Medium, de *agmine* hostium in *duas* se *partes* diuidente: et Suidas v. διχαζούσης attulit locum ignoti cuiusdam scriptoris, qui *tempus meridianum* expressit verbis διχαζούσης τῆς ἡμέρας, h. e. κλινούσης, ipso Suida interprete. Sic apud Xen. Cyrop. 7, 1. 16. legitur in cod. Bud. Altorp. ἅτε οὐ δυναμένων διαχάσασθαι τῶν Αἰγυπτίων, quum libri alii omnes habeant διαχωρῆσαι, h. e. *quippe quum non possent discedere Aegyptii*, quum iuga aciei Aegyptiorum non possent se disiungere, vt aurigae Persarum veherentur curribus

tem facit de inimicitiis, atque dissidiis, parentum, et liberorum, cognatorum, et affinium, patrum familias, et familiarium, sed vel maxime ex eo apparet, quod Lucas [54] eandem illam Christi orationem ita exposuit, vt nomen *μάχαιρα* nomine *διαμερισμὸς* commutarit. Qui ipse Euangelista verbum *δοῦναι* recte substituit pro verbo *βαλεῖν*, atque sic, vt etiam pro *ἐπὶ τὴν γῆν* scripserit *ἐν τῇ γῇ*, quum in Hebraeo sermone non nesciret vsitatam esse, atque tritam, formulam [55] תֵּת שָׁלוֹם בָּאָרֶץ. Sed iidem Hebraei con-

bus per spatia relicta sine vllo eorum detrimento. Iam Leoclauius recte vidit, pro *διαχάσασθαι* rescribendum esse *διχάσασθαι*· sed Zeunius hoc verbum, auctoritate eius, perperam substituisse in ordine pro verbo *διαχωρῆσαι* videtur, etiam propterea, quod verbum *διαχωρῆσαι* aptius refertur ad verbum *μένειν*. Qua quidem de re plura a nobis ad illum Xenophontis locum, volente deo, disputabuntur. Matthaeo autem placuit hoc verbum ad animum ita referre, vt esset *iubere dissidere*, *auctorem esse dissensionis*, *et discordiae*. Cuius quidem notionis originem ducendam esse arbitror ab vsu verbi Hebraici פָּלַג, et הִפְלִיג: quod proprie valet *diuidere* aliquid *in duas*, *pluresue*, *partes*, *διαμερίζειν*, *διαιρεῖν*· sed illa aetate dubitari non potest quin ita vsurpatum fuerit, vt esset *iubere dissentire*, *et dissidere*, *auctorem dissensionum*, *et discordiarum*, *esse*. Nam primum Syrus Noui Testamenti interpres reddidit hoc verbo illud Graecum: deinde, et verbum פְּלִיג in libris scriptorum Talmudicorum, et nomen פְּלִיגָא in paraphrasibus Chaldaeis V. T., legitur de dissensionibus, et discordiis. v. Buxtorfius Lex. Talmud. h. v. Ex quo etiam iudicari potest, cur Lucas c. 12, 51. ff. eadem de re vsus sit verbis *διαμερισμὸς*, et *διαμερίζεσθαι*· quorum hoc Syrus interpres verbo ܐܶܬ݂ܦܠܓܘ, illud nomine ܦܠܓܘܬܐ, explicauit, vt in versione Alexandrina Gen. 10, 25. et 1. Parall. 1, 19. pro verbo הִפָּלֵג verbum *διαμερίζεσθαι* extat.

54. C. 12, 51.

55. Leu. 26, 6. add. Hag. 2, 9. 1. Parall. 22, 9.

consueuerunt multa verba, quibus proprie vis quaedam, atque impetus, indicaretur, ita vsurpare, vt res simpliciter, remota, exclusaque, omnis violentiae notione, significarent. Sic, vt hoc vtar, Moses, quo loco [56] refert, deum iussisse Adamum e paradiso migrare, verbum שָׁלַח verbo גֵּרֵשׁ permutauit: quod ipsum verbum legitur in Exodo [57] de amicis, et familiaribus, regis Aegypti, qui Mosen, et Aharonem, ex eius conspectu abire coëgerunt. Et quanquam lingua Graeca [58], et Latina [59], huius generis ver-

56. Gen. 3, 23. f.

57. C. 10, 11. Nam verbum וַיְגָרֶשׁ referendum videtur, non ad ipsum regem, nisi statuere velis, מֵאֵת פְּנֵי פַרְעֹה dictum esse pro מֵאֵת פָּנָיו: sed ad eius amicos v. 7., ita, vt eorum quisque Mosen, et Aharonem, e conspectu regis abire iussisse intellegatur. Certe *οἱ ὁ* vertunt *καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς*· et Iarchius adscripsit ad istum locum haec, הרי זה לשון קצר ולא פי׳ מי המגרש: Vulg. *statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis*. Similis plane huic locus est Leuit. 16, 32.

58. Hoc ex genere est verbum *ἀποσπασθῆναι abiisse, recessisse*, Luc. 22, 41.: vbi lectio cod. Cantabrig. Bezae *ἀπεστάθη* e glossemate nata videtur. Conf. Matth. 26, 39. Marc. 14, 35. Atque sic legitur etiam Act. 21, 1. et 2. Macc. 12, 10.: quo loco in Latina versione est verbum *abire*. Scilicet Hebraei tum ita vsurpasse videntur verbum פְּרַק: quo verbo Syrus certe quidem interpres N. T. explicauit verba Graeca *ἀποχωρεῖν*, et *ἀπαλλάσσεσθαι*. vid. Luc. 9, 39. Act. 19, 12. Conf., praeter Raphelium ad Luc. 22, 41., Dresigius V. M. 1, 24. et Hemsterhusius ad Lucian. p. 256. To. 1. et Obseruatt. miscell. pag. 210. Vol. 10.

59. Sic *deterrere* saepe dicuntur ii, qui aliis aliquid dissuadent, qui alios rationibus eo perducere student, ne quid faciant: vt ap. Cic. 1. ep. 7, 13., vbi opponitur verbo *adhortari*. v. Graeuius ad Iustin. 14, 1. 13.: vbi non dubito quin verbum *retinuit* sit interpretamentum verbi *deterruit*. Et Cicero 7. ep.

verbis admodum diues est, et copiosa: Graeci tamen hanc rationem tenuisse reperiuntur maxime in verbi βάλλειν, eiusque familiae, vsu. Certe formulae ἐπὶ φρεσὶ τιθέναι, et ἐνὶ θυμῷ βάλλειν, sunt in carminibus Homeri [60] idem valentes: qui idem poëta [61] formulas χερσὶν ἐμβάλλειν, et χειρὶ ἐμβάλλειν, de iis, qui aliis aliquid in manum dant, atque tradunt, ita posuit, vt apud Hesiodum [62] verba ἐν θυμῷ βάλλεσθαι non alium habent intellectum, quam verba τίθεσθαι ἐν τῇ καρδίᾳ apud Lucan [63]. Quo minus mirandum est, Alexandrinos interpretes Veteris Testamenti verba Hebraea הֵשִׂים, et הֵשִׁית, cum ipsorum comitibus ב, et עַל, verbis ἐμβάλλειν [64], et ἐπιβάλλειν [65], explicasse. Neque vero aliter Euangelistae, et Apostoli, vsi sunt verbis βάλλειν [66], et ἐκβάλλειν [67], ita, vt nec dubitandum vllo modo

ep. 6, 4. se ait Trebatium *extrusisse*, quia ei auctor fuerat, quia eum assiduis cohortationibus adduxerat, vt in Galliam proficisceretur.

60. Il. ά, 55. Odys. ά, 200. s.

61. Odys. ά, 438. β', 37.

62. Ἔργ. 297.

63. Act. 5, 4.

64. Gen. 31, 34. 44, 1. s. Ex. 2, 3.

65. Gen. 48, 14. 17. Et priore quidem loco pro ἐπέβαλεν exemplum Complut. habet ἐπέθηκεν· quod verbum e versione alius cuiusdam interpretis sumtum esse, quis non videt?

66. Ioh. 20, 25. 27.

67. Matth. 9, 38. Marc. 1, 43. 5, 40. Luc. 8, 54. 9, 40. [vbi lectio cod. Cantabrig. Bezae ἀπαλλάξωσιν est glossema: vt ap. Aeschin. Socr. 2, 22. verbum ἐκβληθῆναι refertur ad verba ἀπαλλάττεσθαι κελεύειν c. 21.] Iac. 2, 25. Sic maritus Sirac. 7, 26. legitur ἐκβάλλειν τὴν γυναῖκα, h. e. *iubere vxorem sibi res suas habere*, qui ab ipsis scriptoribus Graecis, Atticis maxime, dicitur fere ἐκπέμπειν τὴν γυναῖκα, etiam ἀποπέμπειν, et ἀποπέμπεσθαι. V. Valquenarius ad Eran. Philon. p. 160. et ad Herodo. 3, 148. p. 273.

do

do videatur, quin Matthaeus eo in loco, de cuius ſenſu quaerimus, verbo βάλλειν reddiderit Hebraeum verbum שַׁלַּח, quod in verſione a Munſtero edita legitur, non verbum ܡܫܕܪܐ, quo Graecum interpres Syrus expreſſit, atque adeo illud partes verbi ἀποςέλλειν agere iuſſerit. Sed haec ipſa res, non modo fontem demonſtrat, e quo Euangeliſta formam illam loquendi hauſerit, verum ſententiam quoque verborum eius aperit. Etenim quum formula הַשְׁלִיחַ רָעָב בָּאָרֶץ oculis legentium prophetarum oracula non vno in loco ita occurrat [68], vt ſignificet *habitatores Palaeſtinae*, Iudaeos, *iubere fame vrgeri;* quum Ezechiel [69] deum incolis Hieroſolymorum caedem, cladem- que, ita denuntiantem, et praedicantem, faciat, חֶרֶב שִׁלַּחְתִּי אֶל־יְרוּשָׁלַם: quis non videt, Matthaeum formulas βάλλειν εἰρήνην, et βάλλειν μάχαιραν, ἐπὶ τὴν γῆν ad verbum ex Hebraeis expreſſiſſe, quarum haec declararet *Iudaeos iubere eſſe diſcordes, Iudaeis parentem exiſtere, atque auctorem, inimicitiarum, et diſſenſionum, et diſcordiarum,* illa *Iudaeos iubere amicitiam, et conſenſionem, et concordiam, colere?* Nam vocabulum ἡ γῆ ad ſolam Palaeſtinam, non omnino ad omnes orbis terrarum regiones, et partes, quas doctrina Chriſtiana peragratura erat, pertinere, rem ipſam loqui putamus, quum Chriſtus oſtendere voluiſſe videatur, quid, ipſius, Apoſtolorumque, aetate, eſſet eo in genere futurum, non quid poſt illa tempora vſu venturum eſſet. Ex iis igitur, quae hactenus a nobis diſputata ſunt, vt doceremus, Chriſtum egiſſe cum Apoſtolis omni-

68. Amoſ. 8, 11. Ez. 14, 13. add. Ier. 24, 10. Ez. 5, 16. ſ.

69. C. 14, 21.

omnino de dissidiis, et dissensionibus, et discordiis, quas disciplinae ipsius professio commotura esset, satis intellegi posse speramus, non carere erroris culpa Lexicographos Noui Testamenti illos, qui verba illa auctoris, et praesidis, religionis Christianae tantum ad rixas, et contentiones, et pugnas, referenda esse praecipiant. Sed hac tota disputatione nostra admoneri posse putamus lectores librorum sacrorum non plane peritos, et doctos, vt diligenter, et acriter, caveant, ne sese auctoritate istorum hominum adduci patiantur, vt potestatem iunctorum verborum amplam, lateque patentem, coangustare, et coarctare, non tam repugnante, quam reluctante, vsu loquendi Graeco, et Hebraeo, conentur.

III. Caeterum etiam hic libellus a nobis vel maxime propterea propositus est, vt adulescentes ingenui omnes, qui constituissent theologorum, et sacerdotum, personas suscipere aliquando, et praeclare agere, cognoscerent, neque scientiam Christianae doctrinae grauem, neque idoneam de partibus eius differendi, dicendique, facultatem, existere, et efflorescere, vllo modo, sine accurata, plenaque, linguarum veterum, et legum iustae interpretationis, cognitione, posse. Quibus quidem in virtutibus, et ornamentis, comparandis, et adaugendis, et perficiendis, etsi ipsa eorum natura, atque praestantia, clamare videtur, non paucorum annorum spatium, sed totius vitae curriculum, ita esse consumendum, vt volumina Graeca maxime, et Latina, diurnis, nocturnisque, manibus versentur: tamen quis nescit, tantam esse multorum hominum, nostra in primis aetate, temeritatem, peruersitatemque, vt adulescentes sacra-

rum literarum ſtudioſos iubeant, ſimulac ſcholarum minorum diſciplinam reliquerint, omnem continuo librorum veterum vtriuſque ſermonis lectionem, et interpretationem, non deponere, ſed abiicere, quippe quae, non modo nihil conferat, neque ad collegendas, neque ad exponendas ſermonibus, et literis, doctrinae Chriſtianae opes, ſed etiam vitae, moribuſque, inſidioſa, atque adeo theologi, et ſacerdotis, perſona indigna, reperiatur? Sed ad demonſtrandam, patefaciendamque, et turpitudinem inſignem, et admirabilem vanitatem, iſtarum vocum, quae quam iucundae, dulceſque, ſint auribus ignauis, et illiberalibus, quis non intellegit? nihil plus valere arbitramur, quam exempla ſummorum, ſanctiſſimorumque, theologorum, quos maximam vitae ſuae partem in lectitandis, interpretandiſque, libris Graecis, et Latinis, ita poſuiſſe conſtet, vt ipſi huius operae, ſtudiique, aſſiduitati, et pertinaciae, doctrinam ſuam, et virtutem, propemodum omnem grati, graueſque, acceptam retulerint. Philippus quidem Melanthon, primo in ſchola Pforcenſi, deinde in academia, et Heidelbergenſi, et Tubingenſi, cui deus faueat! cum ſacrarum literarum cognitione lectionem, et interpretationem, principum vtriuſque linguae ſcriptorum tanto coniunxit ſtudio, vt aequales ſuperaret facile omnes: et quum ei perſona doctoris bonarum literarum publici Vitebergae impoſita eſſet a Friderico Sapiente, Saxoniae principe, in legendis, atque enarrandis, eorundem hominum libris fuit tanto opere occupatus, vt nihil agere aliud pleriſque videretur. Quis vero maiore tum interpretandi libros diuinos facultate fuit praeditus? quis

quis magis excelluit accurata, et graui, doctrinae diuinae scientia? quis dilucidius, et elegantius, copiosius, et ornatius, dicere, atque disserere, de omnibus eius partibus valuit? quis impetus aduersariorum eius omnes, etiam acerrimos, et violentissimos, vel retardauit solertius, vel felicius repressit? quis denique magis floruit laudibus virtutis, et sanctitatis, et innocentiae, singularis? Itaque quum tres alumni scholae nostrae publici, CHRISTI. FRIDER KORBINSQVIVS, *Bornensis*, CAR. THEOCRATES KOEPINGIVS, *Kibiza Misnicus*, et CAR. THEOPH. DOEHLERVS, *Ricobaco Nariscus*, bonae spei adulescentes, qui disciplina rectoris vsi sunt tres ipsos annos, meminissent, nonnullos suorum condiscipulorum superiore anno ante discessum e schola Thomana in academiam Lipsiensem suum de natura, et ratione, accuratae, atque assiduae, lectionis, et interpretationis, scriptorum veterum ita verba fecisse, vt ostenderint, quot, quantorumque, ornamentorum mentis, et animi, et orationis, illae essent, vel effectrices felicissimae, vel fidelissimae adiutrices; vt, quanta vsus horum bonorum praestantia esset etiam in grauioribus disciplinis, et cognoscendis, et tractandis, eo facilius cerneretur a cunctis; quum omnem curum posthac, et operam, ad theologiam conferre vellent suam: constituerunt ante, quam e disciplina nostra discederent, auctoritate exempli Melanthonis breuiter docere, nullum facile adiumentum, nullum ornamentum, doctrinae, et vitae, persona theologi dignum reperiri, quod non exspectari ab assidua, diligentique, barbarorum librorum lectione, et interpretatione, re-

cte possit. Quas quidem eorum oratiunculas quin praesentia sua ornaturi sint patroni scholae Thomanae amplissimi, et grauissimi curatores, et doctores academiae, ecclesiaeque, Lipsiensis excellentissimi, maximeque venerabiles, tanto minus dubitare debere videmur, quanto certius scimus, animos bonorum omnium admiratione meritorum Melanthonis in religionem Christianam, doctrinasque liberales omnes, captos teneri tanta, vt nomen mortui, et virtutem, omni honoris, cultusque, genere affici vel maxime gestiant. Nos vero nouo hoc fauoris, et beniuolentiae, eximiae documento, tanquam acerrimo quodam stimulo, incitati summa contentione in hoc elaborare conabimur, vt adulescentibus ingenuis, fidei nostrae, ac disciplinae, traditis, et commendatis, patefaciamus maiore cotidie, et alacritate, et diligentia, atque muniamus, vias, quibus perducantur ad facultatem idoneam, et intellegendi, et interpretandi, libros vtriusque orationis optimos, quo melius, et felicius, versari in cognoscendis, percipiendisque, etiam vtendis, et ad communem vtilitatem conferendis, maiorum artium copiis possint. Scripsimus Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Idus Apriles A. C. CIↃIↃCCLXXX

PROLV

PROLVSIO QVARTA DECIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN NEGLEGENTIA MVNDITIEI ELEGANTIAEQVE LATINAE IN EXPLICANDIS VERBIS GRAECIS SINGVLIS

Q. B. V

Quum nobis ante annos fere nouem placuisſet paulo copioſiorem inſtituere diſputationem de Lexicorum Noui Teſtamenti vitiis, eo maxime conſilio, vt conſultores improuidi, et incauti, varia eorum, et multitudine, et magnitudine, cognita, atque perſpecta, doctrinae, et diligentiae, Lexicographorum diffidere aſſueſcerent, neque ſe ab illis, vel deſtitui, vel decipi, paterentur: viſum eſt iſta vitia deſcribere in duo genera, quorum vnum intellegeretur eſſe eiuſmodi, vt ſtudia lectorum liberalium, qui ſententiam orationis Euangeliſtarum, Apoſtolorumque, reperire cuperent, omnino impediret, atque irrita redderet; alterum, etſi nihil magnopere obeſſet ipſi librorum diuinorum intellegentiae, tamen operam legentium, et laborem, multis, nec paruis, difficultatibus, moleſtiiſque,

augeret. Et hactenus quidem vitia prioris generis quatuor notauimus, et persequuti sumus. Etenim ingentem numerum verborum, et simplicium, et iunctorum, inueniri docuimus, quibus conditores Lexicorum Noui Testamenti notiones, vel omnino falsas, vel certe ambiguas, incertasque, subiecerint, et quorum vim, atque potestatem, repugnante vsu loquendi, nimium, vel amplificauerint, vel minuerint. Huiusmodi vero verborum Graecorum interpretamentis lectores sacrorum librorum ita adiuuari posse, vt animis concipiant easdem rerum imagines, quae fuerint menti diuinorum scriptorum obuersatae, quis tandem, quaeso, speret?

II. Sed, praeter haecce huius generis vitia, laborant illa ipsa Lexica non paucis aliis. Etenim auctores eorum in explicandis, et verbis singulis, et integris formulis, fere vsi sunt oratione, non Latina, sed peregrina, quae esset ab antiqua illa, et vernacula, elegantia tantopere aliena, vt a lectoribus Latine doctis intellegi nullo modo, sine interpretis opera, posset. Cuius quidem ineptae obscuritatis, atque peregrinitatis, ratio, et varietas, est in promtu posita. Nam in conuertendis verbis Graecis simplicibus isti homines sibi ita fere versandum putarunt, vt primum notationem eorum, et originem, non vim, et sententiam, sequerentur, deinde vnum, idemque, vocabulum Graecum, quod variis in locis variam potestatem haberet, vbique vno, eodemque, verbo Latino redderent. Huius vero rationis peruersitate satis apparet fieri non potuisse, quin, vel noua saepe, et Latinis antiquis inaudita, verba, quorum forma ab omni analogiae elegantia abhorreret, etiam in iis locis, quibus

bus exponitur de rebus rationem, captumque, hominum non ſuperantibus, fabricari, et fingere, cogerentur: quam fingendi libidinem, et licentiam, in lingua, quae dudum deſita eſt vſurpari in conſuetudine, vitaque cotidiana, quis vllo modo ferendam putet? vel certe verbis, quamvis elegantibus, et vſitatis, tamen vim, et poteſtatem, nouam, atque inuſitatam, tribuere auderent, adeo, vt verba Latina ſaepenumero eſſent etiam obſcuriora, quam Graeca verba ipſa. Et in explicandis formulis, omninoque verbis iunctis, quum hoc ſibi ſpectandum cenſuerint, vt annumerarent verba, non appenderent, lectoribus librorum diuinorum, vt, non genus omnium verborum, vimque, ſeruarent, ſed verbum pro verbo redderent; quum, non modo formulae, quibus ſcriptores librorum Noui Teſtamenti vſi ſunt, ferme omnes ita expreſſae ſint ex Hebraeis formulis, vt etiam poteſtatem earum retinuerint, ſed ſtructura quoque orationis tota, atque compoſitio, formam, faciemque, linguae Hebraeae referat: cuius linguae natura, et ſimplicitas, quantum diſcrepet ab ornatu, et ingenio, Graeci, Latinique, ſermonis, quis neſcit? mirandum profecto non eſt, interpretationes formularum Graecarum Latinas, quae in plerisque Lexicis Noui Teſtamenti leguntur, eſſe adeo obſcuras, et barbaras, vt a lectoribus, qui Latine ſciant, ſed Hebraice neſciant, intellegi nullo modo poſſint. Hanc vero obſcuritatem, atque barbariem, quae a profeſſione, et officio, bonorum, diligentiumque, interpretum tantopere abhorreat, quis non arbitretur in numero vitiorum Lexicorum Noui Teſtamenti ab nobis recte reponi?

III. Iam etsi exempla huius eorum vitii sunt in medio posita, vt collegi a quouis sponte, et sine vllo negotio, ex omnibus huiusmodi libris possint; etsi multitudo eorum, et copia, tanta est, vt primum inueniri facilius, quam vltimum, liceat: tamen vt constantes esse videamur, neque haec nostra de isto vitio disputatio reperiatur dissimilis disputationi de vitiis, quae a nobis superioribus in libellis descripta, et notata, sunt: age, nonnulla huius generis verba, et formulas, proponemus, atque de illis ita disputabimus, vt appareat, quam male Lexicographi partes suas hoc quoque in genere egerint, et quam parum studuerint cupiditati lectorum Noui Testamenti liberalium satisfacere. Ordiemur a verbis simplicibus, et ab his ad verba iuncta, loquendique formulas, proficiscemur.

IIII. Ἱκανὸς a Graecis, vt a Latinis *idoneus*, dicitur *is*, *qui nomine suo dignus est*, *qui instructus est virtutibus*, *et adiumentis*, *necessariis ad edenda artis*, *quam profitetur*, *vitaeque generis*, *quod sequitur*, *documenta eiusmodi*, *quae*, non tantum existimatoribus, sed etiam *iudicibus*, *probentur*. Tales autem homines quum, non modo possint, sed etiam soleant, facere ea, quae profitentur: quis, quaeso, miretur, vocabulum ἱκανὸς infinitiuis verborum ita adiungi ab omnis generis, et aetatis, scriptoribus solere, vt significet, nunc *eum*, *qui potest aliquid facere*, *qui facultate alicuius rei*, *et artis*, *pollet*, nunc *eum*, *qui facere aliquid solet*, atque adeo eadem potestate gaudeat, quam verba δεινὸς, et δυνατὸς, etiam τοιοῦτος, vel τοιόσδε, ὢν, οἷος, et οἷος, atque οἷός τε, sequentibus infini-

finitiuis [1], habent? Hoc enim perspici planissime potest, non solum ex iis locis, quibus nomen ἱκα-

1. Scilicet multa verba, multae formulae, sequuntur constructionem eorum verborum, quorum vicem implent. Sic verba ἀποθνήσκειν, θνήσκειν, ἀπόλλυσθαι, τελευτᾷν, et similia, quia idem significant, quod ἀποκτείνεσθαι, construuntur, vt passiua, cum praepositionibus ὑπὸ, πρὸς, et ἐκ· formula δίκην διδόναι quia potestatem cum verbo κολάζεσθαι communem habet, etiam praepositionem ὑπὸ addi sibi iubet: neque partes, in quas aliquid diuiditur, casu, vel primo, vel quarto, aliam ob caussam exprimuntur, quam quia verba diuidendi, vt διαιρεῖν, διαιρεῖσθαι, et alia, idem valent, quod ποιεῖν, et ποιεῖσθαι. Sed hac de re copiosius a nobis, et diligentius, disputabitur, volente deo, in animaduersionibus ad Velleri Grammaticam, quarum nouam adornare editionem iussi sumus. Itaque quum τοιοῦτον εἶναι οἷον, vel εἶναι οἷον, omisso pronomine τοιοῦτον, vel οἷον simpliciter [v. Plato Phaedon. 33. 43. Aelian. V. H. 11, 13.], intellectis verbis τοιοῦτον εἶναι, idem declaret, quod verba βούλεσθαι, εἰωθέναι, δύνασθαι· quum formularum οἷόν τ' εἶναι, et οἷόν τε, haec vis sit, vt semper idem significent, quod verbum δύνασθαι· sane mirandum non est, istis formulis infinitiuos omnibus in locis adiunctos legi. Sed ex his, quae breviter a nobis de natura, et vsu, horum verborum dicta sunt, satis intellegi, vt opinor, potest, primum, errare eos, qui praecipiant, pronomen οἷος per se regere infinitiuum: deinde particulae τε in formula οἷόν τε non hanc vim esse, vt mentem lectoris addere iubeat pronomen τοῖον, immo eam tantum propterea addi, vt lectores intellegant, οἷόν τε esse idem, quod δύνασθαι, quum οἷον etiam ita ponatur, vt sit βούλεσθαι, vel εἰωθέναι. Harpocratio: Οἷος εἶ, καὶ οἷός τε εἶ· τὸ μὲν χωρὶς τοῦ τὲ σημαίνει τὸ βούλει, καὶ προῄρησαι· τὸ δὲ σὺν τῷ τὲ τὸ δύνασαι· ἀμφοτέροις ἐχρήσατο Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Λυσιθέου, εἰ γνήσιος. Haec verba in Lexicon suum transtulit Suidas, omissis verbis ἐν τῷ — γνήσιος· id quod docere consultores Suidae debebat Neocorus. Certe quum ὡς, nunc idem significet, quod ὅτι, nunc

ἱκανὸς, et illa ipsa, quae laudauimus, vocabula, permutata inter se leguntur [2], sed etiam ex his, quibus formula ἱκανὸν εἶναι, et verbo δύνασθαι, et formula οἷόν τ' εἶναι, idem declarari reperitur [3]. Quod ipsum verbum δύνασθαι quum saepenumero comes addatur infinitiuis aliorum verborum, ita, vt existat quaedam circuitio [4], eiusque exemplo verbum *posse* in lingua Latina [5]: lectores, et interpretes, scriptorum veterum vbi inciderint in locos, in quibus formulam ἱκανὸν εἶναι infinitiuo δύνασθαι ita praecedere videant, vt, vel *solere*, vel *posse*, significet [6], diligenter cauebunt, ne

nunc idem valeat, quod ἵνα· sane ipsius perspicuitatis studium Graecos coniunctioni illi adiungere particulam τε iussit, qua admonerentur lectores, in orationis ambiguitate, statim, vt pro ea coniunctionem ἵνα, non ὅτι, substituerent. Atque haec ipsa ratio valet de particula ὥτε, et aliis. Videant igitur ii, qui sibi soli sapere videntur, ne argutiis se suis in eos opinionum laqueos impediant, e quibus expedire se honeste non possint!

2. Vid. Theophrastus charr. 6, 4. 1, 3. 5, 4. 2, 4. 6, 1. 1, 1. 10, 2.: quo loco pro οἷος Struchtmeierus, vir clarissimus, in ep. critica in Glossas Nomicas ad Herm. Canegiterum p. 103., substituendum esse δεινός, haud scio, an male coniecerit.

3. Vid. Xen. Cyrop. 1, 4. 12.

4. Vid. Ioh. 12, 39. coll. v. 37.: qui tamen Euangelista cum Euangelistis reliquis hoc quoque in genere sequutus videtur vsum loquendi Hebraeorum. Hi enim et ipsi verbum יָכֹל ita praemittunt aliorum verborum infinitiuis, vt nascatur circuitio. vid. Gen. 19, 22. 43, 32., omninoque Dan. Heinsius ad Ioh. 5, 19.

5. Vid. Guil. Canterus Lect. nouu. 2, 2.: Taubmanus ad Virgil. Aen. 1, 242.: Gronouius ad Liu. 32, 13. 4. et quos ibi laudat Dracquenborchius: quibus addi potest Cortius ad Sallustii Catil. 58, 13.

6. Huiusmodi locus est ap. Philonem de agricult. p. 201. A Parif. a. 1640., ἐὰν μέντοι — καὶ ἤδη νομίσῃς, ἱκα-

ne tales locos temere, et ſine codicum bonorum auctoritate, attingant, neque verbum δύνασθαι, tanquam gloſſema, inducendum, delendumque, cenſeant. Ex his autem, quae de ſignificatione, atque vſu, vocabuli ἱκανὸς, et formulae ἱκανὸν εἶναι, a nobis breuiter dicta ſunt, plane intellegi ab omnibus poſſe ſperamus, nec nomen ἱκανότης de hominibus quidem aliter eſſe vſurpatum, quam ſic, vt ſimpliciter *facultatem* alicuius rei declararet. Neque ſane alio ſenſu hoc nomen poſuit Paulus in altera ad Corinthios epiſtola [7], quo loco de *facultate* partes Apoſtoli, et perſonam, praeclare agendi, hoc eſt, doctrinam euangelicam, et cognoſcendi penitus, et aliis vtiliter tradendi, quam ſibi, dei beneficio, contigiſſe gratus praedicat, ita loquitur, vt eam ἱκανότητα appellet. Quod quum pro

ἱκανὸς εἶναι δύνασθαι κρατεῖν ἵππων· vbi quanquam infinitiuus δύνασθαι, vt gloſſema, delendus videri poſſit, vt certe indicauit, neque temere, Loeſnerus, vir Graece doctiſſimus, in obſeruatt. Philonianis ad 2. Corr. 3, 5.: tamen ampliare, me iubet conſuetudo loquendi Platonis, cuius ſtudioſiſſimum imitatorem fuiſſe Philonem conſtat. Is autem in Phaedone [c. 49.], quo loco Socrates reprehendit ſuperbam temeritatem ſophiſtarum, qui quamuis confundant omnia, neque ſumta diſcernant ab iis, quae inde collegantur, et efficiantur, tamen iſta ſibi peruerſitate mirifice placeant, eum facit ita differentem, ἱκανοὶ γὰρ, ὑπὸ σοφίας ὁμȣ̃ πάντα κυκῶντες, ὅμως δύνασθαι αὐτοὶ αὑτοῖς ἀρέσκειν. Sed hac in oratione, ſatis manifeſtum videtur, ἱκανοὶ δύνασθαι ἀρέσκειν dictum eſſe pro δύνανται ἀρέσκειν, et δύνανται ἀρέσκειν, per vrbanitatem Atticam, idem declarare, quod ἀρέσκȣσι. Vid ibi not. 42. Accedit, quod ſcriptores idonei eodem modo coniungere ſolent verba οἷόν τε εἶναι δύνασθαι. Vid. Lennepius ad Phalaridis epp. p. 248.

7. C. 3, 5.

pro doctrina ſua vidiſſet Syrus Noui Teſtamenti interpres: verba Apoſtoli, ἀλλ' ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τȣ̃ θεȣ̃, eleganter ſane, et ad intellegendum apposite, vertit ܐܠܐ ܚܝܠܢ ܡܢ ܐܠܗܐ ܗܘ. Atque huius ipſius elegantiae accuratae, et perſpicuae, laudem etiam Heſychio deberi, vel potius iis grammaticis, quorum Gloſſaria adhibuit in congerendo luculento illo doctrinae Graecae theſauro, quis non intellegit? Is enim gloſſam ἱκανότης, quam facile appareat ex eodem illo epiſtolae Paulianae loco ſumtam eſſe, interpretatus reperitur nominibus δύναμις, et ἰσχύς· quae gloſſemata vna cum ipſa gloſſa Phauorino quoque transferre ex Heſychiano Gloſſario in ſuum Lexicon placuit [8]. Horum igitur ducum, nec indoctorum, nec neglegentium, veſtigia ſi ſequuti eſſent recentiores Lexicographi, atque ἱκανότητα Latine *facultatem* dixiſſent: profecto, et cupiditati legentium ſatiſfeciſſent, et doctrinae eorum conſuluiſſent. Nam *facultas*, et Latinum, perſpicuumque, vocabulum eſt, et eiuſmodi, quo in animo cuiuſque informari notio, atque effigies, eius rei poſſit, quae menti diuini ſcriptoris obuerſata intellegatur. At quum boni viri vidiſſent, formulam ἱκανὸν εἶναι ab interprete Latino vetere redditam eſſe verbis *ſufficientem eſſe*, et nomen ἱκανότης nomine *ſufficientia* expreſſum, quorum verborum in locum Caſtalio, et Beza, verba *idoneum eſſe* ſubſtituiſſent, Eraſmus verba *idoneum eſſe*, et *idoneitas*: horum virorum auctoritate, et vero etiam vanitate timoris, ne cui forte poteſtatem Graeci vocabuli imminuere vo-

8. Heſychius: Ἱκανότης· δύναμις, ἰσχύς. Phauorinus: Ἱκανότης· ἰσχύς, δύναμις.

voluisse viderentur, ita moueri sese passi sunt, vt nomen ἱκανότης explicare auderent, alii nomine *sufficientia*, alii vocabulo *idoneitas*. Haec vero noua sunt, et Latinis inaudita, verba, atque adeo barbara, et ab omnibus analogiae legibus abhorrentia [9]. Atque eiusdem generis vocabulum est nomen *mediator*, quod ex iisdem fontibus in Lexica Noui Testamenti deriuatum venit, sed quod a nemine, qui Latine sciat, intellegi vllo modo possit. Graecum enim nomen μεσίτης, ex quo versionis vulgatae auctor Latinum illud expressit, in epistolis Paulianis, et de Mose legitur, et de Messia. Et Mosen quidem Paulus μεσίτην vocat [10], quoniam deus opera eius, atque ministerio, vsus erat in perferendis praeceptis suis, ac legibus, ad Israëlitas, qui non ausi essent ipsi in Sinaei montis cacumina adscendere. Huius autem interpretationis vocabuli idoneus sane auctor est ipse Moses, qui in concione populi verba faciens, אָנֹכִי, inquit [11], עֹמֵד בֵּין־יְהוָה וּבֵינֵיכֶם בָּעֵת הַהִוא לְהַגִּיד לָכֶם אֶת־דְּבַר יְהוָה, hoc est, *quo quidem tempore me deus interprete ad vos vsus est.* Sed ex hac ipsa principis Israëlitarum oratione intellegi ab omnibus posse putamus, quomodo Mercurius, hominum, diuumque, interpres, ab Homero διάκτορος dictus legatur [12], sic Mosen ab Apostolo nominari μεσίτην, qui adeo Latine *internuntius*, et *interpres*, non *mediator*, appellari debeat. Certe Iosephus in libro tertio archaeologiae Iudai-

9. Ipse Erasmus, quam insolens vocabulum esset *idoneitas*, vidit: cuius vsum vt excusaret lectoribus versionis suae, in annotationibus ad locum illum Paulianum scripsit haec: ἡ ἱκανότης idoneitas, *vt ita loquar.*

10. Gal. 3, 19.

11. Deuter. 5, 5.

12. Odyss. α, 84. aliisque in locis.

daicae [13], quo loco leges duarum tabularum a Mose ad Israëlitas delatas refert, eum facit cum concione ita agentem, ὗτος ὑμῖν τούτους χαρίζεται τοὺς λόγους δι᾽ ἑρμηνέως ἐμοῦ. Quae quidem scriptoris Graecae elegantiae studiosissimi verba si quis cum verbis Pauli contenderit, eum speramus non esse dubitaturum, quin pro verbis Apostoli ἐν χειρὶ μεσίτου recte, saluaque sententia, substitui verba historici Iudaici δι᾽ ἑρμηνέως possint. Sed ipse dei filius ab eodem Apostolo, et μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, hoc est, Suida interprete, ὁ εἰρηνοποιὸς, appellatur [14], quia pacem, et concordiam, inter deum, atque homines, morte sua conciliauit, et διαθήκης [15], itemque διαθήκης καινῆς [16], et διαθήκης νέας [17], μεσίτης, quia foedus fecit nouum inter deum, et homines, idque sanguine suo sanxit. Huiusmodi autem homo, non *mediator* a Latinis dictus est, neque adeo dici potuit; etsi hoc vocabulum etiam in Glossariis Graecolatinis extat, e versione Noui Testamenti vetere, vt videtur [18], illuc profectum: sed *pacis sequester*, etiam absolute *sequester*. id quod satis potest perspici ex iis, quae de natura, atque vsu, horum verborum ab Heinsio filio in annotationibus ad Fastos Ouidii [19] disputata sunt. Et quum ipse Tertullianus [20] Messian appellare *sequestrem dei, atque hominum*, non dubitarit: recentiores Lexi-

13. c. 4. p. 69. Basil.
14. 1. Tim. 2, 5.
15. Hebrr. 8, 6.
16. Hebrr. 9, 15.
17. Hebrr. 12, 24.
18. Vid. Prolus. 10, 3. 43.
19. 1, 287. Conf. Salmasius de vsurr. c. 16. p. 476.
20. de resurr. carnis c. 51. pag. 357. Rigalt. [Paris. a. 1675.] pag. 315. Vol. 3. Semler. Sic Menenius Agrippa ab Seneca ad Helu. 12. dicitur *inter patres, et plebem, publicae gratiae sequester*: vbi v. Lipsius.

Lexicographi multo minus cunctari debebant, etiam Castalione praeeunte, nomen μεσίτης nomine *sequester* interpretari, praesertim quum nec vulgatae alterius Testamenti versionis auctor se huius vocabuli vsu abstinuerit [21]. Caeterum grammatici antiqui, vt Moeris Atticista, Thomas Magister, et alii, praecipiunt, μεσίτης esse verbum minus probum, et elegans, quod nunquam vsurpauerint Attici, diligentesque, scriptores, qui pro eo semper nomen μεσέγγυος posuerint [22]. Quae quidem grammaticorum obseruatio, non modo omnium, quorum libros nostris nunc tractare manibus licet, scriptorum classicorum auctoritate, sed etiam eo, confirmatur, quod nomen μεσέγγυος in Hesychiano Lexico nomine μεσίτης explicatum legitur [23]. Nam in Glossariis antiquis verborum Atticorum, reconditorumque, vim fere vulgaribus, communibusque, verbis, re quidem ipsa cogente, apertam legentibus exhiberi, quis harum literarum gnarus nescit?

V. Iam vt libertas Lexicographorum, qua abusi sunt in fingendis verbis Latinis, quorum forma ab omnis analogiae regula, et praescriptione, aberraret, quum impedimento sit, ne sententia verborum Graecorum reperiri a Latine scien-

21. Vid. Deut. 5, 5.

22. Moeris: Μεσέγγυος, Ἀττικῶς· μεσίτης, Ἑλληνικῶς. Sed Piersonio placuit pro μεσέγγυος e Coislíniano, aliisque nonnullis codicibus, edere μετέγγυος. Thomas Magister: Μεσέγγυος, ὁ μεσίτης.

23. Hesychius: Μεσέγγυον· μεσίτην· qua ipsa glossa Lexicon suum auxit Phauorinus. Sed in Lexico Suidae haec leguntur: Μεσέγγυος· μεσίτης, ἐγγυητὴς, μέσος δύο μερῶν.

ſcientibus poſſit, nullo modo ferenda intellegitur: ita nec probari ea ratio poteſt, qua verba Graeca redduntur eiuſmodi verbis Latinis, quae natales eorum indicent, non item poteſtatem, quam vſus illis loquendi tribuit, declarent. Nam huius quoque diligentiae peruerſitate legentibus aditum ad intellegentiam orationis Graecae obſtrui, omnes vident. Atque temeritatis iſtius inſigne exemplum nobis quidem ſemper viſum eſt interpretamentum nominis Χϱιςός. Hoc enim vocabulo omnia Noui Teſtamenti Lexica clamant ſignificari *vnctum*, et filium dei addunt illo nomine propterea eſſe ornatum, vel quod ipſe, qua homo, inſtructus eſſet a deo virtutibus diuinis, vel vt intellegeretur, eum a deo conſtitutum eſſe regem, et ſacerdotem, et prophetam, vno verbo ſeruatorem totius generis hominum. Quae quidem omnia etſi per ſe rectiſſime, veriſſimeque, dicuntur: tamen certiſſimum eſſe videtur, collegi illa e Graeco nomine Χϱιςός non magis poſſe, quam ex Hebraico verbo מָשִׁיחַ, cui, et in verſione Veteris Teſtamenti Alexandrina, et in libris Noui Teſtamenti [24], reſpondere Graecum illud nouimus. Nam proprie quidem Hebraei verbo מָשׁוּחַ idem ſignificare ſolent, quod verbo *vngere* Latini, cui hanc ſubiectam eſſe vim conſtat, vt de hominibus poſitum valeat *caput* alicuius, *aliaſque corporis partes*, *oleo*, et *vnguentis* imbuere, atque *delibuere*, ſiue id fiat perfundendo, vel conſpergendo, et infricando, ſiue illinendo: quod ipſum Graeci verbis ἀλείφειν, et χϱίειν [25], ita indicant, vt hoc qui-

24. Vid. Ioh. 1, 42. 4, 25. ᾽ζ, 227. p. 1561, 3. Rom.,
25. Vid. Euſtathius ad Odyſ. qui verba ἀλείφειν, et χϱίειν,

quidem fere de crassioribus vnguentis, quae illinuntur, sed illud de liquidioribus, quibus quis perfunditur, vel conspergitur, vsurpetur [26].

Z 2

Quia

ειν, ait *ἰσοδυναμεῖν κατὰ νοῦν*. Obseruatione ista Eustathii Lexicon suum auxit Phauorinus. Hesychius: Ἀλεῖψαι· ἐλαίῳ χρῖσαι. Galenus Lex. Hippocrat. p. 494. Franc., Καταλείφειν· καταχρίειν. Glossar. Octateuchi ab Fabricio B. Gr. Vol. 10. editum p. 62. ss., quod non videtur diuersum esse ab iis, quorum particulas edidit Montefalconius catal. biblioth. Coislin. p. 494. et pag. 503.: Ἀλείψουσιν· χρίσουσιν. Haec tamen glossa e quo loco Octateuchi sumta esset, nesciebamus. Fieri potest, vt petita sit e Leuit. 16, 32.: sed tum rescribi debet, Ἀλείψωσιν· χρίσωσιν, et in codicibus Alexandrinae versionis putari debet olim extitisse ἀλείψωσιν· nam in libris nunc editis legitur χρίσωσιν. Idem Glossar. ap. Fabric. d. l. pag. 65.: Μετὰ τὸ ἐξαλειφθῆναι τὴν οἰκίαν· μετὰ τὸ χρησθῆναι· leg. χρισθῆναι· quae glossa petita est e Leu. 14, 43.: vbi exemplum Complut. habet ἀπαλειφθῆναι· quae lectio, aut e glossemate nata videtur: certe Phauorinus e Suida, et Hesychio: Ἐξαληλιμμένος· ἠλειμμένος, ἀπολειφθείς· Hesychius: Ἐξαληλιμμένος· ἀπολειφθεὶς, ἢ κεχρισμένος· leg. ἀπαλειφθείς· vt glossa Thucydidea [3, 20. pag. 178. Ducquer.] ἐξαληλιμμένον a Moeride non minus, quam ab scholiasta, explicata est verbo κεχρισμένον· aut potius ex alia versione sumta. Sic pro ἐξαλειφθῆναι in marg. cod. Lips. extat ἀποχρισθῆναι, et in marg. cod. Coislin. χρισθῆναι· vt v. 42. pro ἐξαλείψουσι in marg. vtriusque codicis exhibetur χρίσουσι. Caeterum mihi non probatur ratio Albertii, qui scripturam librorum Hesychii ἀπολειφθεὶς ita tuendam esse censebat, cum ad Glossar. Fabric. N. T. pag. 84., tum ad ipsum Hesych. p. 1271. To. 1., vt grammaticus, more suo, respexisse diceretur ad confine participium ἐκλελειμμένος. Conf. Spanhemius ad Callim. h. in Pallad. v. 16.

26. Vid. Salmasius exercitatt. in Solin. p. 330. b Trai. Ruth. 3, 3. pro verbis וְסַכְתְּ οἱ ό habent καὶ ἀλείψῃ, vt Vulg. *et vngere*: sed in cod. Oxon. scriptum est, καὶ ἀλείψῃ,

Quia autem regibus, et principibus ſacerdotum, apud Iudaeos, et nomen, et poteſtas, atque dignitas, regia, et ſacerdotalis, vnctione conferebatur: accidit, vt מָשִׁיחַ diceretur, non modo *propheta*, qui poteſtatem docendi accepiſſet publice [27], et *quiuis alius*, cui dediſſet deus *veniam* gerendae rei alicuius praeclarae, et ciuitati Iudaeorum ſalutaris [28], ſed etiam *princeps ſacerdotum* [29], maximeque *rex* [30]. Saulus quidem, et Dauides, quoniam erant, dei iuſſu, et auctoritate, conſtituti Iudaeorum reges: idcirco vterque in libris Veteris Teſtamenti [31] מְשִׁיחַ יְהוָה nominatur. Neque ſane aliam ob cauſſam ipſe Dauides in hymnorum libello [32] filium dei vocauit מְשִׁיחַ יְהוָה, quam quia ſpiritu diuino plenus praeuidebat, eum ita futurum eſſe hominem, vt omnino omnibus hominibus, Iudaeis, et barbaris, qui ipſius doctrinam eſſent amplexuri, rex praeeſſet. Atque hanc appellationis rationem ſequutus Lucas in commentariis de rebus ſeruatoris hominum optimi, eum, et τὸν Χριστὸν κυρίου [33] dixit, et τὸν Χριστὸν τοῦ θεοῦ [34], hoc eſt, *re-*

gem

ψῃ, καὶ χρίσῃ ἔλαιον. Poſteriora verba aduenticia ſunt, ex alius interpretis verſione petita.

27. Vid. Pſ. 105, 15. 1. Chronn. 16, 22.

28. Vid. Eſai. 45, 1.: vbi v. Theodoretus.

29. Vid. Leuit. 4, 3. 6, 15.

30. 1. Sam. 2, 10. verba מֶלֶךְ, et מָשִׁיחַ, idem valent.

31. Vid. 1. Sam. 26, 9. 11. 23. 2. Sam. 19, 22.

32. Pſ. 2, 2. coll. Act. 4, 26.

33. Luc. 2, 26. add. Act. 2, 36.

34. Luc. 9, 20. Nam nomen υἱὸν, quod in codice Bezae Cantabrigienſi ante τοῦ θεοῦ inſertum legitur, quin illuc e Matth. 16, 16. venerit, eo minus dubitari poteſt, quo magis conſtat, multa alia eiuſmodi additamenta, etiam gloſſemata, in codice illo reperiri: vt Matth. 17, 1.

gem illum hominibus a deo constitutum. Quae quum ita sint, quis erit tandem, qui non libenter assentiatur Lactantio [35], aliisque ecclesiae veteris doctoribus, et eruditissimis, et grauissimis [36], qui nomen Χριστὸς esse censent vocabulum potestatis, et regni; quo adeo, non *vnctus*, non *sacerdos*, et *propheta*, sed *rex*, significetur? praesertim quum haec eorum sententia confirmetur ipsius Lucae auctoritate, qui verbum Χριστὸς nomine βασιλεὺς interpretatus legitur [37]. Et quum verba ἠλειμμένος, et κεχρισμένος, et χριστὸς, inter se non discrepent, immo re vnum sonent [38]: Aquilae profecto, qui etiam formam verborum Hebraicorum Graecis exprimendam statuisset, neque vitio verti a quoquam, neque crimini dari, cum Philastrio, Brixiensi episcopo, in libro de haeresibus [39], debet, quod nomen Hebraeum מָשִׁיחַ verbo

1. ὑψηλὸν λίαν e c. 4, 8.: c. 16, 27. μετὰ τῶν ἁγίων ἀγγέλων αὐτῦ e Marc. 8, 38. et Luc. 9, 26. Vid. Prolus. 26, 2. et Prolus. de L. Gr. inter. scientiae interpret. N. T. adiumento maxime necessario s. 5., quae est Prolusf. in V. et N. T. quinta, p. 123.

35. Vid. institutt. diuinn. 4, 7. 4. ff. epit. institutt. diuinn 42, 9.

36. Vid. Suicerus thes. eccles. v. Χριςὸς, pag. 1552. To. 2. edit. pr.

37. Nam verba Lucae c. 23, 2. λέγοντα, ἑαυτὸν Χριςὸν βασιλέα εἶναι nobis cum Beza ita accipienda videntur, vt Χριςὸν βασιλέα dictum sit pro Χριςὸν, τυτέςι, βασιλέα· quomodo Act. 7, 10. Φαραὼ βασιλεὺς Αἰγύπτυ est *Pharao, hoc est, rex Aegypti* [Augustin. C. D. 10, 8.]. v. Prolus. 9, 3.

38. Phauorinus, nescie-bam vnde: Μεσίας· ὁ κεχρισμένος, καὶ ἀλειμμένος [l. ἠλειμμένος]· λέγει δὲ τὸν Χριςόν. Μέσσα [מָשַׁח] γὰρ τὸ ἔλαιον, ἤτοι τὸ χρίσμα, ἑρμηνεύεται. Gloss. N. T. Fabric. p. 57.: Μεσίας· ἠλειμμένος, ἢ χριςός· vbi v. Albertius.

39. Haer. 138. p. 302.: vbi v. Fabricius, et in primis Vesselingius Obseruatt. 1, 19.

verbo ἠλειμμένος explicauit 40, quo haud ſcio, an ipſi interpretes Alexandrini vſi fuiſſent, niſi putaſſent, vocabulum χριϛὸς rectius poſſe vicem nominis proprii obtinere.

VI. Quae quidem interpretandi ratio etſi eſt a conſilio boni interpretis valde aliena, eiuſque officio maxime contraria, quum, non aperiat, ſed fere magis etiam occultet, ſcriptorum ſententiam: tamen facilius, atque leuius, ferri poſſe videtur, quam eorum Lexicographorum ſtultitia, qui in oratione auctorum Noui Teſtamenti Graeca in Latinam conuertenda ita verſati ſunt, vt verba Graeca ſimplicia omnibus in locis librorum diuinorum interpretati ſint verbis Latinis iis, quae vnam ſignificationem, eamque fere propriam, haberent cum verbis Graecis, vel potius Hebraeis, communem. Lingua enim Hebraea, atque adeo Graeca Noui Teſtamenti oratio, quam propemodum omnem ex Hebraea expreſſam eſſe nouimus, copia eiuſmodi verborum abundat, quibus, praeter notionem propriam, tot alienae, et tam variae, ſubiectae ſint, vt pauciſſima eorum habeant in ſermone Graeco, et Latino, verba ſibi hoc in genere paria. Cuius quidem rei cauſſam ab inopia ſermonis Hebraei,

40. Origenes ad Ioh. 4, 25. p. 219. E To. 2. Colon. Μεσσίας μέντοιγε Ἑβραϊϛὶ καλεῖται, ὅπερ οἱ μὲν Ἑβδομήκοντα Χριϛὸς ἡρμήνευσαν, ὁ δὲ Ἀκύλας ἠλειμμένος. Vid. 1. Sam. 2, 35. 2. Sam. 1, 21. Pſ. 84, 10. 89, 39. Dan. 9, 26. Sed idem Aquila etiam nomine χριϛὸς vſus eſt Habac. 3, 13., auctore Euſebio demonſtr. euang. 4, 16. p. 189. C Colon. Vid., praeter Montefalconium ad Hexapla Origenis Prolegg. c. 5, 5. p. 50. Pariſ., Veſſelingius d. l. p. 75.

braei, et a linguae Graecae, atque Latinae, diuitiis, ducendam esse, quis non intellegit? Huius vero ipsius, et copiae, et penuriae, verborum cogitatio admonere debebat Pasorem, et Leusdenium, eorumque imitatores, atque deterrere, ne, exemplo, et auctoritate, interpretis Latini veteris decepti, eadem verba Graeca, vel potius Hebraeograeca, vbique iisdem verbis Latinis redderent. Sic, vt hoc vtar, nomen Hebraeum גְּבוּרָה primam, propriamque, notionem cum Graeco *δύναμις*, et Latino *potentia*, habet communem: sed significat quoque ipsam *naturam summa potentia praeditam*, hoc est, *deum* [41], itemque *factum*, *summae*, immensaeque, *potentiae*, cui ipsa rerum natura cedere debeat, *argumentum*, id est, *miraculum*, ostentum [42]. Hac autem duplici potestate etsi carere omnes sciunt vtrumque illud nomen, et Graecum, et Latinum: tamen scriptoribus Noui Testamenti placuit, consuetudinis loquendi Hebraeorum inuitatu, non modo *deum*, et simpliciter *τὴν δύναμιν* [43] dicere, et, assumto casu secundo nominis ὁ *θεὸς*, *τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ* [44], vt existeret circuitio, quae similis esset illis circuitionis generi-

41. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. גְּבוּרָא.

42. Vid. Deut. 3, 24. Ionath. 1. Sam. 2, 4. 12, 6. Hos. 7, 4.

43. Marc. 14, 62.

44. Luc. 22, 69. Nam ne genitiuum *τοῦ θεοῦ* glossema esse arbitremur, impedit, praeter plurimorum codicum auctoritatem, ipse vsus loquendi Lucae. vid. Actt. 8, 10.: vbi *ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη*· Grisbachius edidit *ἡ καλουμένη μεγάλη*: est *summus ille deus*: vid. Grotius ad h. l.: quomodo ap. Homer. Odys. *β'*, 409. *ἱερὴ ἴς Τηλεμάχοιο* est *ἱερὸς Τηλέμαχος*· et ap. Eurip. Phoeniss. 56. *κλεινὴ Πολυνείκους βία* est *κλεινὸς Πολυνείκης*. v. schol. Aeschyli ad septem c. Thebas v. 645.

ribus, quibus Homerus, Hesiodus, etiam poëtae tragici, et lyrici, admonitu orationis ciuitatum orientalium [45], tantopere delectati sunt, *ἀλκὴ Αἴαντος*, *βία Πριάμοιο*, *ἲς Τηλεμάχοιο*, *σθένος Ὠρίωνος*, et aliis: sed etiam *miracula*, quae potentiam dei loquuntur, *δυνάμεις* appellare [46]. His igitur in locis Lexicographos, de quibus antea commemoraui, temere, et inscite, vsos esse, cum Latino interprete vetere, cuius doctrinam caeteroquin valde suspicimus, vtroque numero nominis *virtus* ad explicandum vocabulum *δύναμις*, quis non videt? Nam Stocquius quidem, et Suartius, et Schoetgenius, etiam Simonius, maiorem, hoc certe in genere, cautionem, diligentiamque, probarunt. Sed satis dictum videtur de verbis Graecis simplicibus, quae conditores Lexicorum Noui Testamenti plerique, non illustrarunt verbis Latinis, et elegantibus, sed sordidis, et barbaris, obscurarunt: veniamus ad id, cuius caussa hic libellus a nobis propositus est.

VII. Nam profecto deus dedit nobis, collegae amantissimi, etiam hoc anno innumerabilia, et luculentissima, potentiae suae, atque beneficientiae, documenta, quorum singularis excellentia planissime doceret mortales, ipsum solum, et esse, et praedicari debere omnium voce, optimum maximum. Etenim percipere nos iussit omni in genere fructus, et commoda, pacis orbi Germanorum superiore anno, praeter omnem omnium opinionem, restitutae, et plurima, et maxima: defendit a corporibus nostris omnem morborum tristium vim, et crudelitatem, prohibuit-

45. Sic Ps. 99, 4. עֹז מֶלֶךְ est simpliciter מֶלֶךְ.

46. Matth. 7, 22. 11, 20. 13, 54. Act. 2, 22. 1. Corr. 12, 10.

hibuitque, vt ab aedibus ſacris vrbis noſtrae, aliiſque templis, ita etiam a priuatis domibus, tectiſque noſtris, omnem flammarum furorem, et ſaeuitiam, quae adhuc tot aliorum, et opidorum, et vicorum, Germaniae caſas, et turres, incolarumque, et ciuium, rem, fortunaſque omnes, rapuerunt, et hauſerunt: ſalutem ordinis ciuitatis ampliſſimi ita fulſit, eique eam praeſtitit incolumitatem, vt, cum magiſtri, tum diſcipuli, Thomani, liberalitate publica adiuti, ſecure potuerint in ſtudiis literarum verſari: antiſtitem ſcholae, et curatorem, tanta nos complecti beniuolentia, atque ornare, iuſſit, vt praecepta bonarum artium frequenti diſcipulorum numero libentiſſime, nec ſine alacritate ingenti, tradiderimus: denique, id quod maximum eſt, caſuum variorum acerbitate, et grauitate, quibus tot aliarum ſcholarum magiſtri iactati ſunt, atque etiamnunc iactantur, viam nobis, aditumque, monſtrauit, et aperuit, ad veram, liquidamque, felicitatem. Nam, mihi credite, ex nulla re alia, quam ex incommodis, et calamitatibus, ſiue nobis illae accidant, ſiue aliis, certius cognoſci, perſpicique planius, poteſt, quanta ſit imbecillitas, infirmitaſque, mortalium, qui nec prudentiſſimis conſiliis, et ſumma diligentia, declinare, et euitare, caſus aduerſos valeant, quantaque ſit rerum externarum omnium fragilitas, quam incerta poſſeſſio, quas, modo aquarum furor deuaſtet, modo vis flammarum abſumat, nunc caeli iniuria perdat, nunc improborum, vel fraudes, et inſidiae, auferant, vel impetus, et violentia, rapiat. Huius autem tantae imbecillitatis naturae noſtrae, huius tantae fragilitatis rerum humanarum omnium, acris, diligenſque,

cogitatio, quis eſt, quem non excitet, atque hortetur, vt, abiecta ſuperbiae turpitudine, honeſtatem modeſtiae ſuſcipiat; vt virtuti, recteque factis, Spiritus ſancti ope adiutus, ſtudeat; vt, probitatis, ſanctitatiſque, ſtudii beneficio, dei amorem, ac beniuolentiam, fiducia mortis Chriſti ſalutiferae innitens, collegat; vt denique fauoris dei certus, auxilium eius omni in genere precibus ſemper ardentiſſimis, acerrimiſque, imploret? Iam vero ab hac ſanctitatis ſtudii, deique beniuolentiae, conſcientia, ab hac praeſidii diuini fiducia, velim ipſi iudicetis, an ſeiuncta eſſe vnquam poſſit animi tranquillitas, et laetitia liquida, qua, ſapientiſſimi cuiuſque ſenſu, et iudicio, omnis omnium mortalium felicitas, atque beatitas, continetur. Atque huius rei veritatem pluribus demonſtrare conabitur perendie, nobis audientibus, alumnus diſciplinae noſtrae, CAR SAMVEL LIBENAVIVS, *Delitienſis*, aduleſcens, et virtutis, et literarum, cupidiſſimus, oratione Latina, qua eadem gratias aget deo maximas pro beneficiis in ſcholam Thomanam hoc anno liberaliſſime collatis, curaeque eiuſdem, ac tutelae, diligentiſſime commendabit denuo ſalutem praeſidum, et ſtatorum, antiſtitis, et curatoris, euergetarum, et fautorum, magiſtrorum, et diſcipulorum, ludi omnium. Cui quidem humaniſſimi aduleſcentis oratiunculae ita intererimus, collegae optimi, vt precibus dicentis noſtras, et ore, et animis, adiungamus. Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Ianuarias A C. CIↃIↃCCLXXXI

PROLV

PROLVSIO QVINTA DECIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN INCVRIA MVNDITIEI ELEGANTIAEQVE LATINAE IN EXPLICANDIS VERBIS GRAECIS IVNCTIS

Q. B. V

Ex iis, quae ante hos quatuor menses a nobis breuiter disputata sunt de ratione, quam plerique Noui Testamenti Lexicographi in verbis Graecis singulis in Latinum conuertendis sequuti sunt, satis perspexisse omnes speramus, eam probari a nemine vllo modo posse, quum legentibus non patefaciat sententiam orationis Euangelistarum, et Apostolorum, immo magis etiam occultet, atque adeo alia fere omnia ostendat. Et quis est omnis elegantiae ita expers, cuius indignationem in se non conuertant iidem illi homines inepto diligentiae stultae studio, quo impulsi in explicandis formulis loquendi, atque verbis iunctis, sibi ita versandum censuere, vt omnia verba Graeca Latine redderentur, nihil, nec minimae, et, e Latina quidem ratione, superuacaneae, orationis particulae, praetermitte-

ren-

rentur, neque ſenſus, et vis verborum, atque nominum, aliorumque vocabulorum, ſpectaretur, ſed ſignificationes eorum propriae, certe communes, vſuque tritae, omnibus in locis, neque rerum naturae, neque conſilii ſcriptorum, neque vſus loquendi Hebraei, Graeciue, vlla ratione habita, exprimerentur? Hanc enim temeritatem, et ſtultitiam, videmus extitiſſe parentem, et matrem, infelicem orationis, non modo Hebraeolatinae, hoc eſt, barbarae, et vitii eius, quod vetuſtiores Latini ſtribliginem [1] appellauere, notis multis, et magnis, conſpicuae, ſed etiam inanis, cui nulla ſubiecta eſſet, neque ſubiici vllo modo poſſet, ſententia. Quae quidem orationis librorum diuinorum Graecae in Latinam conuertendae ratio quam facile poſſit conſultoribus Lexicorum ingenioſis, et liberalibus, hanc ſuſpicionem iniicere, vt exiſtiment, ipſorum Euangeliſtarum, Apoſtolorumque, epiſtolas, et commentarios, compoſitos eſſe formulis, et verbis, inanibus, cuius opinionis errore ablati hos libros abiiciant, neque vnquam attingere audeant, quem non docet triſtis Homeri, aliorumque poëtarum Graecorum, fortuna? Ab horum enim hominum carminibus abſolutiſſimis ſane, et perfectiſſimis, reiecit ſemper, atque repulit, innumerabilem quandam adulescentium, etiam iuuenum, et virorum, multitudinem inepta, et ſtulta, interpretum Latinorum ſedulitas, qui, non vim, et poteſtatem, verborum

1. Gloſſ. vett. *Stribiligo* σολοικισμός· quod interpretamentum quam elegans ſit, cognoſci poteſt ex iis, quae de vſu vocabuli Latini leguntur apud Gellium NN. AA. 5. 20., et apud Diomedem Gram. 2. p. 119. b Lipſ. a. 1542. 8.

rum Graecorum aperiendam legentibus, ſed numerum, abiecta omni Latinae elegantiae cura, reddendum, cenſuiſſent. Huius vero peſſimae, et bonis literis pernicioſiſſimae, ſedulitatis cogitatio Lexicorum Noui Teſtamenti conditores debebat eo magis excitare, atque cohortari, vt ſtuderent in explicandis formulis Graecis, omninoque verbis iunctis, adhibere eam perſpicuitatem, et orationis Latinae elegantiam, qua lectoris librorum diuinorum cuiuſque ſtudia adiuuarentur, et ita incitarentur, vt cupiditas cognitionis doctrinae diuinae, et praeſtantiae eius admiratio, in animis omnium magis, magiſque, augeretur, et creſceret. Sed quam parum iſti ſatiſfecerint huic ſuo erga conſultores officio, quanto ſtudio ſequuti ſint etiam hoc in genere peregrinitatem, atque obſcuritatem, etſi neminem vel leuiter eruditum eſſe ſcimus, qui non ſponte poſſit, ſi velit, ex eorum libris cognoſcere: tamen, vt inſtitutae diſputationis ordinem ſeruaſſe dicamur, huius quoque temeritatis vel duo exempla, age, afferamus ex illis commentariorum Matthaei [2], reliquorumque Euangeliſtarum [3], locis, quibus proditus legitur ſermo, quem Chriſtus paulo ante obitum ſuum habuit, in agro Caeſareenſi, coram Apoſtolis, aliiſque Iudaeis, quorum magnus ad ipſum numerus confluxerat.

II. Quum enim magiſter, et ſeruator, hominum optimus Apoſtolis oſtendiſſet, breui futurum eſſe, vt ipſe Hieroſolymis, a primoribus Iudaeorum varii generis indignitatibus, et iniuriis,

2. C. 16, 24. ff.

3. Marc. 8, 34. ff. Luc. 9, 23. ff.

riis, et contumeliis, affectus, necaretur, sed ita necaretur, vt triduo post ab inferis in vitam rediret; quum negasset, quenquam esse posse disciplinae ipsius alumnum, et affectatorem, qui non vitam suam ita contemneret, vt paratus esset omnia vitae supplicia, etiam miserrima, et crudelissima, perpeti; quum docuisset, propositam esse constantiae, et grauitati, eorum, qui ipsius, et doctrinae diuinae, caussa necari se animo aequo sinerent, laetitiam aeternae felicitatis, sed eorum leuitati, et inconstantiae, qui saluti suae, et vitae, ita consulere conarentur, vt ab ipso descisserent, et disciplinam ipsius desererent, sempiternarum miseriarum dolorem: vt faceret audientibus fidem huius orationis suae, affirmauit, se reuenturum esse in terras iudicem omnium hominum, choro satellitum, apparitorumque, stipatum, eo quidem consilio, vt alumnos doctrinae Christianae probos, et fidos, absolueret, atque aeternis gaudiis impertiret, perfidos, et improbos, condemnaret, infinitisque suppliciis addiceret. Haec enim quis dubitet quin sit sententia vocis Christi, quam Matthaeus, vel potius commentariorum eius interpres [4], verbis complexus est his, *Μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπȣ ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τȣ̃ πατρὸς αὐτȣ̃ μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτȣ̃· καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν* [5] *αὐτȣ̃*? Sed formula *ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τȣ̃ πατρὸς*

4. C. 16, 27.

5. Haec formula expressa est ex Hebraeis שִׁלַּם לְאִישׁ כְּמַעֲשֵׂהוּ Ps. 62, 13., et הֵשִׁיב לְאָדָם כְּפָעֳלוֹ Prouerbb. 24, 12.: quas Paulus Romm. 2, 6. reddidit, cum Iudaeis Alexandrinis, verbis *ἀποδιδόναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτȣ̃*· sed pro his verbis ei, qui parabolas Siracidae ex Hebraeo in Graecum vertit, sub-

πατρὸς αὐτȣ̃ in omnibus ferme Lexicis, praeeunte interprete Latino vetere, ita conuerſa legitur, vt verbum verbo reſpondeat, *venire in gloria patris ſui.* Sic vero intellegi a lectoribus Latine doctis nullo modo poteſt, nec quae ſit illa *gloria* patris Chriſti, nec quatenus Chriſtus venire *in gloria* patris ſui dicatur. Haec igitur obſcuritas vt vitaretur, vt ſatiſſieret cupiditati conſultorum liberalium, qui verba ſibi Graeca, non annumerari, verum appendi, vellent, hoc eſt, vim eorum, atque ſententiam, declarari: debebant Lexicographi formulam illam explicare verbis *venire iudicem omnium hominum*, aut ſaltem verbis, quibus Latinus interpres in Lucae commentariis [6] vſus eſt, *venire in maieſtate patris:* pro quibus verbis non parum miror ab Caſtalione, et Beza, ſubſtituta eſſe verba *venire in gloria*, et *cum gloria*, *patris*, quum *maieſtas* [7], non item *gloria*, recte, et eleganter, dici de *poteſtate* iudicandi de vita, factiſque, omnium hominum poſſit. Hanc enim poteſtatem dei ſignificari verbis illis Graecis, non difficile eſſe putamus ita docere, vt nulla dubitationis cauſſa apud lectores Graece, et Hebraice, ſcientes relinquatur. Etenim ab Hebraeis,

ſubſtituere viſum eſt verba ἀνταποδιδόναι ἀνθρώπῳ κατὰ τας πράξεις αὐτȣ̃, c. 32, 19. Iam etſi etiam in Matthaei codicibus quibuſdam pro τὴν πρᾶξιν ſcriptum legitur τὰ ἔργα· tamen non dubitandum eſſe puto, quin haec lectio extiterit e gloſſemate a grammaticis, neſcio an ex loco illo Pauliano, adſcripto. Certe ſingularis numerus eſt dicentis conſilio conuenientior. Loquitur enim Chriſtus tantum de grauitate, et leuitate, ſuorum diſcipulorum ea, quae vitae ſupplicia doctrinae ipſius, vel anteponenda, vel poſtponenda, putauerit.

6. C. 9, 26.

7. Gloſſ. vett. *Maieſtas* — ἐξȣσία.

braeis, et Chaldaeis, nomina כָּבוֹד, et יְקָר, eorumque exemplo ab interpretibus Veteris Teſtamenti Alexandrinis [8], et Noui Teſtamenti ſcriptoribus [9], nomen δόξα, ita poni de deo conſtat, vt proprietates eius, atque virtutes, declarent, quarum ſingularem excellentiam cultus pius, maxima gloria, laudes, et honores, ſummi, ſequantur. Neque tamen iſtis vocabulis ſemper omnia naturae dei ornamenta indicantur, ſed ſaepenumero tantum certum quoddam eorum genus [10], pro dicentis, et ſcribentis, conſilio, ſignificatur. Quod quidem vt facile, et ſine vllo erroris periculo, inueniatur loco quoque: neceſſe eſſe apparet, vt diligenter a lectoribus reliquae orationis ratio habeatur. Iam quum Chriſtus aiat, ſe venturum eſſe ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, vt aſſectatorum doctrinae ſuae quiſque ab ipſo ferat praemia factis ſuis digna; quum Apoſtolis, et caeteris auditoribus, oſtenderit, ſe rediturum eſſe in terras ſanctorum geniorum agminibus cinctum; quum hi ipſi genii, etiam in aliis librorum ſacrorum locis, Chriſtum, regem, et ſeruatorem, Iudaeorum Chriſtianorum [11], atque regem, et iudicem, aliorum hominum omnium [12], comitaturi legantur, tanquam ſatellites, et miniſtri poteſtatis, quorum opera ipſe ad exequenda decre-

8. V. c. Pſ. 102, 16.: quo loco pro אֶת־כְּבוֹדֶךָ Chaldaeus interpres habet יַת יְקָרָךְ, vt Syrus ܠܫܘܒܚܟ, et Alexandrini τὴν δόξαν σου.

9. Hebrr. 1, 3.

10. Vt Pſ. 19, 2.: quo loco verbis Hebraeis כְּבוֹד־אֵל, atque adeo Chaldaeis יְקָרָא דַיְיָ, et Graecis δόξα θεοῦ, *potentia dei* ſignificatur.

11. Matth. 24, 30. ſ.: vbi ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ eſt *amictus nube lucida et fulgida*, ſed μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς *magno comitum, et ſatellitum, choro ſtipatus.*

12. Matth. 25, 31.

decreta vtatur: quis hisce rationibus idoneis sane, et grauibus, adductus non iudicet, verbis ἡ δόξα τοῦ πατρὸς in illa Christi oratione significari *potestatem*, *quam deus*, vt dominus, et rex, mortalium, *habet*, *statuendi de vita* eorum, *atque factis*, ita, vt sanctos, et probos, absoluat, liquidisque, et propriis, gaudiis frui iubeat, improbos, et sceleratos, condemnet, debitisque, nec vnquam finiendis, poenis afficiendos decernat? Quam quidem potestatem, quae in Euangelio Iohannis [13] ἐξουσία κρίσιν ποιεῖν appellatur, quum ipse filius dei professus sit [14] sibi, qua homini, esse a patre concessam: mirandum sane non est, Lucan Matthaei, et Marci, verba ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ commutasse verbis ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, praesertim quum etiam Matthaeus alio in loco [15] eadem de re, auctore ipso Christo, vsus sit simpliciter verbis ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ· quo eodem in loco θρόνος δόξης αὐτοῦ sane idem est, quod in Pauli epistolis ad Romanos, et Corinthios [16], τὸ βῆμα τοῦ Χριστοῦ. Nam tribunal esse insigne dignitatis, et potestatis, iudicis, quis nescit? Quod quum non animaduertisset Syrus Euangelii Lucae interpres: verba eius ita vertit ܒܫܘܒܚܐ ܕܐܒܘܗܝ, quasi suo in codice Graeco scriptum inuenisset ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Neque vero ignotum esse scio lectoribus scriptorum Graecorum studiosis, et diligentibus, praepositionem ἐν eleganter ab iis, linguae Hebraeae admonitu [17], adiungi vocabulis, vt

13. C. 5, 27.

14. Ioh. 5, 22. 27. coll. Act. 17, 31.

15. C. 25, 31.

16. Romm. 14, 10. 2. Corr. 5, 10.

17. Vid. Ez. 32, 27.

vt omnino onerum, ita maxime armorum, et vestium [18], sic quidem, vt Latine exprimi saepe, et possit, et debeat, participiis verborum, quae sint ingenio, et naturae, rerum, quae nominibus illis significantur, accommodata, vel praesentibus, vel praeteritis: quod genus *pressus*, *ornatus*, *indutus*, *amictus*; *sustinens*, *portans*, *gestans*. Et quum proprietates hominum, vitia, et virtutes, non tantum in linguis orientalibus, sed etiam in sermone Graeco, cum vestibus ita comparentur, vt harum vocabula transferantur ad omnia illa decora, atque dedecora, quae hominibus, vel natura insunt, vel aliunde obueniunt [19]: minime mirum videri debet, eandem illam praepositionem harum quoque rerum nominibus, ex Hebraeorum loquendi vsu [20], ita addi, vt eodem explicari modo debeat. Vt igitur Iohannes Baptista in Lucae commentariis [21] legitur venturus esse ad Iudaeos, vt animos eorum doctrina sua praeparet ad praecepta Messiae cupidius, et libentius, accipienda, ἐν πνεύματι, καὶ δυνάμει, Ἠλίου, hoc est, *virtute*, *et auctoritate*, *Eliae praeditus*, *atque pollens*: ita Christus de caelo in terras, magno geniorum sanctorum comitatu, descensurus esse perhibetur ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς

18. Vid. Xen. Cyrop. 2, 1. 6. 2, 3. 5. 2, 4. 4. [quo loco Cyrus legitur introiisse ad Cyaxaren, auunculum, ἐν τῇ Περσικῇ στολῇ· sed Zonaras, qui excerpsit istum Xenophontis locum Chron. p. 106. 43. To. 1. Volf., pro verbis illis posuit haec, Περσικῶς ἐσταλμένος] Aristoph. Plut. 846. Aelian. V. H. 1, 16. Conf. Matth. 7, 15. Marc. 12, 38. Luc. 20, 46. Act. 1, 10. Hebrr. 11, 37.

19. Vid. Vorstius Philol. S. c. 5, 3.: Gataquerus differt. de stylo N. T. c. 42. et adverss. miscell. 1, 9.: Kypquius ad Luc. 24, 49.

20. Vid. Ps. 102, 17.

21. C. 1, 17.

πατρὸς αὐτȣ͂, hoc eſt, *poteſtate patris ſui inſtructus, et praeditus*, adeo, vt pro iſtis verbis recte ſubſtitui poſſe appareat verba Pauli [22] κριτὴς πάντων, et Petri [23] κριτὴς ζώντων, καὶ νεκρῶν. Neque enim quenquam ſperamus de veritate huius verborum Matthaei interpretationis propterea dubitaturum eſſe, quod Chriſtus apud Lucan [24] legitur aliquando in terras reuenturus eſſe ἐν τῇ δόξῃ αὐτȣ͂, καὶ τȣ͂ πατρὸς, καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων, quum his verbis certiſſimum ſit idem declarari, quod verbis caeterorum Euangeliſtarum iſtis, ἐν τῇ δόξῃ τȣ͂ πατρὸς αὐτȣ͂ μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτȣ͂ [25], et ἐν τῇ δόξῃ τȣ͂ πατρὸς αὐτȣ͂ μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων [26]. Etenim in libris optimorum vtriuſque linguae ſcriptorum nonnunquam ſolent, vt verbis, et praepoſitionibus, ita etiam nominibus, varios ſignificatus habentibus, duo, pluraue, diuerſi ingenii nomina addi, quorum ad quodque referatur ex nominibus illis πολυσήμοις ea ſignificatio, quae ſit naturae cuiuſque accommodata. Quum autem vocabulo Hebraeo כָּבוֹד non minus, quam Graeco δόξα, etiam decora, et ornamenta, omnis generis externa ſignificentur: quo in numero quin recte ponatur, vt hominum honeſtorum, ita ſanctorum quoque geniorum, comitatus, quis dubitet? neminem futurum eſſe ſperamus, qui non perſpiciat facile, ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τῶν ἁγίων ἀγγέλων eſſe *reuenire comitatu ſanctorum geniorum*, *reuenire choro ſanctorum geniorum ſtipatum*, atque adeo idem valere, quod ἔρχεσθαι μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτȣ͂, et ἔρχεσθαι μετὰ

22. Hebrr. 12, 23.
23. Act. 10, 42.
24. C. 9, 26.
25. Matth. 16, 27.
26. Marc. 8, 38.: ex quo Marci loco, vel etiam Lucae, in codices nonnullos Matthaei venit ἁγίων.

μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων, ita, vt ἐν τῇ δόξῃ idem ſit, quod μετά [27]. Certe hanc eſſe verborum Lucae ſententiam, admodum credibile eſt, iam Syrum commentariorum eius interpretem vidiſſe: quippe qui, neglecta particula καὶ, verba ἐν τῇ δόξῃ cum verbis τῶν ἁγίων ἀγγέλων ita coniunxit, vt illa, ſenſum ſequutus, reddiderit particula ܥܡ, adeo, vt collegi inde non poſſit, quae erat Bengelii, aliorumque, opinio, in codice, quo vſus eſſet homo, pro καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων ſcriptum fuiſſe μετὰ τῶν ἁγίων ἀγγέλων.

III. Neque vero maius perſpicuitatis, atque elegantiae, ſtudium probauere Lexicographi in explicanda formula αἴρειν τὸν ςαυρὸν αὐτȣ̃, quae in commentariis eorundem Euangeliſtarum, non longe ab eo loco, e quo ſuperiorem illam excitauimus, extat [28]. Verterunt enim eam ita, *tollere crucem ſuam*: quae tamen verba quum viderent ipſi quam obſcura eſſent, et barbara, admonuere lectores, vt nomine *crucis* ſignificari putarent omnis generis incommoda, atque aerumnas, quibus diſciplinae Chriſtianae affectatores conflictarentur tantum non cotidie, vt fidem deo, et grauitatem, ita probare poſſent, vt huius ipſorum virtutis, ac probitatis, lumen etiam ab aliis perſpiceretur. Sed vt iſta interpretatio nominis ςαυρὸς aliena eſt, atque vana, quum hanc illi poteſtatem Euangeliſtae, et Apoſtoli, neque tribuerint vſquam, neque tribuere adeo, id quod ex iis, quae deinceps a nobis diſputabuntur, facile apparebit, potuerint: ita nec hoc

27. Vid. Matth. 25, 31.
28. Matth. 16, 24. Marc. 8, 34. Luc. 9, 23. add. Marc. 10, 21.

hoc modo intellegi a quoquam ſatis licet, quid verba *tollere crucem ſuam* ſibi velint. Nam nomen σαυρὸς, quo fere ſimpliciter ſignificatur, nunc *ſtipes erectus, et in ſummo praeacutus* [29], qui per obſcena tranſigitur [30], nunc *palus*, etiam *furca* [31], in quam quis ſublatus, et actus, ſtrangulatur, ab iis ſcriptoribus, qui de inſtitutis, moribusque, Romanorum exponunt, aut certe ſupplicia, et poenas, in ciuitate Romana vſitatas reſpiciunt, ita ponitur, vt *crucem* indicet, hoc eſt, palum rectum, cui ſummo commiſſum eſt lignum tranſuerſum, quod proprie *patibulum* vocatur, vt figuram literae Graecae, et Latinae, T referat [32]. Iam etſi certiſſimum eſt, et ab Caſaubono, ſummo viro, in exercitationum Antibaronianarum opere aureo [33] accuratiſſime demonſtratum, iſtud ſupplicii genus Iudaeis, libera quidem republica, niſi incognitum, certe inuſita-

 tum,

29. Vid. Euſtath. ad Il. ή p. 689. Rom. ad Il. μ' p. 892. ad Il. ώ p. 1358. ad Odyſſ. ή p. 1567., et ad Odyſſ. ξ' p. 1748.: quo loco, Σταυροὶ δὲ, inquit, ὀρθὰ, καὶ ἀπωξυμμένα, ξύλα· τὰ καὶ σαύαρα παρὰ τοῖς μὴ λαλοῦσιν εὐγενῶς. — Οἱ δ' αὐτοὶ καὶ σκόλοπες λέγονται· ἀφ' ὧν τὸ ἀνασκολοπίζεσθαι καὶ ἀνασαυροῦσθαι· quibus Euſtathii verbis auxit Lexicon ſuum Phavorinus v. σαυροί· cuius tamen in exemplo, et Baſileenſi, et Veneto, male legitur σαυρά. vid. Cangius Gloſſ. med. et inf. Graec. v. σάβαρα. add. Heſychius, et Apollonius Sophiſta Lex. Homer. p. 732. Villoiſ., v. σαυροί.

30. Seneca ep. 14. p. 48. To. 2. Gronou., *Cogita hoc loco — adactum per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem.*

31. Cyrillus Lex. MS. apud Albertium ad Heſych. p. 39. To. 2. Ἴκριον· σαυρὸς, φοῦρκα, ξύλον, ἐν ᾧ οἱ κακοῦργοι κρέμανται.

32. Vid. Caſaubonus exercitatt. Antibaronn. exercit. 16. ſ. 77. p. 437. ſſ.

33. d. l.

tum, fuiſſe: tamen de illius ratione, Iudaea ab Romanis in formam prouinciae redacta, omnibus conſtitiſſe, vel e ſermonibus Chriſti, qui monumentis Euangeliſtarum proditi ſunt, apertiſſimum eſt. Fuit enim longe miſerrimum, et crudeliſſimum, ſupplicium, quo apud ipſos Romanos ſerui tantum nequiſſimi, aliique homines inſigniter ſcelerati, et viles, affecti perhibentur, ita quidem, vt ante, quam affigerentur cruci, eam ferre cogerentur per plateas vrbis ad ſupplicii locum. Atque iſti tum a Graecis dicti ſunt *ἐκφέρειν τὸν αὐτοῦ σταυρὸν*, etiam *σταυρὸν βαστάζειν* [34]: qua ipſa formula Iohannes [35] de Chriſto patibulum efferente vſus eſt. Sed Matthaeus [36] eam, et Marcus [37], vſus verbi Hebraici נָשׂוּא, aut קִבֵּל, admonitu, formula *αἴρειν τὸν σταυρὸν* commutarunt iis in locis, quibus Simonem Cyrenaeum perhibent iuſſum eſſe Chriſtum in ſuſtinendo crucis pondere adiuuare. Iam quum ii, qui crucem humeris impoſitam portant, hac re declarent, ſe paratos eſſe ſubire, et pati, ſaeuiſſimum, teterrimumque, ſupplicium: accidit, vt, non modo formulae *βαστάζειν τὸν σταυρὸν αὐτοῦ* [38], et *λαμβάνειν τὸν σταυρὸν αὐτοῦ* [39], ſed etiam formula *αἴρειν τὸν σταυρὸν αὐτοῦ*, quae ex Hebraica שְׂאֵת אֶת־צְלִיבוֹ [40], vel וְאֵת אֶת־זְקִיפָתוֹ [41], expreſſa eſſe

34. Vid. Caſaubonus d. l. f. 79. p. 446.: Grotius ad Matth. 10, 38., et Lipſius in de Cruce 2, 5.

35. C. 19, 17.

36. C. 27, 32.

37. C. 15, 21.

38. Luc. 14, 27.

39. Matth. 10, 38.

40. Verbum הַצְלֵב pro Gr. *σταυρῶσαι* legitur Matth. 20, 19. in verſione Hebraica, a Sebaſt. Munſtero edita.

41. De verbo זְקַף, et nomine זְקִיפָא, v. Gataquerus Aduerſſ. poſthh. c. 45. pag. 906. ſ.

esse videtur, quum Graeca quidem ratio dici potius αἴρεσθαι τὸν σταυρὸν iubeat, de iis omnibus vsurparetur, qui, quamuis insontes, et innocentes, tamen parati essent, et promti, ad subeundum, perferendumque, summum, et dirissimum, supplicium, atque adeo omnia vitae, ac salutis, pericula, quae refugere recte, et honeste, non possent, libenter, aequoque animo, obirent. Vt igitur crux, non cuiusuis aerumnae, et molestiae, sed necis tantum, et vitae supplicii omnis generis, in primisque insigniter diri, imago esse recte potest: ita ipsum consilium, et oratio reliqua, Christi cum collegio Apostolorum, aliorumque Iudaeorum turba, tum agentis lectorem vel mediocriter attentum facile docent, eum verbis ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, omnes, quicunque vellent assectatores ipsius, et fieri, et esse, ad eam grauitatem, constantiamque, cohortatum esse, vt vitam semper suam despicerent, neque adeo vnquam recusarent euangelii, eiusque auctoris, caussa mortem etiam tristissimam obire [42].

42. Luc. 9, 23. est ἀπαρνησάσθω [Grisbachius edidit ἀρνησάσθω] ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καθ' ἡμέραν. Sed verba καθ' ἡμέραν recte, et salua Christi sententia, omitti poterant, quum iam Aoristorum ἀπαρνησάσθω, et ἀράτω, haec vis sit, vt idem declarent, quod ἀπαρνείσθω, et αἰρέτω, ἑκάστοτε, s. διηνεκῶς· id quod ad Matth. 16, 24. iam Chrysostomus animaduertit, homil. 56. p. 603. A To. I. edit. Ducaei Francof. Vnde etiam Grisbachius, et Matthaeius, codicum plurimorum, optimorumque, auctoritate, haec verba in suis exemplis ex ordine eiecerunt. Ἀπαρνεῖσθαι autem ἑαυτὸν est *contemnere*, *despicere*, *vitam suam*. Nam qui spernit, et contemnit, rem aliquam, is se possessorem eius, et dominum, esse fere dissimulare,

Quum enim Chriſtus Apoſtolis oſtendiſſet, necem ſibi a principibus Iudaeorum impendere, ſed Petrus magiſtro ſuadere auſus eſſet, vt ſibi parceret, et tempeſtatem iſtam deuitare ſtuderet [43]: tum

re, et, ſi non verbis ſemper, tamen re ipſa, negare ſolet. Videtur autem iſte verbi ἀπαρνεῖσθαι vſus Alexandrinae dialecto proprius fuiſſe. Certe Eſai. 31, 7. pro Hebr. יְמָאֲסוּן in verſionis Alexandrinae exemplis nunc legitur ἀπαρνήσονται, et, quae eſt codicis Alexandrini ſcriptura fortaſſe genuina, ἀπαρνηθήσονται· ſed Theodotio commutauit hoc verbum verbo ἀπώσονται, et Symmachus verbo ἀποβαλοῦνται. Nam ſic legi debet pro ἀπῶσο νῦν, et ἀποκαλοῦνται, vt cum Curterio edidit Montefalconius in fragmentis Hexaplorum Origenianorum, ita, vt verbum ἀποκαλοῦνται etiam in Lexicon Origen. tranſtulerit, addito interpretamento Latino *reuocantur*. Sed verbum Symmachi ἀποβαλοῦνται fieri poteſt vt iam Hieronymi temporibus irrepſerit in exempla Alexandrinae verſionis, quum Hieronymus verbum Graecum, quo Iudaeos Alexandrinos vſos eſſe oſtendit, verbo Latino *abiiciet* reddiderit, quod nunc eſt in exemplis verſionis vulgatae. Caeterum ex hactenus dictis intellegitur, primum Munſteri interpretem euangelii Matthaei Hebraeum verbum Graecum ἀπαρνεῖσθαι recte explicaſſe Hebraeo נִמְאַס: deinde Chryſoſtomum verbo compoſito ἀπαρνεῖσθαι temere putaſſe maiorem vim ſubiectam eſſe, quam ſimplici ἀρνεῖσθαι. Nam d. l. p. 602. E, καὶ οὐκ εἶπεν, inquit, ἀρνησάσθω, ἀλλ' ἀπαρνησάσθω· καὶ τῇ μικρᾷ ταύτῃ προσθήκῃ πολλὴν πάλιν ἐμφαίνων τὴν ὑπερβολήν· καὶ γὰρ πλέον τοῦτο ἐκείνου ἐστίν. Sed hanc tamen Chryſoſtomi interpretationem ſequutus Theophylactus ſcripſit ad Matth. 16, 24. p. 69. Rom. a. 1542. iſta: ἀπαρνησάσθω δὲ ἑαυτὸν εἶπε, τὴν τελείαν ἄρνησιν διὰ τῆς ἀπὸ προθέσεως σημαίνων.

43. Matth. 16, 22. ἵλεώς σοι, Κύριε· οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο. Sed formula ἵλεώς σοι eſt vox abominantis, et dehortantis, reſpondens Hebraeae formulae חָלִילָה לְּךָ, et Syriacae ܚܣ ܠܟ. Latine verti poteſt *deus hoc omen auer-*

tum vero hic discipuli leuitatem, et temeritatem, dementissimam ita reprehendit, vt primo eum, praesentibus condiscipulis, et collegis, consultorem pessimum [44] appellaret, qui ea potius faciunda censeret, quae mortales, auctoritatem naturae sequentes, probarent, fierique iuberent, quam quae deus de salute hominum, et restituenda, et stabilienda, decreuisset, atque statuisset; deinde, audientibus, et Apostolis, et aliis Iudaeis, demonstraret, tantum abesse, vt dux, et princeps, familiae Christianae suppli-

auertat! hoc deus prohibeat! deus auerruncet! Gott behuete! dafuer behuete dich Gott! das wolle Gott nicht! da sey Gott fuer: vel *parce tibi! wuensche dir das nicht!* Graeci ipsi ita vtuntur vocibus εὐφήμει, οὐκ εὐφημήσεις; etiam εὖ ἔχε στόμα, et εὖ στόμ' ἔχε, et εὐστόμει. Vid. Proluss. de verss. Grr. V. T. p. 115.: Ioh. Boisius, Grotius, et Kypquius, ad Matth. l. d. Et verba οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο adiecta sunt velut interpretamentum. id quod in sermone cotidiano fieri solere hoc in genere, ipsius naturae admonitu, quis nescit? Sic in loco Xen. Cyrop. 2, 2. 5. hoc, Καὶ ὁ Κῦρος, εὐφήμει, ἔφη· μὴ λέγε ἀλαζόνας εἶναι τούτους, verba μὴ λέγε — τούτους sunt interpretamentum vocis εὐφήμει. In eodem opere 3. 1, 19. ita leguntur verba, μὴ οὕτω λέγε.

44. Verba Christi Matth. 16, 23. sunt, Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ, *Apage te a dorso meo, apage te a me*, h. e. *dic meliora, scelus s. pestis.* Nam שָׂטָן ab Hebraeis dictus est etiam *is, qui alteri dat consilia mala, inutilia, perniciosa: malus consiliarius.* Sic Dauides ad Abisaeum, qui ei auctor erat, vt Semaeum necari iuberet, vsus esse legitur 2. Sam. 19, 23. voce hac כִּי תִהְיוּ־לִי הַיּוֹם לְשָׂטָן. Quia igitur Petrus magistrum deterrere studebat, ne se necari sineret, neque adeo voluntati patris pareret, salutique hominum consuleret: propterea ab eo dictus est Σατανᾶς· quae vocabuli vis explicatur etiam magis verbis, σκάνδαλόν μου εἶ, h. e. *tu es consultor pessimus: tu impia suades mihi, et nefaria, et inutilia.* Neque vero aliter hanc vocem accipi debere putamus Matth. 4, 10. et Luc. 4, 8.

cium vitae ſubterfugere vllo modo poſſet, vt nec familiarium eius quiſquam vnquam deberet acerbiſſimam adeo mortem detrectare. Et ſi Chriſtus ſuos, vt alias [45], ita etiam tum, ad patientiam incommodorum cuiuſuis generis cohortatus eſſet: quomodo tandem potuiſſet huic cohortationi ſuae pondus addere eo, vt propoſita eſſe affirmaret, ſupplicia quidem aeterna iis, qui ſaluti ſuae, et vitae, ita prouidere ſtuderent, vt, et ipſum, et diſciplinam ipſius, relinquerent, ſed gaudia infinita his, qui, et ipſius, et euangelii, cauſſa, ſupplicia vitae luerent? Etſi igitur dubitari non poteſt, quin ii, quos vitam perdere potius, quam Chriſti diſciplinam valere iubere, oporteat, nec aliarum multo leuiorum moleſtiarum doloribus deterreri debeant, ne ſe, et aſſectatores, et interpretes, doctrinae Chriſtianae profiteantur: tamen ex iis, quae hactenus a nobis diſputata ſunt, neſcio, an plane intellegi poſſit, formulam *αἴρειν τὸν ϛαυρὸν αὐτȣ̃* Latine eſſe ita vertendam *paratum eſſe, et promtum, ad ferenda quaeuis vitae ſupplicia, ſumma etiam, et saeviſſima.* Neque ſane aliter eam intellexerunt, et interpretati ſunt, eruditiſſimi eccleſiae veteris doctores, Hieronymus [46], et Chryſoſtomus [47], etiam

45. Matth. 10, 38.

46. ad Matth. 16, 27. p. 24. b To. 9. Opp. Baſil. *Petrus ad praedicationem dominicae mortis ſcandalizatus, ſententia domini fuerat increpatus: prouocati diſcipuli, vt abnegarent ſe, et tollerent crucem ſuam, et* morientium ani*mo ſequerentur magiſtrum.*

47. Homil. 56. in Matth. 16. p. 602. E To. 1. Francof. Ἀράτω τὸν ϛαυρὸν αὐτȣ̃· τȣ̃το ἐξ ἐκείνȣ γίνεται. Ἵνα γὰρ μὴ νομίσῃς, ὅτι μέχρι ῥημάτων, καὶ ὕβρεων, καὶ ὀνειδισμῶν, δεῖ ἀπαρνήσασθαι ἑαυτὸν, λέγει καὶ μέχρι πόσȣ ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτὸν δεῖ· τȣτέϛι μέχρι θανάτȣ, καὶ θανάτȣ ἐπονειδίϛȣ.

etiam Theophylactus [48], quem fere Chrysostomi auctoritatem sequutum esse constat, et Victor [49], Antiochenus presbyter, cuius commentarium in euangelium Marci, post Pe. Possinum, ante hos sex annos Mosquae ex quatuor codicibus membraneis edidit Christi. Frider. Matthaeius, vir ad augenda, et ornanda, literarum bonarum, in primis Graecarum, studia natus, nobisque amicissimus. Atque his ducum doctissimorum vestigiis certis, neque obscuris, ita insistere debebant recentiores Noui Testamenti Lexicographi, vt etiam perspicuitatem, et elegantiam, orationis eorum, in explicandis formulis, omninoque verbis iunctis, scriptorum diuinorum, diligenter imitarentur. Haec igitur de quinto Lexicorum Noui Testamenti vitio, admonendi caussa, breuiter disputare visum est.

IIII. Sequitur illud, vt patronos scholae Thomanae amplissimos, et prudentissimos curatores, non minus, quam fautores disciplinae, institutorumque, eius, etiam adiutores, excellentissimos reliquos omnes, humanissime, acerrimeque, rogemus, velint, pro benignitate, et facilitate, sua, oratiunculis Latinis, perendie in auditorio ludi classico habendis, interesse. Etenim

48. ad Matth. 16, 24. p. 69. Rom. Τὸν ςαυρὸν αἴρειν τȣτέςι θάνατον αἱρεῖσθαι, καὶ μετὰ σπȣδῆς ἐπιζητεῖν καὶ θάνατον τὸν ἐπονείδιςον· τοιȣ̃τον γὰρ ὁ ςαυρὸς παρὰ τοῖς παλαιοῖς. v. Suicerus thes. eccles. v. ςαυρὸς p. 1004. s. To. 2.

49. ad Marc. 8, 34. pag. 141. τὸ δὲ, ἀράτω τὸν ςαυρὸν αὐτȣ̃, πολλὴν ἐμφαίνει τὴν ὑπερβολήν. Καὶ γὰρ πλέον τȣ̃το ἐκείνȣ ἐςίν· ἀπαρνεῖσθαι γὰρ μέχρι τοσȣ́τȣ δεῖ, μέχρι θανάτȣ, καὶ θανάτȣ ἐπονειδίςȣ. Haec vero sunt ipsius Chrysostomi verba, sed male excerpta, et confuse posita. vid. not. 42. et 47.

enim quum meminissemus non sine magna quadam animi nostri voluptate, haud ingratas audientibus fuisse eas oratiunculas, quibus nonnulli disciplinae nostrae alumni, cum ante hoc biennium, tum anno superiore, ante discessum e schola nostra in academiam Lipsiensem suum, persequuti essent magna illa, et varia, ornamenta mentis, et animi, et orationis, quae ab lectione, et interpretatione, assidua, ac diligenti, veterum vtriusque linguae scriptorum proficiscerentur ad omnes grauiorum disciplinarum studiosos, atque Philippi Melanthonis, summi theologi, exemplo docuissent, quanta, quamque necessaria, theologiae adiumenta essent Graecarum, Latinarumque, literarum studia; vt magna assiduitatis, et pertinaciae, eorundem studiorum vtilitas etiam in medicina, et iuris prudentia, omnibus pateret: suasimus tribus scholae nostrae alumnis publicis, CHRISTI. AVG. FREGIO, *Zuocauia Misnico*, DAN. THEOPHILO DOERINGIO, *Gaterstadio Thuringo*, et CAR. SAM LIBENAVIO, *Delitiensi*, adulescentibus, nec ab amore humanitatis, et literarum, nec ab honestatis, et virtutis, studio, alienis, qui nollent disciplinam nostram, exacto annorum legitimorum spatio, prius relinquere, quam facultatis Latine dicendi qualiscunque suae documenta publice ita dedissent, vt etiam benignitatis, et liberalitatis, praesidum, et custodum, scholae erga se excellentiam praedicarent, suasimus igitur iis, vt *Cunr. Rittershusii*, et *Iani Cornarii*, summorum virorum, nomen, et laudes, ita celebrarent, vt ostenderent, quantopere iuris, et artis morbis medendi, cognitio adiuuari, atque exornari, studiosa, accurataque, librorum Latinorum et Graecorum lectione, et enarratione, posset. Neque enim igno-

ra-

ramus, quam multi inueniantur, qui, etiamsi facile concedant, magnam intercedere vtrique literarum generi cum maioribus disciplinis necessitudinem, tamen linguae Graecae, et Latinae, studia medicinae, et iuris prudentiae, studiosis magnopere vtilia esse acriter negent, quod iurisconsulti, et medici, tot, tantisque, occupationibus, et negotiis, districti semper, atque impediti, teneantur, quae ipsos non sinant libros Graecos, et Latinos, vnquam attingere. Hae vero istorum hominum voces quam vanae debeant, atque inanes, iudicari, Rittershusii, Cornariique, exemplum satis docere quemque potest. Horum enim virorum grauitatem videmus tantam fuisse, vt plane appareret, etiam summis, et occupatissimis, medicis, atque iurisconsultis, relinqui multum otii, atque quietis, quod in legendis, et interpretandis, libris scriptorum veterum collocare recte possent, dummodo boni vellent esse, et prudentes, temporis dispensatores [50], atque amore suarum disciplinarum flagrarent sincero, et liberali, qui, non breuem, et inanem, auri, honorumque, splendorem, sed laudem solidam recte factorum, et famam meritorum in alios multorum, magnorumque, sempiternam, spectaret. Quae quidem omnia diligentius, et copiosius, persequentur adulescentes, quos supra laudauimus, humanissimi: quorum oratiunculas qui praesentia sua cohonestare dignati fuerint, iis sane nostrum se collegium omnia pietatis, et officii, cultus, et obseruantiae, genera debere putabit. Scripsimus Lipsiae, in Schola Thomana, Kalendis Maiis A. C. CIↃIↃCCLXXXI

50. Vid. Quinctil. 12, 11. 18. ss.

PROLV.

PROLVSIO SEXTA DECIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN PRAETERMISSIS CAVSSIS NOTIONVM NOVARVM VERBORVM SINGVLORVM

Q. B. V

Magiſtri vitae, et morum, idonei partes ſuas ita agere ſolent, officio ſuo ita ſatiſfacere ſtudent, vt non tantum adhortentur alios ad honeſtatis, et virtutis, ſtudium, ab amore vitiorum, et turpitudinis, deterreant, vt non tantum praeceptis excitent omnium animos ad recte factorum laudem, ab delictorum vituperatione auocent, ſed, aperta, patefactaque, virtutis cuiuſque, et vitii, natura, etiam cauſſas, et rationes, exponant, atque explicent, cur genera honeſtatis quaeque ſequenda ſint, et amplectenda, turpitudinis partes quaeque reiiciendae, ac fugiendae, in primiſque adiumenta, et auxilia, afferant, atque oſtendant, quibus adhibitis quiſque, omni in genere, voci naturae, et auctoritati, pareat modeſte ſemper, nunquam legibus eius, et voluntati, contumaciter repugnet. Tales enim viuendi praeceptores confidere poſſunt,

ſunt, voces ſuas, et cohortationes, omnibus vtiliſſimas fore, ita, vt ſcientiam omnium officiorum grauem, et idoneam, conſequantur, vt praecepta rationis, atque iuſſa, non modo facillime, ſed etiam cupidiſſime, atque conſtantiſſime, exſequantur. Atque hanc ſapientem bonorum vitae magiſtrorum diligentiam imitari debent omnes librorum veterum vtriuſque linguae enarratores, ita, vt, non ſolum vim, et ſententiam, verborum ſingulorum, et iunctorum, accurate explicent, ſed etiam ſtudioſe demonſtrent, cur verbum quodque, formula quaeque, hanc, vel illam, poteſtatem hoc, illoue, loco habeat, cur verba ita potiſſimum, neque aliter, compoſita, atque ſtructa, ſint, et quomodo lectorum quiſque ſignificationem verbi cuiuſque, et formulae, ſponte indagare, et reperire, loco quoque poſſit, et debeat. Talis enim interpretum diligentia, et ſolertia, lectoribus librorum veterum, non modo ita prodeſſe intellegitur, vt eos cupide, libenterque, cognoſcant, ſed etiam ſic, vt, collecta idonea cognitione legum, quarum ad normam omnis interpretatio dirigenda ſit, in libris aliis omnibus, et intellegendis, et explicandis, recte, feliciterque, verſari poſſint, et vias inueniant, quas ingredi, perſequique, oporteat eos, qui accuratam, et grauem, naturae, et ingenii, vtriuſque ſermonis ſcientiam conſequi velint. Huius autem diligentiae in primis ab interpretibus librorum diuinorum Noui Teſtamenti rationem haberi debere, neminem negaturum eſſe ſpero, qui meminerit, quantum diſcrepet oratio Graeca horum librorum ab illa ſermonis forma, cuius venuſtas, et elegantia, lectores librorum barbarorum tantopere delectat,

ctat, et capit, et tenet; quanto vocabulorum, formularumque, numero diuini ſcriptores novam, et inuſitatam, poteſtatem tribuerint; quam inſolentem, notiſque peregrinitatis inſignem, verborum ſtructuram multis in locis ſequuti ſint. Et nihilo minus Lexicographi Noui Teſtamenti ad vnum omnes reperiuntur fuiſſe hoc in genere adeo leues, et neglegentes, vt, etiamſi notiones vocabulorum, et formularum, recte explicarint, tamen cauſſas, et origines, nouitatis earum non demonſtrarint, neque fontes inſolentiae compoſitionis verborum aperuerint. Hac vero neglegentia quum dubitari non poſſit, quin intellegentia orationis Graecae librorum diuinorum vehementer, atque ita, impediatur, quo minus plena vnquam, et idonea, exiſtere vllo modo poſſit: eam recte a nobis poni arbitramur in numero eorum vitiorum, quibus bona Noui Teſtamenti Lexica carere debeant. Age igitur, aggrediamur notare hoc quoque vitii genus, quod eſt, e deſcriptione noſtra, ordine ſextum, ita, vt eandem teneamus rationem, quam in perſequendis ſuperioribus huius generis vitiis ſequi placuit.

II. In Iohannis quidem Apocalypſi [1] legitur tribus geniis poteſtas data eſſe incolas, atque habitatores, quartae orbis Iudaici partis occidendi ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν λιμῷ, καὶ ἐν θανάτῳ. Hoc in loco Lexicographi recte docent vocabulo θάνατος ſignificari *peſtilentiam*, morbos peſtiferos, qui mortem certiſſimam, et ineuitabilem, afferant. Belli enim grauis in primis, et diuturni, comites eſſe annonae caritas, et fames, ſolent, ſed fames

1. C. 6, 8. add. c. 2, 23.

fames morbos varii generis letiferos arcessit, et apportat. Atque ob hanc tantam istarum calamitatum necessitudinem multis in locis librorum diuinorum Veteris Testamenti [2] vitae impiae, et sceleratae, et flagitiosae, Iudaeorum propositae a deo, tanquam poenae, reperiuntur caedes, et fames, et pestilentia. His autem, aliisque [3], in locis Alexandrini Iudaei nomen Hebraicum דֶּבֶר Graeco vocabulo θάνατος interpretati sunt, pro quo Aquilae, et Symmacho [4], sicut Matthaeo, et Lucae [5], nomen λοιμὸς substituere visum est. Etsi enim a Kirchero, et Tromio, ex Ieremiae oraculis tres loci [6] laudantur, in quibus interpretes Alexandrini pro vocabulo דֶּבֶר nomen λοιμὸς posuerint; etsi in reliquiis Hexaplorum Origenianorum ab Montefalconio editis etiam Aquila, et Symmachus, idem illud nomen Hebraeum reddidisse in eiusdem vatis vaticinationum volumine [7] leguntur vocabulo θάνατος· tamen videtur dubitari vix posse, quin verbum λοιμὸς in illos codices, quibus vsi sunt editores exempli versionis Alexandrinae Complutensis; ex hoc enim petitae sunt lectiones a Kirchero, et Tromio, allatae; ex aliorum interpretum versionibus venerit: sed in Origenis Hexaplis siglam Π., aut omnino inducendam, aut certe in siglam Θ. mutandam, esse arbitramur. Quis enim sibi per-

2. Ier. 14, 12. 21, 7. 9. 24, 10. 27, 8. 28, 8. 32, 24. 44, 13. Ezech. 6, 11. s. 7, 15. 12, 16. 14, 21.

3. Ex. 5, 3. 9, 3.

4. Ex. 5, 3. 9, 3. 15. Deut. 28, 21. Ps. 91, 6.

5. Matth. 24, 7. Luc. 21, 11.

6. C. 27, 8. 28, 8. 32, 24.

7. C. 27, 8. ※ Π. καὶ ἐν θανάτῳ· et c. 32, 24. ※ Π. καὶ τοῦ θανάτου.

persuadeat, Aquilan, et Symmachum, qui tot aliis in locis nomen דֶּבֶר nomine λοιμὸς explicarint, duobus tantum in locis vsos esse vocabulo θάνατος, quod esset a proprietate, et elegantia, Graeca tantopere alienum? Sed Theodotionem, diligentem illum orationis septuagintauiralis imitatorem, admodum probabile est idem vocabulum Hebraeum interpretatum esse Graeco θάνατος· quod in ipsis Hexaplis aliquoties solum [8], non addita sigla Π., comparet, ita, vt illud, aut e Theodotionis versione, aut potius ex aliis ipsius Alexandrinae versionis codicibus, adscriptum esse facile intellegatur. Et sicut in omnibus versionis septuagintauiralis codicibus pro verbis auctorum eius aliorum interpretum verba in ordinem recepta innumeris in locis extant: ita Complutensem maxime librum exemplis huius verborum permutationis scatere constat [9]. Hanc vero ipsam verborum commutationem in tribus illis oraculorum Ieremiae locis accidisse, omnes facile daturos esse speramus, qui meminerint, primum etiam in Oxoniensi codice pro θάνατος, Alexandrinorum Iudaeorum verbo, alicubi [10] λοιμὸς, verbum Aquilae, et Symmachi, substitutum legi: deinde ab auctore versionis Ieremiae nomen דֶּבֶר caeteris in locis nomine

8. Ier. 21, 9. ※ καὶ ἐν θανάτῳ· c. 28, 8. ※ καὶ εἰς κακὰ καὶ εἰς θάνατον· c. 44, 13. Ἄλλος, καὶ ἐν θανάτῳ· quae sunt ipsorum septuaginta interpretum verba, quae a librario codicis Vaticani omissa sunt, sed in Alexandrino codice, et exemplo Complutensi, addita leguntur, etiam in Aldino libro: in quo tamen praepositio ἐν deest.

9. Vid. Prolusf. in V. et N. T. 2, 2. p. 37.

10. Ex. 9, 3. דֶּבֶר כָּבֵד. Alex. θάνατος μέγας. Cod. Oxon. λοιμὸς μέγας. Aqu. Sym. λοιμὸς βαρύς. Vulg. *pestis grauis.*

ne θάνατος explicatum esse: denique magnam scripturae veterum codicum varietatem, quam supra attigimus, in illis ipsis locis, quos in exemplo Complutensi interpolatos esse contendimus, reperiri. Ex hactenus igitur disputatis perspicuum fore omnibus putamus, in Lexicis Noui Testamenti rectissime praecipi, nomen θάνατος in Apocalypsi Iohannis notionem habere cum nomine λοιμὸς communem. Sed eorundem librorum conditores debebant etiam originem huius notionis vocabuli demonstrare, vt lectores librorum diuinorum intellegerent, cur Iohannes cum Alexandrinis Iudaeis isti nomini hanc potestatem tribuisset. Nos quidem eius rei caussam arbitramur hanc fuisse. Nam ante exilii Babylonici tempora, quum Iudaei lingua adhuc integra, neque contaminata, vterentur, pestilentia, et morbi pestiferi, proprio vocabulo appellati דֶּבֶר ab illis ita videntur, vt huius nominis partes interdum [11] nomen מָוֶת egerit. Sed quum e Babylonia retulissent secum in patriam, vt animos vitiosos, corruptosque, et mores, atque instituta peregrina, ita etiam sermonem barbarum, et a vernaculo valde discrepantem: coeperunt pestilentiam, et contagia, obliterata, extinctaque, nominis דֶּבֶר memoria, vocabulo מָוֶת significare, quum homines pestilentia correptos fere mori viderent. Onquelosus [12] sane, caeterique interpretes Chaldaei librorum sacrorum [13], in versionibus suis pro verbo דֶּבֶר nomen מוֹתָא substitue-

11. Ier. 18, 21.

12. Ex. 5, 3. 9, 3. 15. Deut. 28, 21. Conf. Fabii Paulini, Vtinensis, commentarr. in Thucyd. narrat. de peste Athenn. p. 68. Venet. a. 1603. 4.

13. 1. Regg. 8, 37. Ier. 14, 12. 21, 7. 9. Ez. 38, 22. 2. Parall. 20, 9.

ſtituerunt, et interpres Syrus Noui Teſtamenti, non modo vocabulum θάνατος [14], ſed etiam nomen λοιμὸς [15], eodem nomine explicauit. Hac igitur forma loquendi aſſueti Iudaei Alexandrini, vt aliis nominibus Graecis Hebraeorum notiones ſubiecere, ita etiam vocabulo θάνατος, quod primam ſignificationem cum Hebraeo nomine מָוֶת communem haberet, hanc tradiderunt poteſtatem, vt *peſtilentiam* indicaret. Atque hanc ipſam rationem ſequutus Iohannes *peſtem* appellauit θάνατον, eiuſque exemplo vetus interpres Latinus *mortem*, ita, vt nec Chriſtiani ſcriptores [16] dubitarint hoc vocabulo Latino *peſtilentiam* ſignificare, quam etiam barbarae Graecitatis auctores [17] ſaepenumero maluerunt θανατικὸν dicere potius, quam λοιμόν. Sed de origine huius notionis vocabuli θάνατος ſatis diſputatum videtur: veniamus ad alia verba.

III. In eo commentariorum Matthaei loco [18], quo Petrus refertur interrogaſſe magiſtrum, quoties quis deberet alteri, a quo laeſus iniuria eſſet, ignoſcere, atque veniam culpae dare, et magiſter diſcipulo ita reſpondiſſe, vt oſtenderit, auctoribus iniuriarum, non ſaepe, ſed ſemper, ignoſcendum eſſe, eorumque voluntati, et precibus,

14. Apoc. 2, 23. 6, 8.

15. Matth. 24, 7. Luc. 21, 11.

16. Sulpicius Seu. H. S. 1, 38. 7. de Dauide rege: *Sed propoſita triennii fame, trium menſium fuga*, morte *tridui, fugam, et famem, deteſtatus*, mortem *elegit, momentoque temporis LXX. millia virorum interiere.* vid. 2. Sam. 24, 13. 15.: quo loco legitur nomen דֶּבֶר, pro quo in ſeptuagintauirali verſione eſt θάνατος, in Latina vetere *peſtilentia.*

17. Vid. Meurſius, et Cangius, Gloſſarr., etiam Suicerus theſ. eccleſ., v. θανατικόν.

18. C. 18, 21. ſ.

cibus, peccata condonanda, ibi igitur leguntur haec verba, Οὐ λέγω σοι, ἕως ἑπτάκις, ἀλλ' ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. Et Lexicographi quidem, praeeuntibus interpretibus optimis, verissime docent, in hac oratione Christi numero septenario magnum, et multiplicem, numerum, sed septies septuagenario maximum, et infinitum, indicari, ita, vt ἕως ἑπτάκις sit *saepe*, et ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ *quam saepissime*, hoc est, quotiescunque iniuriarum auctor veniam earum ab eo, quem laeserit, petit [19]. At primum non tradunt, quare Matthaeus, vel eius interpres, ἑπτὰ pro ἑπτάκις scripserit: deinde nec fontem demonstrant, ex quo ipsa illa loquendi forma deriuata fluxerit. Hebraei enim etsi adverbium numerale *septies* fere verbis שֶׁבַע פְּעָמִים expressisse reperiuntur [20]: tamen vsi sunt pro his verbis nonnunquam simpliciter nomine numeri שֶׁבַע [21], vel שִׁבְעָה, tanquam in formula שִׁבְעִים וְשִׁבְעָה, quae in libro Mosis primo [22] legitur. Hanc igitur sermonis Hebraeorum consuetudinem sequutus cum Alexandrinis Iudaeis [23] Matthaeus ἑπτὰ pro ἑπτάκις dixit. Quod quidem quum videret, pro sua doctrina, interpres commentariorum Euangelistae Hebraeus, a Munstero editus: no-

 men

19. Theophylactus ad Matth. 18, 22. p. 77. Rom. Τὸ δὲ ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ εἶπεν, οὐχ ἵνα ἀριθμῷ παρακλείσῃ τὴν συγχώρησιν· ἄλογον γάρ ἐστι καθῆσθαί τινα ἀριθμοῦντα, ἕως οὗ ποσωθῶσι τετρακόσια ἐννενήκοντα· τοσαῦτα γὰρ τὰ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά· ἀλλὰ τὸ ἄπειρον ἐνταῦθα σημαίνει· ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ὁσάκις ἂν πταίσας μετανοῇ, συγχώρει αὐτῷ.

20. Vid. Gen. 33, 3. 1. Regg. 18, 43. 2. Regg. 5, 10. 14.

21. Pf. 119, 164. Prouu. 24, 16.

22. C. 4, 24.

23. Gen. d. l.

men numeri ἑπτὰ eleganter ſane, ſed ſine idonea tamen cauſſa, verbis שֶׁבַע פְּעָמִים explicauit. Numerum autem ſeptenarium ab Hebraeis de numero magno quouis fuiſſe poſitum, praeter antiquos librorum diuinorum interpretes, vt Theodoretum, Chryſoſtomum, et alios [24], excerptorum chronologicorum, quae Ioh. Malelae chronographiae praemiſſa in exemplo Oxonienſi extant, incertus auctor [25], cuius verba in Lexicon Suidae, id quod non animaduertit Neocorus, tranſlata ſunt [26], praecepit, et recte praecepit. Et-

24. Vid. Suicerus theſ. eccleſ. v. ἕβδομος. Kimchius ad Eſai. 4, 1.: שבע איננ לחשבון מכוון אלא כן דרך המקרא לזכור שבע ושבעה לחשבון רב לפי שכל ימי עולם שבועות:

25. P. 3. Σύνηθες — τῇ γραφῇ τῷ ἀριθμῷ τέτῳ ἑπταπλασίονι κεχρῆσθαι, καὶ ἔστιν ἀδιορίστε πλήθες σημαντικὸν, ὡς τὸ, ἀπόδος τοῖς γείτοσιν ἡμῶν ἑπταπλασίονα [Pſ. 79. 12.: vbi cod. Vatic. Alex. ἑπταπλάσια· ſed Complut. Ald. ἑπταπλασίονα], καὶ τὸ, ἡ στεῖρα ἔτεκεν ἑπτὰ [1. Sam. 2, 5.], καὶ, ἐ λέγω σοι, ἕως ἑπτάκις, ἀλλ᾽ ἕως ἑβδομήκοντα [Suidas: ἑβδομηκοντάκις] ζ' [Matth. 18, 22.]. Sic enim editor Oxonienſis recte vidit legendum eſſe pro τὸν ἀριθμὸν τἕτον ἑπταπλασίονα. In Suidae tamen libris eſt, τῷ ἀριθμῷ τέτῳ ἀπροσδιορίστως κεχρῆσθαι.

26. V. Καΐν p. 218. To. 2. inde a verbis τί δηλοῖ τὸ πᾶς ὁ ἀποκτείνας vſque ad verba πάντα τὸν εὑρίσκοντα αὐτόν. Sed tota illa ῥῆσις, vt in libris Suidae exhibetur integrior, et minus trunca, ita illuc aliunde veniſſe, neque ab ipſo Suida adiecta eſſe, videtur. Certe in exemplo Mediolanenſi non legitur. In einſdem Suidae Lexico extat haec gloſſa: Ἑπταπλάσιον· ἀντὶ τἕ πολυπλασίονα. Ὁ γὰρ ἑπτὰ ἐπὶ πλήθες τάττεται. Sed reſcribi debet haud dubie ἑπταπλασίονα, vt gloſſa petita ſit ex 2. Sam. 12, 6. [vbi tamen cod. Alex. ἑπταπλάσιον], vel e Pſ. 78, 12.: vbi ἑπταπλασίονα in Complut. et Ald. legitur: aut certe πολυπλάσιον, vt gloſſa referatur ad Eſai. 30, 26. Sic Luc. 18, 30. pro πολλαπλασίονα libri nonnulli habent ἑπταπλασίονα.

Etenim in Esaiae oraculis [27] שֶׁבַע נָשִׁים dicuntur *multae mulierculae*, נָשִׁים רַבּוֹת, Kimchio interprete: in historia Ruthae [28] שִׁבְעָה בָּנִים sunt *multi filii*, סַגִּיאִין בְּנִין, vt Chaldaeus paraphrastes explicauit Hebraea illa verba: in hymno [29], quem Hanna, vxor Elcanae, cecinit tum, quum deus ipsam fieri matrem iussisset, haec leguntur verba, עֲקָרָה יָלְדָה שִׁבְעָה, hoc est, *steriles* vxores *fiunt fecundae*: opponitur enim huic sententiae ista, רַבַּת בָּנִים אֻמְלָלָה, hoc est, *fecundae* vxores *fiunt steriles*: et כֶּסֶף מְזֻקָּק שִׁבְעָתַיִם a Dauide [30] vocatur *argentum saepius*, id est, *diligenter, et accurate, sordibus, scoriaque, purgatum.* Iam vero eosdem Hebraeos numerum maximum, atque innumeralem, videmus consueuisse ita indicare, vt nomini septenarii numeri adiunxerint numeri septuagenarii nomen. Moses quidem, loco Geneseos supra laudato, Lamecum, Henoci, Caini filii, abnepotem, cum Sella, et Ada, vxoribus, ita agentem inducit, כִּי שִׁבְעָתַיִם יֻקַּם־קָיִן וְלֶמֶךְ שִׁבְעִים וְשִׁבְעָה: quorum verborum quis nescit hanc esse sententiam, *Iam quum deus ipse ostenderit* [31], *grauiter statutum iri in Caini, parricidae, occisorem: sane confidere mihi posse videor, grauissimis poenis affectum iri eum, qui me, parricidii omnis, et vero etiam homicidii, purum, interfecerit?* Hanc igi-

27. C. 4, 1.

28. C. 4, 15.

29. 1. Sam. 2, 5.: vbi Vulg. *sterilis peperit plurimos.* Sic Ps. 119, 164. pro שֶׁבַע, quod οἱ ό verterunt ἑπτάκις, alius interpres, fortasse Symmachus, habet πλειστάκις.

30. Ps. 12, 7.

31. Vid. Gen. 4, 15.: et ad verba שִׁבְעָתַיִם - שִׁבְעִים וְשִׁבְעָה v. 24. Salomon Mechides annotauit haec, בא המספר על־דרך גוזמא להרבות ולהגדיל:

igitur ſermonis Hebraeorum rationem imitati cum Alexandrinis interpretibus Euangeliſtae, non ſolum nomen numeri ἑπτὰ [32] ita vſurparunt, vt omnino *multitudinem* ſignificaret, ſed etiam adverbia numeralia ἑπτάκις, et ἑβδομηκοντάκις ἑπτὰ [33], illud *multitudinis magnae*, haec *infiniti numeri*, indices eſſe iuſſerunt.

IIII. Neque vero aliter verſati ſunt Lexicographi in explicando verbo ποιεῖν. Etſi enim recte praecipiunt, in commentariis Matthaei, et Lucae, poſitum legi hoc verbum, cum de his, qui lucrentur, et acquirant, pecuniam [34], et de ipſis numis, qui, tanquam parentes, procreent, atque edant, veluti fetus, numos alios [35], tum de iis, qui ruri, in agris, in vineis, opus faciant [36]: tamen non afferunt cauſſas, cur Euangeliſtae dederint iſtos verbo ſignificatus. Nos vero huius ipſius rei rationes ab vſu loquendi Hebraico repetendas eſſe arbitramur. Etenim legentibus libros Veteris Teſtamenti diuinos multi occurrunt loci, quorum indicio ſatis intellegat quiſque, Hebraeum ſermonem ita frequentaſſe verbum עֲשׂוֹת, vt *lucrari*, et *acquirere*, ſignificaret, adeo, vt nec Chaldaei [37], et Hebraei [38], interpretes dubitarint illud verbis קְנוֹת, et

32. Matth. 12, 45. Luc. 11, 26.

33. Luc. 17, 4. Matth. 18, 21. ſ.

34. Matth. 25, 16.

35. Luc. 19, 18.

36. Matth. 20, 12.

37. Deut. 8, 17. ſ. Onquelosus verba עָשָׂה לִי, et לַעֲשׂוֹת, vertit verbis כְּנַשׁ לִי, et לְמִקְנֵי: Gen. 31, 1. verbum עָשָׂה reddidit verbo קְנָא: quod ipſum verbum legitur in verſione Matthaei Hebraica, quam Munſterus edidit, pro verbis ποιεῖν, et κερδαίνειν, c. 25, 16. ſ.

38. Gen. 12, 5. Salomon Melechides ad verbum עָשׂוּ adſcripſit haec, פירוש אסיפה וקנין

et פִּרְנֵשׂ, explicare. Alexandrinis autem Iudaeis placuit idem verbum Hebraicum verbo ποιεῖν ita reddere, vt potestate verbis κτᾶσθαι, et κερδαίνειν, par esset [39]. Atque hanc ipsam rationem sequuti Euangelistae quin verbo ποιεῖν vim verborum κτᾶσθαι, et κερδαίνειν, tribuerint, nemini vllo modo dubium esse poterit, qui ingenium orationis Graecae Noui Testamenti perspectum habeat. Neque enim credibile est, quae erat Grotii opinio, Matthaeum, vel eius interpretem, vsu verbi Latini *facere* admonitum, quod etiam *lucrari*, et *lucrando conficere*, significare sciret, Graecum ποιεῖν ita posuisse, vt vicem verbi κερδαίνειν expleret, praesertim quum forma loquendi Lucae, quem facile appareat illam cum Matthaeo ex communi fonte hausisse, a formulis Latinis *pecunias facere* [40], *quam plurimum facere* [41], aliisque similibus [42], non parum discrepet. Sed idem ille Grotius recte iudicauit, ἐκέρδησε, quod verbum pro verbo ἐποίησε in multis commentariorum Matthaei codicibus in ordinem receptum extat, interpretamentum alterius verbi esse. Etenim quis nescit, glossemata saepe in omnibus, non tantum in multis, scriptorum veterum codicibus loca, et sedes, glossarum, stulta librariorum neglegentia, occupasse? Et quum forma orationis, quae in Lucae commentariis comparet, ei, quam Mat-

 thaeus

וקנין, idque interpretatus est verbo קָנָה, vt Iarchius, qui, laudatis locis Gen. 31, 1. et Numerr. 24, 18., addit לשון קונה וכונס:

39. Gen. 31, 1. Numerr. 24, 18. Deut. 8, 17. f. Sic Sen. ep. 114. p. 564. To. 2. Gron. *Est apud Sallustium,* exercitum argento fecit, *id est*, pecunia parauit.

40. Corn. Nepos 5, 1. 3.

41. Terent. Adelphph. 5, 4. 14. f.

42. Vid. Graeuius lectt. Hesiodd. c. 13. extr. et ad Flor. 1, 1. 9. add. Palaretius ad Matth. 25, 16.

thaeus expressit, valde sit dissimilis: quis credat, interpretes huius Euangelistae e Lucae loco ad verbum ἐκέρδησε, interpretationis caussa, verbum ἐποίησε apposuisse? Hos autem ipsos homines verbum ἐκέρδησε sua sponte interpretatos esse verbo ἐποίησε, propterea veri simile non est, quia Graeci veteres ipsi verbum ποιεῖν nunquam, certe perraro, ita vsi videntur, vt *lucrari*, et *acquirere*, declararet: sed nemo facile solet verbum commune, et cotidianum, raro, et exquisito, verbo explicare. Nam quod Hesiodus [43] θῆτα ποιεῖσθαι dixit, hoc est, Hesychio interprete, qui respexisse ad illum poëtae locum videtur, προσποιεῖσθαι, vel, Moschopulo auctore, κτᾶσθαι· et quod formula τὸν βίον ποιεῖσθαι apud Arrianum, et Iosephum, aliaeque eius generis formulae apud alios scriptores recentiores [44], leguntur: ex eo certe, neque intellegi, neque effici, vllo modo potest, etiam Actiuum verbum ποιεῖν in vita communi habuisse potestatem verbi κερδαίνειν. Sed illud ipsum verbum עֹשֶׂה ab Hebraeis, vt a Chaldaeis verbum מְעַבֵּד, non tantum de opificibus, et aedificatoribus, vel simpliciter, vel additis nominibus מְלָאכָה, et עֲבִידְאּ [45], sed etiam de iis, qui ruri opus faciunt, vsurpatum inuenitur. Naamis quidem, Ruthae socrus, nurum, quae ex agris Boasi secum, praeter polentae reliquias *, dimidium super quatuor modios Romanos hordei domum retulisset, ista tanta frumenti copia stupens, interrogasse legitur [46], אֵיפֹה לִקַּטְתְּ הַיּוֹם וְאָנָה עָשִׂית. Hac autem in oratio-

43. Ἔργ. 602.

44. Vid. Kypquius ad Matth. 25, 16. et Graeuius lect. Hesiodd. c. 13. extr.

45. 2. Regg. 12, 12. Esth. 3, 9. Hag. 2, 4.

46. Ruth. 2, 19.

tione satis perspicuum est duobus verbis עָשִׂית, et לַקֵּט, quorum hoc absolute positum est pro לַקֵּט בַּשִּׁבֳּלִים [47], vnam eandemque rem declarari, hoc est, *spicas legere.* Etenim animus admiratione rei inopinatae captus, et cupiditate cognoscendi statim omnia flagrans, mulierem iussit interrogationem geminare. id quod ex eo intellegitur, quod, et Naamis duplici illi interrogationi subiunxit preces has, יְהִי מַכִּירֵךְ בָּרוּךְ, hoc est, *ei, qui te siuit spicas legere in agro suo, contingant a deo omnia bona, atque commoda*, et Rutha ad ea, quae quaesita erant, simpliciter respondit, שֵׁם הָאִישׁ אֲשֶׁר עָשִׂיתִי עִמּוֹ הַיּוֹם בֹּעַז, hoc est, *spicas hodie legi in agro Boasi.* Iam vero quum Alexandrini Iudaei verbum Hebraeum Graeco ποιεῖν reddiderint, atque adeo illi subiecerint notionem verbi καλαμᾶσθαι, quo Iosephus [48] hoc in genere vsus est: quis miretur, apud Matthaeum legi idem illud verbum de operis, quae ab patrefamilias conductae erant, vt in vinea ipsius opus facerent, ita, vt idem valeat, quod verbum ἐργάζεσθαι in libris scriptorum barbarorum [49]? Nam ratio eorum, vt Bezae, aliorumque, qui nomen ἔργον intellegi iubent, vel propterea valere non potest, quia hoc vocabulum omitti ita, neque solet, neque potest, quum pro ἐργάζεσθαι, per leges vsus recte, et eleganter, loquendi, dici ἔργον ποιεῖσθαι, non ἔργον ποιεῖν [50], debeat. Neque vero

47. Vid. Ruth. 2, 2.

48. Archaeol. 5, 11. p. 145. Basil.

49. Vid. Lamb. Bosius obseruatt. critt. c. 6. p. 32. ss. add. Matth. 21, 28.

50. Hac formula vsi sunt οἱ ό 2. Regg. 12, 14. f.: sed eos non esse idoneos Graecitatis auctores, qui nec aliis huiusmodi in formulis vsum Actiui ποιεῖν ab vsu Medii ποιεῖσθαι solerter distinxerint, quis nescit?

ro magis probanda videtur ſententia eorum, qui verbum ποιεῖν in illo Matthaei loco idem ſignificare, quod verbum διατρίβειν [51], putant, quum operarii, qui conquerentes inducuntur de iniquitate patris familias, eum iubeant, non ſpatium temporis, quod ipſi in vinea exegerint, ſpectare, ſed ipſorum laborum, quos pertulerint, rationem habere. Omnium autem minime audiendus eſt Hammondus, qui pro ἐποίησαν reponi ἐπόνησαν iubebat, ſed ita tamen, vt ipſe huic coniecturae parum tribueret, ſequendamque potius eam verbi ποιεῖν interpretationem cenſeret, quam nos cum Ioh. Boiſio, et aliis, tueri conati ſumus.

V. Omnino ſi Lexicographi Noui Teſtamenti ſtudioſius conſuluiſſent verſionem Alexandrinam librorum Teſtamenti alterius, eiuſque orationem Graecam cum Hebraea diligentius contendiſſent: multo ſane, et facilius, et rectius, originem notionum nouarum, et inauditarum, magni verborum, et nominum, et particularum, Graecarum numeri, non ſolum ipſi reperire, ſed etiam aliis patefacere, potuiſſent [52]. Et quanquam acris animaduerſio, et ſolertia non mediocris, multorum ſummorum homi-

51. Vt Act. 15, 33. Iac. 4, 13. Tob. 10, 7. Neque vero Latini aliter vſi reperiuntur verbo *facere*. v. Sen. ep. 66. p. 231. To. 2. et ibi Gronouius.

52. Ioh. Boiſius Collat. vet. interpr. ad Matth. 20, 12. p. 61.: *Qui LXX. interpretes non legit, aut minus legit accurate, is ſciat, ſe non adeo idoneum, qui ſcripta Euangelica, et Apoſtolica, de Graeco in Latinum, aut alium aliquem ſermonem, transferat, vtut in aliis Graecis ſcriptoribus multum, diuque, fuerit verſatus.*

hominum, Vorſtii maxime, et Gataqueri, etiam Bezae, et Druſii, et Grotii, et Keuchenii, multa hoc in genere, et firma, adiumenta lectoribus librorum Noui Teſtamenti comparauit: tamen nondum ita obſeruata ſunt, atque aperta, omnia, quin non pauca reſtent, quae quiſque debeat ipſe diligentia obſeruationis, ſtudiique pertinacia, inueſtigare, et conſequi.

VI. Reliquum eſt, vt ſignificem vobis, collegae optimi, alumnum quendam diſciplinae noſtrae probum futurum eſſe perendie interpretem publicum pietatis, quam ſchola noſtra numini dei, ob innumera bona, quibus eam hoc quoque anno ornauit, et auxit, debet. Et profecto deus muneribus, et donis, mortales, et numero plurimis, et praeſtantia maximis, cotidie cumulat, vt recte illis, ſapienterque, vtantur: qui vſus eorum rectus, et ſapiens, immenſam, incredibilemque, prouidentiae, et potentiae, et benignitatis, diuinae magnitudinem quemque ita doceat, vt has virtutes ore, ſermonibuſque, celebrent, neque tantum priuatim, ſed etiam publice, collaudent, ac praedicent. Itaque iuſſimus auditorem claſſicum, IOH. ANDREAN REVTERVM, *Lengefelda Nariſcum*, adulescentem nobis, et ob ingentem literarum bonarum cupiditatem, et propter integritatis, probitatiſque antiquae, ſtudium ſingulare, cariſſimum, oratione Latina, nobis audientibus, oſtendere, *homines non magis poſſe, neque certius, gratum aduerſus deum animum declarare, quam ita, vt virtutes eius, atque laudes, extollant, et celebrent.* Cui quidem adulescentis humaniſſimi oratiunculae

lae ita intererimus, vt deum optimum maximum ardentiſſimis adeamus precibus, velit ſcholae noſtrae etiam proximo anno conſeruare bona illa omnia, ſine quibus ſalua eſſe, et florere, nullo modo poſſit, hoc eſt, patronos eius ampliſſimos, et grauiſſimos curatores, et euergetas ſapientiſſimos omnes, tueri numine ſuo, etiam magiſtrorum, et diſcipulorum, omnium ſtudiis ita adeſſe, vt eos videre, atque percipere, iubeat fructus omnium laborum, et quam plurimos, et quam maximos. Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kalendas Ianuarias A. C. CIↃIↃCCLXXXII

PROLVSIO SEPTIMA DECIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN PRAETERMISSIS CAVSSIS INSOLENTIAE POTESTATIS FORMVLARVM DICENDI ET CONSTRVCTIONIS VERBORVM

Q. B. V

Etſi multae inueniuntur notae, atque indicia, certa, et clara, leuitatis, vanitatiſque, opinionis eorum, qui orationem Graecam, qua auctores librorum Noui Teſtamenti vſi ſunt, puritate, et elegantia, parem eſſe exiſtimant ei, quae libros ſcriptorum barbarorum tantopere commendat: tamen nullum huius temeritatis argumentum firmius, et magis perſpicuum, eſſe arbitramur eo, quod e formulis loquendi, atque ex variis ſtructurae verborum partibus, ducitur. Etenim Euangeliſtae, et Apoſtoli, non modo formulis multis nouis, et inauditis, orationem diſtinxerunt, ſed nec raro in iungendis, componendiſque, verbis ſequuti ſunt rationem penitus inſolentem, et inuſitatam. Harum igitur formularum naturam ita explicare debebant Lexicographi,

graphi, vt etiam originem vſus earum, et poteſtatis cauſſam, oſtenderent: haec conſtructionis verborum nouitas ita notanda in Lexicis erat, vt appareret, vnde ſcriptores eam petiiſſent diuini. Hac enim cura, et diligentia, futurum erat, vt lectores librorum ſacrorum nouicii accuratam huius quoque orationis eorum partis ſcientiam ita conſequerentur, vt, quo magis viderent, fontem omnis illius peregrinitatis eſſe vſum loquendi Hebraeum, eo minus dubitarent aſſentiri iis, qui ſtylum Noui Teſtamenti eſſe Hebraeograecum cenſent. Qui quidem etſi hanc ſententiam ſuam tot, et tam grauibus, rationibus confirmarunt, vt labefactari nullo modo poſſet; etſi magnam copiam, vt verborum, ita formularum, vel nouatarum, vel certe noue vſurpatarum, hoc eſt, ex Hebraeis formulis expreſſarum, et ad earum modum poſitarum, congeſſerunt: tamen non parum mirandum eſt, nullam propemodum rationem ab iis habitam eſſe ipſius compoſitionis verborum. Hanc enim etiam pluribus, et certioribus, conſuetudinis loquendi Hebraicae veſtigiis impreſſam apparere, quis neſcit? Nos vero Lexicographorum hoc in genere neglegentiam ita patefacere conabimur, vt primum formulas quaſdam afferamus, quae ab iis recte quidem, ſed ita, explicatae ſunt, vt, neque originem vſus earum, neque fontem poteſtatis, demonſtrarint; deinde genera nonnulla inſolentiae conſtructionis verborum, de quibus iidem homines ne admonuerunt quidem librorum ſuorum conſultores, ſic attingamus, vt cauſſam omnis nouitatis ab iunctura orationis Hebraica repetendam eſſe doceamus. Hac enim diſputatione noſtra excitati lectores librorum

Noui

Noui Testamenti studiosi, et liberales, facile poterunt iisdem viis peruenire ad capita, a quibus reliquae huiusmodi formulae, reliqua structurae verborum inusitatae genera, ducta sunt.

II. Boni quidem, et diligentes, Graecitatis auctores, vt Aristophanes [1], Xenophon [2], et alii [3], quum de iis loquuntur, qui aliquem solicitant, et impellunt, et incitant, ad aliquid, formula *ἐπαίρειν τινά*, vel simpliciter, vel ita vtuntur,

1. Auu. 1656. *ὃς ἐπαίρει σε νῦν.* add. Nubb. 1459. Rann. 1073. coll. v. 1082. Sed Nubb. 42. *Ἥτις με γῆμ' ἐπῆρε τὴν σὴν μητέρα·* vbi v. Neocorus: quem locum etiam Harpocratio v. *ἐπαιρόμενος* laudauit. Scholiastes vetus ad verbum *ἐπῆρε* annotauit haec, *Κυρίως τὸ ἀνεχαύνωσεν, ἀνεκούφισεν, ἐπαγγελλομένη, προῖκα μεγάλην εἰσοίσειν τὴν γυναῖκα· καταχρηστικῶς δὲ, ἀνέπεισεν.* Haec ipsa annotatio legitur, et decurtata, et verbis nonnullis auctior, in Lexico Suidae v. *γῆμ' ἐπῆρε*, et Phauorini v. *ἐπῆρε·* qui tamen post verbum *ἀνέπεισε* addidit verba *κατέπεισε, καὶ ἠρέθισεν·* quorum hoc a Suida v. *ἐπῆρε* mutuatus videtur. Facile igitur intellectu est, quo referenda sit glossa in Lexico Hesychiano haec, *Ἐπῆρεν· ἀνέπεισεν.* Sed potest etiam sumta esse e Sophoclis Oedip. tyr. 1342. p. 221. Cantabr. *τίς σ' ἐπῆρε δαίμων;* vbi schol. *ἦγεν ἔπεισε· καὶ Εὐριπίδης, Ὅστις μ' ἐπάρας ἔργον* [l. *εἰς ἔργον*] *ἀνοσιώτατον.* vid. not. 3.

2. Cyrop. 4, 2. 3. *οἷα δὴ ἐπαίρειν βουλόμενοι ὡς μάλιστα στρατεύεσθαι αὐτόν.* Etiam 8, 1. 8. cod. Guelf. legit *ἐπὶ τὰ καλὰ καὶ ἀγαθὰ ἐπαίρειν ἔργα*, quum reliqui libri omnes, in his cod. Altorp. pro *ἐπαίρειν* habeant *παρορμᾶν·* et recte quidem, vt docebimus, volente deo; in animaduersionibus ad eum locum. Sed Zeunio tamen placuit *ἐπαίρειν* recipere in ordinem.

3. Herodo. 1, 87. *ἐπάρας ἐμὲ στρατεύεσθαι·* add. 1, 90, 7, 10. 7. Sed Eurip. Orest. 285. s. *Λοξίᾳ δὲ μέμφομαι, Ὅστις μ' ἐπάρας εἰς ἔργον ἀνοσιώτατον, Τοῖς μὲν λόγοις ηὔφρανε, τοῖς δ' ἔργοισιν οὔ.*

tur, vt infinitiuus verbi, vel nomen, quo indicetur res, ad quam quis impellitur, interueniente praepositione εἰς, sequatur. Lucas igitur si Graeca elegantia delectatus esset: eo loco actuum Apostolorum, quo refert, Petrum expostulasse cum Anania, qui partem aliquam pecuniae, qua agrum vendiderat suum, conscia Sapphira, vxore, ita auerterat, vt se auertisse quidquam dissimularet, si forte fallere Apostolos posset, vocem Apostoli, et querelam, verbis efferre potuisset his, Ἀνανία, διατί ἐπῆρέ σε ὁ Σατανᾶς ψεύσασθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον; Sed placuit historico diuino, neglecta consuetudine loquendi Graeca, in locum horum verborum substituere ista [4], Ἀνανία, διατί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σου, ψεύσασθαί σε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον; hoc est, *Anania, cur te impelli a Satana passus es, vt auderes*, vt conareris, *fallere Spiritum sanctum* [5]? Hac enim in oratione formulam πληροῦν τὴν καρδίαν τινὸς idem valere, quod formulam ἐπαίρειν τινὰ, cum res ipsa declarat, tum ex eo intellegitur, quod ad verba διατί ἐπλήρωσε τὴν καρδίαν σου; eodem in loco [6] relata leguntur verba τί ὅτι ἔθου ἐν τῇ καρδίᾳ σου τὸ πρᾶγμα τοῦτο; id est, *cur animum induxisti*, ausus es, *hoc facere* [7]? Etsi igitur plerique Lexicographi recte praecipiunt, formulam illam significare *impellere, et incitare, aliquem, alicui auctorem, et suasorem, existere:* tamen reprehendendi videntur, quod fontem non indicarunt, e quo Lucas eam ita hauserit, vt ipsi, et hanc potestatem tribuerit, et infinitiuum verbi ψεύδο-

4. Act. 5, 3.

5. Arator hist. Apost. 1, 434. s. p. 580. Fabric. —. *Quisnam te fallere suasit, Conclusitque probans?*

6. v. 4.

7. Vid. Proluss. in V. et N. T. 1, 3. p. 14.

ψεύδομαι adiunxerit. Debebant enim lectores Noui Testamenti, qui essent scientia, et vsu, tirones, docere, formam illam loquendi ab Euangelista ex oriente esse petitam, atque ita vsurpatam, vt Graeca verba, et vim haberent, et structuram, cum verbis Hebraeis communem. Hebraei autem formulam אֲשֶׁר מְלָאוֹ לִבּוֹ de eo, qui *animum induxit*, audet, *aliquid facere*, ipsius naturae inuitatu, ita posuisse reperiuntur, vt eam sequi iusserint infinitiuos verborum, quibus ipsarum actionum, siue corporis, siue animi, genera significarentur. Artaxerxes quidem Longimanus, Persarum rex, quum ab Esthera, vxore, super coenam accepisset, exortum esse, qui moliretur hoc, vt, et ipsa interficeretur, et Iudaicum nomen in vniuerso Persarum orbe extingueretur: hoc tam impiae, tamque crudelis, audaciae inopinato indicio vehementer obstupefactus, ac perterritus, interrogasse reginam legitur [8] מִי הוּא זֶה וְאֵי־זֶה הוּא אֲשֶׁר מְלָאוֹ לִבּוֹ לַעֲשׂוֹת כֵּן׃. In hac autem interrogatione, cuius sententiam Iosephus [9], pro suo elegantiae Graecae studio, his verbis complexus est, ὑπὸ τίνος εἴη ταῦτα γεγενημένα, formulam אֲשֶׁר־מְלָאוֹ לִבּוֹ לַעֲשׂוֹת כֵּן hac praeditam esse vi, vt significet eum, *qui animum induxit*, audet, *haec facere*, praeter rem ipsam, Alexandrinorum Iudaeorum non minus, quam paraphrastae Chaldaei, auctoritas ita docet, vt dubitari nullo modo possit. Etenim vt verba דִּי אַמְלְכֵיהּ לִבְבֵהּ לְמֶעְבַּד כְּדֵן, quae in Chaldaica paraphrasi pro verbis Hebraeis ante propositis leguntur, recte possunt explicari Latine *qui animum suum induxerit, vt haec faceret:* ita septuagin-

8. Esth. 7, 5.

9. Archaeol, 11, 6. pag. 338. Basil.

ta interpretes eandem illam formulam Hebraeam expreſſerunt Graeca ὅστις ἐτόλμησε ποιῆσαι τὸ πρᾶγμα τοῦτο· quae eorum verba Latinus interpres verbis *vt haec audeat facere* reddidit. Et hoc ipſo verbo τολμᾶν vſus eſt, ſi exempli Romani ſeptuagintauiralis verſionis auctoritatem ſequimur, Aquila pro verbis Hebraeis מָלֵא לֵב in eo loco libri, qui Eccleſiaſtes inſcribitur, quo homines improbi, quod culpam non ſemper poena comes premat, eam ſuſcipere ſecuritatem, audaciamque, dicuntur, vt ſummo ſtudio, et plenis quaſi velis, ad omnia ſcelerum, flagitiorumque, genera ferantur [10]. Quae quum ita ſint: quis dubitet, quin Hebraei etiam formulae מִלֵּא לֵב פְּלוֹנִי eam dederint poteſtatem, vt par eſſet formulae הֵסִית אֶת־פְּלוֹנִי, cui Graeci Veteris Teſtamenti interpretes formulas ἐπισείειν [11], ἀνασείειν,

10. Eccleſ. 8, 11. מָלֵא לֵב בְּנֵי־הָאָדָם בָּהֶם לַעֲשׂוֹת רָע׃ Haec verba ab τοῖς ό eleganter conuerſa ſunt, ἐπληροφορήθη καρδία υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου ἐν αὐτοῖς τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρόν. Nam πληροφορεῖσθαι proprie dicuntur, et *naues, quae plenis velis feruntur*, et *nautae, qui curſu contento petunt locum aliquem:* v. Verportenius diſſert. de πληροφορίᾳ fidei 1, 7.: deinde hoc verbum aptiſſime tranſlatum eſt ad *animum*, et ad *homines, qui ſummo ſtudio, et contentione, feruntur ad aliquid:* vt Gades, Iacobi filius, in teſtamentis XII. patriarcharum 9, 2. apud Grabium ſpicileg. Patrum To. I. p. 219. et apud Fabricium cod. Pſeudepigr. V. T. p. 677. Vol. I., legitur πληροφορηθῆναι τῆς ἀναιρέσεως, h. e. *ſummo ſtudio latus eſſe ad caedem, et necem*, Ioſephi, fratris. Sed verba מָלֵא לֵב Aquila dicitur reddidiſſe verbo ἐτόλμησαν. Nam verba Latini interpretis, *abſque timore vllo filii hominum perpetrant mala*, expreſſa ſunt e verbis Symmachi, ἀφόβως καρδία οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακουργοῦσιν.

11. Οἱ ό Iudd. 1, 14. I. Parall. 21, 1.

σείειν[12], *ἀναπείθειν*[13], *τινὰ*, Chaldaei verba גָּרְאָה[14], et אַמְלְכָה[15], accuſatiuo nominis perſonae addito, reſpondere iuſſerunt? Quas quidem formulas omnes nemo ignorat conuenire in eos, qui incitant aliquem, et impellunt, qui auctores alicui, et ſuaſores, exiſtunt, qui aliquem iubent audere aliquid: quod Herodotus[16] *ἐπὶ νόον ποιέειν*, ſed Iohannes[17] *βάλλειν εἰς τὴν καρδίαν τινὸς*, dixit: quae ipſa formula, vt Homericae *ἐνὶ θυμῷ βάλλειν*, et *ἐπὶ φρεσὶ τιθέναι*, videtur eſſe ex Hebraea הָשִׂים עַל־לֵב פְּלוֹנִי expreſſa[18]. Lucae autem placuit ex ſuperiore illa Hebraeorum formula effingere Graecam plane nouam, quae tamen, et ſignificationem, et conſtructionem, cum Hebraea communem haberet. Atque haec omnia ſi Lexicographi ita praecepiſſent: ſane a nemine accuſari inutilis cuiuſdam neglegentiae poſſent, quae ſpem, et ſtudia, conſultorum rudium, ſed originem, et cauſſam, poteſtatis non minus, quam ſtructurae, illius formulae cognoſcendi cupidorum, deſtitueret.

III. Sed eandem tamen horum hominum incuriam vituperare cogentur ii, qui noſcere cupiant

12. Aqu. Iob. 2, 3. Add. Marc. 15, 11. coll. Matth. 27, 20.: ex quo loco *ἔπεισαν* pro *ἀνέσεισαν* profectum eſt in cod. Cantabrig. Bezae apud Marcum: Luc. 23, 5.: et Veſſelingius ad Diod. Sic. p. 615. To. 1. Albertius ad Heſych. p. 1163. To. 2.

13. Aqu. Deut. 13, 7. Add. Act. 18, 13.

14. 2. Sam. 24, 1. Ier. 43, 3.

15. Ioſu. 15, 18. Iudd. 1, 14.

16. 1, 71. *Ἐγὼ μέν νυν θεοῖσιν ἔχω χάριν, οἳ οὐκ ἐπὶ νόον ποιέουσι Πέρσῃσι στρατεύεσθαι ἐπὶ Λυδούς.*

17. C. 13, 2.

18. Vid. Proluſſ. in V. et N. T. 1, 3. p. 14. ſ.

piant natales formulae *βλέπειν τὸ πρόσωπον τȣ̃ θεȣ̃*, quae in commentariis Matthaei [19] legitur. Iesus enim quum ostendisset Apostolis, notans superbam peruersitatem Pharisaeorum, aliorumque ciuitatis Iudaicae principum, neminem posse numeros alumnorum disciplinae suae augere, qui non, superbia, fastuque, omni posito, et abiecto, modestiae studium ita susciperet, vt se nunquam elate, immo submississime semper, exemplo, et more, puerulorum, gereret: eos etiam admonuit amicissime, ne auderent quenquam suorum, huius animi humilitatis caussa, contemnere, et despicere: quippe quorum tanta esset dignitas, vt gauderent praesidio, et custodia, geniorum, qui essent ipsius dei amici, et apparitores. Et Matthaeus quidem hanc Christi admonitionem, eiusque caussam, verbis prodidit his, *Ὁρᾶτε, μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τȣ́των· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν ȣ̓ρανοῖς διὰ παντὸς βλέπȣσι τὸ πρόσωπον τȣ̃ πατρός μȣ τȣ̃ ἐν ȣ̓ρανοῖς.* Hac autem in oratione formulam *διὰ παντὸς βλέπειν τὸ πρόσωπον τȣ̃ πατρὸς τȣ̃ ἐν ȣ̓ρανοῖς* de geniis sanctis legi ita positam, vt valeat *operam dare, et apparere, deo*, multi Lexicorum Noui Testamenti conditores rectissime tradunt. Bonis enim geniis has impositas esse a deo partes nouimus, vt sint ipsius nuntii, interpretesque, ad homines pios, eosque custodiant, et omni in genere adiuuent. Paulus certe quidem in epistola ad Hebraeos [20] ostendit, eos esse *λειτȣργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τȣ̀ς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν·* et Lucas in commentariis de rebus Christi Gabrielem genium,

19. C. 18, 10. 20. C. 1, 14.

nium, qui Zachariae sacerdoti, dei nomine, nuntiarat, ipsum filio auctum iri, *τὸν παρεστηκότα ἐνώπιον τȣ̃ Θεȣ̃*, hoc est, *apparitorem*, *et ministrum*, *dei*, nominat [21]. Nam formula *ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιόν τινος* expressa est ex Hebraica הָעוֹמֵד אֶת־פְּנֵי פְלוֹנִי, vel הָעוֹמֵד לִפְנֵי־פְלוֹנִי [22], quam scriptores diuini ipsi verbis מְשָׁרֵת פְּלוֹנִי, hoc est, *λειτȣργός*, *διάκονός*, *τινος*, commutarunt [23]: sed qui הָעוֹמֵד לִפְנֵי פְלוֹנִי dicitur, is etiam רוֹאֶה פְּנֵי פְלוֹנִי appellatur [24]. Etsi igitur dubitari non potest, quin formula *διὰ παντὸς βλέπειν τὸ πρόσωπον τȣ̃ πατρὸς τȣ̃ ἐν ȣ̓ρανοῖς* significet *amicum esse*, *et apparitorem*, *dei:* tamen hanc illius interpretationem Lexicographi ita adiuuare, et confirmare, debebant, vt consultores docerent, ab quo fonte Matthaeus eam deduxisset, quo facilius eorum quisque, cum de origine potestatis eius, tum de veritate explicationis, iudicare ipse posset. Fontem autem illum apparet fuisse vsum loquendi Hebraeorum. Hebraei enim, qui in collegendis, et augendis, linguae suae copiis naturam maxime ducem, magistramque, sequuti sunt, formula רְאוֹת פְּנֵי פְלוֹנִי, vel רְאוֹת אֶת־פְּנֵי פְלֹנִי, ita vti instituerunt, vt eam significare iuberent, vel *in conspectum alicuius venire*, *ad aliquem adire*,

21. C. 1, 16. Iuuencus hist. euang. 1, 35. s. *Nunc ego, quem dominus, caeli, terraeque repertor, Ante suos vultus voluit parere ministrum.*

22. Vid. 1. Sam. 16, 21. s. 1. Regg. 12, 6. 17, 1. 18, 15. Ier. 15, 19. Conf. Palaeretius ad Matth. 26, 73. et ad Act. 23, 2.

23. Vid. Deut. 1, 38. coll. Ex. 24, 13. Iosu. 1, 1.

24. Vid. 1. Regg. 10, 8. coll. 2. Regg. 25, 19.: quo loco רוֹאֵי פְנֵי־הַמֶּלֶךְ ab interprete Latino dicuntur *hi, qui steterant coram rege*: quos tamen idem interpres vocat *qui videbant faciem regis* Esth. 1, 14.

adire [25], vel *videre aliquem* [26]: quod elegantiae eorum, et perſpicuitatis, natiuae ſtudium imitati cum Alexandrinis Iudaeis auctores librorum Noui Teſtamenti ex illa formula ita expreſſerunt formulas ὄπτεσθαι [27], θεωρεῖν [28], ὁρᾶν [29], ἰδεῖν [30], τὸ πρόσωπόν τινος, vt eandem iis poteſtatem tribuerint. Sed quia non omnibus promiſcue venire in conſpectum regum, eorumque perſonas oculis vſurpare, licet; quia haec fortuna tantum amicorum, familiariumque, et apparitorum, regum dignitati, ac muneri, coniuncta eſt: quis miretur, Hebraeos formulae רְאוֹת פְּנֵי־הַמֶּלֶךְ hanc ſubiecisse vim, vt declararet *amicum eſſe, et familiarem, regis, regi apparere* [31]: quomodo Eumenes Philippo, et Alexandro, *apparuiſſe* legitur [32]? Et quum amici regum hoc iure, atque hono-

25. Vid. Gen. 32, 21. 43, 3. 44, 23. 26. Ex. 10, 28. ſ. Philo autem Ioſeph. p. 558. D Pariſ. formulam illam Hebraicam eleganter interpretatus eſt formula εἰς ὄψιν ἐλθεῖν.

26. Vid. Gen. 46, 30. 48, 11.

27. Gen. 32, 20. 43, 3. 5. Act. 20, 25. Apoc. 22, 4. coll. Hebrr. 13, 23. Matth. 5, 8. 1. ep. Ioh. 3, 2.

28. Act. 20, 38.

29. Gen. 46, 30. Coll. 2, 1.

30. Gen. 33, 10. 44, 23. 1. Theſſ. 2, 17. 3, 10. coll. Romm. 1, 11.

31. 2. Regg. 25, 19. Eſth. 1, 14.: quo loco רוֹאֵי פְּנֵי־הַמֶּלֶךְ ab τοῖς ό eleganter dicuntur οἱ ἐγγὺς τοῦ βασιλέως, in exemplo Origenico, ab Vſſerio ad calcem ſyntagmatis de Graeca ſeptuaginta interpretum verſione [Lond. a. 1655. 4.] ex Arundeliana bibliotheca edito: ſed οἱ ὁρῶντες τὸ πρόσωπον τοῦ βασιλέως, in exemplo vetere alio, ex eadem bibliotheca ab eodem viro ſummo in lucem protracto; ita, vt ſuperiora illa verba videantur eſſe ab alio quodam interprete profecta, fortaſſe ab Symmacho.

32. Vid. Corn. Nepos Eumen. 13, 1., coll. c. 1, 5. et Plutarch. V. Eumen. p. 583. B C To. 1. Vechel.

honore, ſemper gaudeant; quum regibus cotidie appareant, vt coram iis ſtantes iuſſa, quae exſequantur, accipiant: ab Hebraeis etiam עֲבָדִים הָעוֹמְדִים לִפְנֵי הַמֶּלֶךְ תָּמִיד dicti ſunt [33]. Qua quidem ex re ſatis intellegitur, primum Matthaeum verbis βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς reddidiſſe verba Hebraica יִרְאוּ אֶת־פְּנֵי אָבִי שֶׁבַּשָּׁמַיִם: deinde, formulam βλέπειν τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς τοῦ ἐν οὐρανοῖς non differre a formula παρεστηκέναι ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, atque adeo ſignificare *apparere deo, amicum, et apparitorem, dei eſſe:* denique verba διὰ παντὸς addita eſſe ab Euangeliſta propterea, quod ſciret, etiam ab Hebraeis formulae רְאוֹת פְּנֵי־הַמֶּלֶךְ, vt formulae עָמֹד לִפְנֵי הַמֶּלֶךְ, comitem adiungi ſolere nomen תָּמִיד, ita, vt partes aduerbii temporis ageret. Atque ſic verſari Lexicographi debuiſſent in explicandis omnibus illis formulis, quas peregrinas, et barbaras, neque Graecas, eſſe appareret, vt etiam origines vſus earum perſequerentur, et ſignificationis cauſſas afferrent, quo interpretes graues, et certi, neque incerti, et leves, coniectores, eſſe voluiſſe viderentur.

IIII. Sed haec ipſa cura, et diligentia, ab iiſdem hominibus adhibenda erat maxime in notanda ſtructurae orationis nouitate. Ordo enim,

et

33. 1. Regg. 10, 8.: quo loco in omnibus verſionis Alex. exemplis pro תָּמִיד legitur δι᾽ ὅλου· ſed Complut. habet διὰ παντός· quae haud dubie vera lectio eſt: δι᾽ ὅλου alii cuidam interpreti, fortaſſe Aquilae, vindicandum videtur. Ioſephus autem תָּמִיד ſeiunxit a participio הָעוֹמְדִים, et coniunxit cum verbo הַשֹּׁמְעִים. Nam vertit locum illum [Archaeol. 8, 2. p. 241. Baſil.] ita, δούλους τε τοὺς σοὺς, καὶ φίλους, οἳ καθ᾽ ἡμέραν τῆς σῆς σοφίας ἀκροώμενοι διατελοῦσιν.

et compoſitio, verborum, qua vſi ſunt Euangeliſtae, et Apoſtoli, a Graeca ratione eſt adeo diuerſa, atque aliena, vt ſatis mirari non poſſim, multorum oculos ſemper fuiſſe ita hebetes, vt nec ea ex re perſpicerent, orationi Graecae librorum Noui Teſtamenti tantam coniunctionem, et neceſſitudinem, intercedere cum Hebraea, vt tota ex hac effiçta, atque expreſſa, appareret. Quam quidem conſtructionis verborum inſolentiam etſi Graece, Hebraiceque, ſcientibus ita cognitam eſſe non ignoramus, vt, nec monitoris, nec magiſtri, ope indigeant: tamen, vt reliquorum, in primiſque adulescentium, animadverſionem hoc in genere, et diligentiam, vel excitaremus, vel exacueremus, quum Lexicographi hanc praeceptionis partem ſumme neceſſariam propemodum totam neglexiſſent, faciundum putauimus, vt huius quoque peregrinitatis genera nonnulla notaremus. Hebraei enim pronomina הוּא, et זֶה, nominibus ſemper poſtponunt, neque nomen מְאֹד antecedere adiectiua, et verba, ſed ſequi, iubent tum, quum vicem aduerbii obtinet. Hoc autem ſermonis eorum more inuitati diuini ſcriptores alterius Teſtamenti pronomini οὗτος, et particulis λίαν, atque σφόδρα, fere ſemper, repugnante etiam Graeca conſuetudine, eundem locum attribuere [34]. Quod quidem imitandi ingenium, proprietateſque, linguae Hebraicae ſtudium ita incitauit Euangeliſtas maxime, vt multa verba Graeca, quae notiones communes haberent cum Hebraeis verbis,

34. Matth. 28, 15. Luc. 2, 25. 6, 12. 1. Theſſ. 3, 3. —. Matth. 2, 16. 4, 8. Marc. 9, 3. Luc. 23, 8. 2. ep. Ioh. v. 4. —. Matth. 2, 10. 17, 23. Marc. 16, 4. Luc. 18, 23.

bis, horum etiam conſtructionem ſequi iuſſerint. Matthaeus enim [35], et Lucas [36], verbo *βασιλεύειν*, non caſum ſecundum perſonae, et rei, ſimpliciter addiderunt, exemplo Graecorum ſcriptorum, ſed, praeeuntibus Alexandrinis Iudaeis [37], vel accuſatiuum, vel genitiuum, interueniente praepoſitione *ἐπὶ*, quod ſcirent, verbum Hebraeum מָלַךְ comitem adiunctam ſibi habere particulam עַל [38]: iidemque Euangeliſtae dicunt *φοβεῖσθαι ἀπό τινος* [39], non *τινὰ*, et *φυλάσσεσθαι ἀπό τινος* [40], non *τινά*· cuius formulae in locum etiam formulas nouas *προσέχειν*, et *προσέχειν ἑαυτῷ, ἀπό τινος* [41], ſeptuaginta interpretum admonitu [42], ſubſtituerunt: quia in Hebraeo ſermone etiam particula מִן verba יָרֵא [43], et הִשָּׁמֵר, שָׁמוֹר, הִשְׁתַּמֵּר [44], comitari ſolet. Et quis ſcriptor Graecus idoneus, et probus, vnquam vſus eſt formulis *ἀρέσκειν ἐνώπιόν τινος*, et *θαυμάζειν ἐπί τινι*, vel *διά τι*, vel *περί τινος*· quarum tamen hae in commentariis Marci [45], et Lucae [46], leguntur, illa in Apoſtolorum actis [47]? Scilicet Hebraei verbis יָשַׁר, et יָטַב, nomina בְּעֵינֵי, et לִפְנֵי, addi-

35. C. 2, 22. add. Apoc. 5, 10.

36. C. 1, 33. 19, 14. 27.

37. Iudd. 9, 8. 1. Sam. 8, 7. 9. 11. 12, 12.

38. 1. Regg. 2, 11. Mich. 4, 7.

39. Matth. 10, 28. Luc. 12, 4.

40. Luc. 12, 15.

41. Matth. 7, 15. 10, 17. 16, 6. [coll. Luc. 12, 15.] 11. 12. Luc. 12, 1. 20, 46.

42. Hi enim formulam הִשָּׁמֶר לְךָ interpretati ſunt verbis *πρόσεχε σεαυτῷ*. vid. Ex. 34, 12. Deut. 8, 11. Et formula *προσέχειν ἀπό τινος* legitur Sir. 6, 13. 11, 33.

43. Pſ. 3, 7. 27, 1.

44. Deut. 23, 10. Ioſu. 6, 18. Pſ. 18, 24.

45. C. 6, 6. 12, 17.

46. C. 2, 18. 33. 4, 22. 20, 26. Actt. 3, 12.

47. C. 6, 5.

addidiſſe [48], et verbum הִמּוֹת cum particula עַל [49], conſtruxiſſe, reperiuntur: quam verborum adeo conſtructionem ab Euangeliſtis redditam eſſe apparet. Atque ex eodem fonte manauit genus nouitatis ſtructurae orationis illud, quod verba *εἰπεῖν iubere* [50], *διδόναι ſinere* [51], *συμφέρει expedit* [52], quae verbis Hebraeis אָמוֹר, הֵת, et טוֹב [53], reſpondere conſtat, non infinitiuos ſequi, ſed coniunctionem *ἵνα* cum modo ſuo, iubet. Nam quia Hebraei infinitiuis particulam ל ſaepe ita adiunxere, vt euentum, et exitum, conſilium, et finem, indicaret, atque adeo coniunctionibus Graecis *ἵνα*, *ὡς*, *ὅπως*, reſponderet [54]: Euangeliſtae eam expreſſerunt coniunctione *ἵνα* etiam poſt illa verba, quibus vt infinitiui ſimpliciter adderentur, Graeca ratio poſtulabat. Quo quidem in numero eſſe verba ante propoſita, quis neſcit? Neque vero minus certa compoſitionis verborum peregrinae veſtigia apparent in illis Noui Teſtamenti locis, quibus impar inuenitur, inconuenienſque, caſuum conſequutio, ita, vt etiam praepoſitionibus quibuſdam iunctus ſit, contra

48. Iudd. 14, 3. 7. 2. Parall. 30, 4. Gen. 34, 18. 41, 37. Deut. 1, 23. Eſth. 5, 14.

49. Eccleſ. 5, 7.

50. Matth. 4, 3. 20, 21. Luc. 4, 3.

51. Marc. 10, 37. Apoc. 6, 4. 19, 8.

52. Matth. 5, 29. ſ. 18, 6. Ioh. 11, 50. 16, 7.

53. Eſth. 1, 10. ſ. —. 1. Sam. 18, 2. 2. Sam. 21, 10. —. Ier. 26, 14. Eccleſ. 6, 12.: vbi *οἱ ὁ* habent, *τίς οἶδεν ἀγαθόν*· ſed Sym. *τίς γὰρ οἶδεν*, *ὃ συμφέρει*· vt Matthaeus pro *συμφέρει* c. 18, 6. dixit c. 18, 8. ſ. *καλόν ἐστι*, et Lucas c. 17, 2. *λυσιτελεῖ*. Sed interpres Hebraeus Munſteri, et verbum *συμφέρει*, et formulam *καλόν ἐστι*, reddidit vocabulo טוֹב.

54. Vid. Noldius Concordantt. particc. Hebrr. v. ל p. 414. Tymp.

contra omnes leges grammaticas, nominatiuus pro accusatiuo. In Matthaei quidem commentariis quo loco Christus Apostolis ostendit, discipulum, et seruum, neque posse, neque debere, meliorem fortunam, et sortem, sperare, atque exspectare, quam magister, et herus, vsus sit, immo praeclare agi secum putare debere seruos, et discipulos, si eadem cum magistro, et hero, sorte vtantur, ibi [55] igitur verba leguntur haec, Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται, ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, καὶ ὁ δοῦλος, ὡς ὁ κύριος αὐτοῦ. Hanc autem vocem, et sententiam, satis apertum est laborare insolentia quadam iuncturae verborum. Nam, aut nominatiuus ita collocatus est, vt cum verbis ἵνα γένηται cohaereat, et superiora verba sint hunc in ordinem redigenda, ἀρκετὸν, ἵνα ὁ μαθητὴς γένηται, hoc est, ἀγαπητὸν, εἰ ὁ μαθητὴς γένοιτο [56], quum ab Hebraeis constet nomina, quae ad verba sequentia pertineant, ad antecedens verbum referri solere [57]: aut existimari oportet, pro nominatiuo ὁ δοῦλος poni debuisse datiuum τῷ δούλῳ, qui ad verbum ἀρκετὸν ita referretur, vt post eum verba ἵνα γένηται repeterentur. Atque haec posterior ratio, quae haud dubie priori illi praeferenda est, non modo Syro iam interpreti in mentem venit, sed etiam Latino veteri, qui verba Euangelistae ita vertit, *sufficit discipulo, vt sit, sicut magister eius, et seruo, sicut dominus eius:* quam hominis auctorita-

55. C. 10, 25.

56. Xen. Cyrop. 3, 3. 18. Ἀγαπητὸν, εἰ καὶ ἐξ ὑποβολῆς δύναιντο ἄνδρες ἀγαθοὶ εἶναι· sed c. 24. Ἀρκεῖ — ἐὰν τὰς ψυχὰς αὐτῶν παρακελευσάμενος ἀμείνους ποιήσῃς.

57. Ex. 2, 2. Ps. 25, 19.

ritatem ſequutus eſt, vt alibi [58], ita hic quoque, auctor verſionis Hebraicae a Munſtero editae, in qua ſcriptum inuenitur וְלְעֶבֶד, vt in Syriaca ܘܠܥܒܕܝ, non וְעֶבֶד. Neque enim dubitandum arbitramur, quin Matthaeus datiui formam figurae nominatiui ſimilem eſſe iuſſerit, morem Hebraeorum imitatus, quos non ignoraret datiuum nota ſua priuare, vt non diſcreparet a nominatiuo, fere tum, quum praecederet aliud nomen, cuius tertius caſus iam ſuum oſtenderet ſignum [59]. Certe hanc ipſam rationem propoſitam ſibi habuiſſe cenſendus eſt Paulus cum Iohanne, et Marco, in confingendis formulis εἷς καθ' εἷς [60], ὁ δὲ καθ' εἷς [61], et ἀνὰ εἷς ἕκαςος [62]. Etenim formulas εἷς καθ' εἷς, et ὁ δὲ καθ' εἷς, hoc eſt, καθ' ἕνα [63], manifeſtum videtur effictas eſſe ex Hebraica אֶחָד כְּאֶחָד *vnus, vt alter*, id eſt, *ſinguli*, vel *ſingulatim*, quibus verbis illas verſionis vulgatae auctor reddidit [64]: quam ipſam elegantiam conſectatus Syrus interpres formula ܚܕ ܚܕ vſus eſt. Nam praepoſitionem κατὰ ſaepenumero

ro

58. Interpres enim ille commentariorum Matthaei Hebraeus expreſſit fere eas lectiones, quas Latinus interpres reddidit. vid. c. 7, 21. 8, 30. 9, 13. 10, 3. 11, 23. 13, 44. 47. 49. 51. 14, 3. 16, 23. 17, 2. 18, 8. 29. 19, 17. 20, 17. 21, 20. 22, 13. 23, 3. 9. 19. 25. 24, 43. 44. 49. 25, 2. 21. 27. 29. 31.

59. Vid. Ruth. 4, 9.: vbi pro לַזְּקֵנִים וְכָל־הָעָם Chaldaeus paraphraſtes habet לְסָבַיָּא וּלְכָל־עַמָּא:

60. Marc. 14, 19. Ioh. 8, 9.

61. Romm. 12, 5.

62. Apoc. 21, 21.

63. Vid. Graeuius ad Luciani Soloec. p. 116. ſſ. Amſtel. a. 1668. Thomas Magiſter: Οὐ καθ' εἷς, ἀλλὰ καθ' ἕκαςον, δεῖ λέγειν. add. Cangius Gloſſar. v. καθεείς.

64. Marc. 14, 19. Romm. 12, 5. Apoc. 21, 21.

ro similitudinis indicem esse constat: et אַחֵר in Hebraeo sermone referri ad אֶחָד, sicut *vnus* ad *alterum* in lingua Latina, quis nescit? Sed hac ipsa ex re satis intellegitur, Latinum interpretem formulam εἷς καθ' εἷς in Iohannis euangelio [65] non omnino accurate explicasse verbis *vnus post vnum*, neque valere posse Bezae rationem, qui κα̃θ' εἷς, non καθ' εἷς, scribendum putabat [66], praesertim quum etiam auctor tertii libri Maccabaeorum alicubi [67] scripserit, ὁ καθ' εἷς δὲ τῶν φίλων σκυθρωπῶς ὑπεκρέων· quae verba Latinus interpres eleganter sane reddidit, *amici vero singillatim dilapsi tristes.* Et formula ἀνὰ εἷς ἕκαστος ab Iohanne nobis ex Hebraea לְאֶחָד expressa esse propterea videtur, quia scimus, particulam ל etiam distributionis indicem esse [68]. Caeterum vt negari nullo modo potest, non tantum has formulas, sed etiam constructionem verborum supra propositorum, quorum plura alia genera Vorstius in opere de Hebraismis Noui Testamenti congessit [69], laborare vitio, quod a Sinnio Capitone, eiusdemque aetatis aliis, *imparilitas*, a vetustioribus Latinis *stribligo*, appellatum [70], soloecismus vulgo vocatur, et a quo orationem Graecam scriptorum sacrorum defendere, post alios, Suartius, vir longe eruditissimus, et de studiis nostris iuuenilibus incredibiliter

65. C. 8, 9.

66. Beza ad Marc. 14, 19.: *Ego vero existimo, scribendum esse κα̃θεἷς — vel, si distinguere licet vocabula, κα̃θ' εἷς. Est enim κα̃τα ex καὶ εἶτα contractum, vt εἷς κα̃θ' εἷς ad verbum declaret* vnum, et deinde vnum.

67. C. 5, 34.

68. Vid. Es. 38, 16. 1. Parall. 26, 12.

69. C. 36. add. Gataquerus ad Antonin. 3, 4. p. 68. a Traiect.

70. Vid. Gellius 5, 20.

liter meritus, frustra conatus est [71]: ita imparem hanc, et inconuenientem, compositutam partium orationis diligenter notandam fuisse a Lexicographis, adeo, vt etiam originem eius, atque caussam, patefacerent librorum diuinorum lectoribus, quis non intellegit? Sed de sexto Lexicorum Noui Testamenti vitio haec disputata sunto.

V. Hanc enim disputatiunculam praemittere visum est oratiunculis Latinis, quae ab quatuor alumnis disciplinae Thomanae, bonae spei adulescentibus, perendie, hora VIIII. matutina, in auditorio scholae classico habebuntur. Nomina eorum subiecimus: CAR. HENR. HEIDENRICIVS, *Stolpena Misnicus*, antistitis sacrorum in Saxonia nostra primarii, senis meritorum in rem Christianam, et multitudine, et magnitudine, summe venerabilis, cui, et corporis, et animi, vigorem deus ad vltimum vsque senectutis tempus conseruet, ex filia nepos, et virtutis omnis, et bonarum literarum, studiosissimus: CHRISTO. GVIL. FRANCQVIVS, *Lipsiensis:* CAR. FRIDER. ADAMVS SCHOENFELDIVS, *Glauchauiensis:* CAR HENR. SEIFARTIVS, *Vida Nariscus.* Ostendent autem breuiter, quam vanae sint, et leues, querelae, atque voces, eorum, qui senectutem clament miseram esse, quod auocet a rebus gerendis, et corpus faciat infirmius, et priuet omni-

71. In praeclaro opusculo de opinatis discipulorum Iesu Christi Soloecismis, edito Coburgi a. CIƆIƆCCXXX. quaternis. Seneca ep. 95. p. 457. To. 2. Gron. *Grammaticus non erubescit soloecismum, si sciens facit: erubescit, si nesciens.*

omnibus fere voluptatibus, et haud procul a morte absit. Nam quum iis adhuc interpretati essemus, more nostro, Ciceronis quoque librum elegantissimum, qui de senectute scriptus est: sibi visi sunt confidere posse, se suam bonarum literarum cupiditatem facile probaturos esse patronis scholae amplissimis, et curatoribus prudentissimis, et euergetis praestantissimis, aliisque iuuenum studia liberalis doctrinae aemulantium fautoribus summis, si reapse declararent, quam vtilis sibi, quamque fructuosa, fuissent, et ipsorum scriptorum veterum, et magistrorum, praecepta. Atque hactenus speramus, neque argumenta orationum cuiquam visum iri a personis iuuenum aliena, neque ipsas oratiunculas fore auribus vllius ingratas. Quid enim gratius, atque adeo iucundius, animis virorum magnorum, qui salute rei, et Christianae, et publicae, laetentur, accidere possit, quam videre, et cognoscere, quos fructus tulerit opera magistrorum iunioribus, laudi, et gloriae, seniorum succrescentibus? Nostrum quidem collegium deuinctum se beneficio non mediocri existimabit ab iis, quibus oratores, quorum nomina supra scripta sunt, e schola Thomana in academiam Lipsiensem abeuntes, et vero etiam nosmet ipsos, praesentia sua, et audientia, ornare placuerit. Scripsimus Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. XVI. Kal. Maias A. C. CIↃIↃCCLXXXII

PROLVSIO DVODEVICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN NEGLEGENTIA IN EXPLICANDIS PERSONARVM EARVMQVE DIGNITATIS ET POTESTATIS NOMINIBVS

Q. B. V

Conditores Lexicorum Noui Teſtamenti in explicanda poteſtate verborum, et ſingulorum, et iunctorum, eſſe fere ita verſatos, vt eos appareret, non tam adiuuare, et incitare, quam impedire etiam magis, atque retardare, voluiſſe ſtudia eorum, qui orationem librorum diuinorum Graecam intellegere cuperent, docere hactenus conati ſumus ſic, vt varia huius inconſideratiſſimae, inutiliſſimaeque, iſtorum hominum neglegentiae genera ſimus in libellis non paucis perſequuti. Vtinam vero iidem homines maiorem doctrinam, diligentiamque, in exponenda ipſarum rerum natura, et in proprietatibus earum demonſtrandis, probaſſe reperirentur! Etenim nomina perſonarum, et locorum, fere ita poſuere, vt ea ſimpliciter oſtenderint virorum,

rorum, mulierumue, regionum, vel opidorum, vel vicorum, vocabula eſſe, quum addere ea omnia debuiſſent, quibus perſona quaeque, locus quiſque, certo agnoſci, et diſcerni facile ab omnibus aliis locis, perſoniſque, poſſet: vocabula dignitatis, et poteſtatis, multa, vel perperam interpretati ſunt, vel certe ſic, vt, qualis, et quanta, fuiſſet dignitas quaeque, ac poteſtas, iudicari a nemine vllo modo poſſet: verba numorum, et menſurarum, fere ita explanare inſtituerunt, vt, neque modi, et capacitatis, neque ponderis, et pretii, ſpecies ſe legentium mentibus offerrent: in exponendis moribus, atque inſtitutis, ciuitatum priſcarum, vel peccarunt multa, vel certe eam ſequuti ſunt rationem, vt cauſſas eorum non aperuerint: parabolarum denique a Chriſto, familiae noſtrae duce, et principe, propoſitarum, paroemiarumque, quarum gratia ſermones eiuſdem conditos videmus, etiam orationis poëticae, qua ipſe, vt vates, cecinit fata triſtiſſima Iudaeorum contumacium, vrbiſque eorum, et templi, et rei publicae, interitum, vim ita patefacere conati ſunt, vt perſuadere legentibus ſtuduerint, verborum, atque partium, ſingularum, etiam minutiſſimarum, integumentis res magnas, et religioſas, inuolutas latere. Atque hoc eſt primi generis vitiorum, quibus Lexica Noui Teſtamenti laborare demonſtrauimus, e deſcriptione noſtra, ſeptimum, idque vltimum: cuius vitii varii ſane, et multiplicis, exempla etſi ſunt in medio poſita, vt ab lectoribus doctis, et intellegentibus, ſponte notari, conquirique, poſſint: tamen, ne forte aliis videremur temeritatis cuiuſdam, et cupiditatis, impetu ablati anſam reprehenſionis, vt

Dd 2 fit,

sit, quaesiuisse, vtque nec haec disputatio quaestionibus superioribus dissimilis reperiretur, necessario faciundum intelleximus, vt huius quoque incuriae, ac leuitatis, Lexicographorum specimina quaedam ostenderemus.

II. Et Ἰεχονίας quidem Schoetgenius praecipit nomen esse viri Hebraicum: Suartius vocabulum regis esse docet: Stocquius tradit esse nomen proprium filii Iosiae regis, quod in commentariis Matthaei [1] legatur. Iam facile apparet, Stocquium succurrere tironum inscitiae magis, quam Suartium, et Schoetgenium, voluisse: sed quis eum officio boni interpretis, et puerorum liberalium exspectationi, plene satisfecisse putet? Nam primum quidem addere debebat, Iosian fuisse sextum decimum ab Rehabeamo Iudaeorum regem: deinde admonendi lectores erant, filium Iosiae natu secundum, regem Iudaeorum duodeuicesimum, ab Euangelista Ἰεχονίαν dictum esse, qui ab Alexandrinis Iudaeis Ἰωακὶμ [2], vel Ἰωακεὶμ [3], a Iosepho Ἰωάκιμος [4], appellaretur, neque adeo praecipiendum, hunc regem Hebraice nominatum esse כָּנְיָהוּ, יְכָנְיָהוּ, et יְכָנְיָה: quippe quod fuit nomen filii Ioakimi, nepotis Iosiae [5], regis Iudaeorum vndeuicesimi, non diuersum ab nomine יְהוֹיָכִין, quod sane saepius in libris Veteris Testamenti historicis [6] legitur: denique tradi oportebat, Ἰεχονίαν alterum, a Mat-

1. C. 1, 11. f.
2. 2. Regg. 23, 34. 1. Parall. 3, 15. 2. Parall. 36, 4. 8.
3. Ier. 22, 24. 24, 1.
4. Archaeol. 10, 6. 7.
5. 1. Parall. 3, 16. f. Esth. 2, 6. Ier. 22, 24. 28. 24, 1. 27, 20. 28, 4. 29, 2. 37, 1.
6. 2. Regg. 24, 6. 8. 12. 15. 25, 27. 2. Parall. 36, 8. f.

a Matthaeo commemoratum, esse Ioakimi, filii Iosiae, filium, quem Iosephus Ἰωάχιμον [7], septuaginta interpretes Ἰεχονίαν [8], dixerint. Sed in eodem iam errore versatum videmus auctorem versionis Hebraeae commentariorum Matthaei, a Munstero editae, a quo etiam Iosiae filius vocatur יְכָנְיָה, qui tamen appellari יְהוֹיָקִים debuisset. Hoc enim nomen regi illi a Nechaone, rege Aegypti, impositum legitur, quum antea אֶלְיָקִים dictus esset [9]. Neque vero libri Matthaei, quibus nunc vtimur, debent cuiquam mendose scripti videri, quum iam in antiquissimis codicibus, quos Hieronymus, aliique ecclesiae veteris doctores, manibus versarunt, hanc ipsam extitisse scripturam certissimum sit. Et Hieronymus quidem, qui ipse quoque, vt alii doctissimi homines [10], et superiorum saeculorum, et aetatis nostrae, verba Euangelistae integra, atque incorrupta, esse vidit, scriptorum, hoc est, librariorum, vitio, et longitudine temporum, accidisse existimabat, vt nomen, et filii, et nepotis, Iosiae eodem modo scriberetur [11]. Mihi vero Matthaeus ipse, vel euangelii

 eius

7. Archaeol. 10, 8. f.

8. 1. Parall. 3, 16. f. 2. Parall. 36, 8. f. Sed 2. Regg. 24, 6. pro Ἰεχονίας in Complut. legitur Ἰωαχὶν, et in cod. Vatic. Ἰωαχίμ· cuiusmodi codice ipse Iosephus vsus videtur.

9. 2. Regg. 23, 34. 2. Parall. 36, 4. Ioseph. Archaeol. 10, 6.

10. Vt Millius in notis ad Matth. 1, 11. et in Prolegg. ad N. T. f. 702.

11. Verba Hieronymi ad Matth. 1, 12. f. 6. b To. 9. Froben. haec sunt, *Si voluerimus Iechoniam in fine primae tessaradecadis ponere: in sequenti non erunt quatuordecim, sed tredecim. Sciamus igitur, Iechoniam priorem ipsum*

eius interpres, et oris Graeci morositati, et fastidio Graecarum aurium, occurrens, videtur filium Iosiae, exemplo auctoris libri Esrae tertii [12], Ἰεχονίαν, neque Ἰωακεὶμ, dixisse, praesertim quum ex hac diligentia nulla orationis ambiguitas, et obscuritas, existere vllo modo posset. Etenim, et nomen patris, et fratrum mentio, lectores, qui non sint rerum Iudaicarum omnium rudes, vel inuitos cogitare de Ioakimo, non de Ioachimo, cogunt. Quo magis etiam mirandum putamus, exortos esse iam olim, qui orationem Euangelistae mutare, atque diffingere, auderent hunc in modum, Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακείμ· Ἰωακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ [13]. Quomodo enim Ioachimo, Ioakimi filio, qui vnum tantum fratrem habuisse perhibetur [14], fratres tribui plures a scriptore diuino recte potuerint? Nonne vero ita existerent inde a Dauide vsque ad exilii Babylonici initia aetates quinque, et decem, quum tamen a Matthaeo earum modo quatuor, et decem, numerentur [15], et vere numerentur? Etsi enim

ipsum esse, quem et Ioakim: secundum autem filium, non patrem: quorum prior per k *et* m, *sequens per* ch *et* n, *scribitur: quod scriptorum vitio, et longitudine temporum, apud Graecos, Latinosque, confusum est.* Conf. Scaliger animaduerss. ad Eufeb. chron. p. 85. a, et p. 87. b: et Vorstius ad Sulpic. Seu. hist. facr. 1, 53. 4.

12. C. 1, 34.

13. Sic legitur in cod. Neapolit. 1., nunc Vindob. 1. Vid. Treschouius tentam. descript. codd. vett. aliquot Graecc. N. F. MSS. pag. 24. Pro Ἰωακεὶμ etiam Grisbachius laudat Ἰακείμ· sed in varr. lectt. exempli Rob. Stephani Lutet. a. 1568. 12. legitur Ἰαχείμ.

14. 1. Parall. 3, 16.

15. Vid. Harquenrotius obseruatt. miscell. Vol. 10. p. 75.

enim Ioachimus tum, quum a Nabuchodonoſoro, Babyloniae rege, exilio affectus eſt, iam maritus fuiſſe legitur [16]: tamen nondum genuerat filium, ita, vt nec Ioakimus dici potuerit γεννῆσαι τὸν Ἰεχονίαν, quum aetas, γενεὰ, ſpatium complectatur, quo natura humana a ſementi revertitur ad ſementim, hoc eſt, quod ab eo tempore, quo quis filium procreauit, pertinet ad tempus illud, quo filius patrem facit, ſuſcepto filio, auum [17]. Quae quidem omnia ſi diligenter conſideraſſent omnes librorum Noui Teſtamenti editores: profecto, neque Henr. Stephanus additamentum illud, quod a Roberto patre in vno codice repertum eſſe ſciret, in ordinem recipere auſus eſſet, neque Eraſmo Schmidio in mentem veniſſet exemplum, et auctoritatem, Stephanorum ita ſequi, vt verba καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ loco ſuo mota, quod Ioakimo tres fuiſſe fratres ſciret [18], poſt nomen τὸν Ἰακεὶμ collocaret [19].

III. Neque vero magis adiuuare voluiſſe videntur Lexicographi ſtudia lectorum Noui Teſtamenti in intellegendis locis commentariorum Euangeliſtarum iis, quibus de Herodis Magni, eiuſque poſterorum, rebus exponitur. Nomen enim

16. 2. Regg. 24, 15.

17. Vid. Cenſorinus D. N. 17. et ibi Lindenbrogius: item Graeuius ad Heſiod. Ἔργ. 162. Sed γενεαὶ Matth. 1, 17. ſunt ipſae γενέσεις, atque adeo Hebraeorum תּוֹלְדוֹת, non הוֹרוֹת, h. e. *ſeries hominum, qui ita ſibi ſucceſſerunt, vt ſecundus ex primo, tertius ex ſecundo, quartus e tertio, natus fuerit:* Caſtalio *genera* dixit, Beza *progenies.* vid., praeter Bezam ad h. l., Perizonius origg. Aegyptt. c. 11. extr.

18. 1. Parall. 3, 15.

19. Vid. Clericus A. C. 3, 1. 16. 35. p. 389. ſ. Vol. 2. Amſtel.

enim Herodis praecipiunt fuisse nomen quorundam Iudaeae regum proprium, et Herodis quidem, cognomine Magni, filios commemorari in libris diuinis tres, Archelaum, patris successorem, Antipan, cuius concubina fuerit Herodias, Philippum, vnumque nepotem, Agrippan, patrem Agrippae minoris, et Berenices, pellicis fratris, atque Drusillae, Felicis, procuratoris Iudaeae, coniugis. Hac autem praeceptionis ratione putamus, non modo celeritatem, studiumque discendi, tironum vehementer retardari, impedirique, quum ista omnia, non vnum in locum coacta, et collecta, immo multis in locis dissipata, et dispersa, velut Absyrti membra, inueniantur, sed nec cupiditatem cognoscendi accurate rem quamque satiari vllo modo, atque expleri, quum sic intellegi plane non possit, qualis fuerit patris, et aui, et proaui, filiorum, et nepotis, et pronepotis, dignitas, quanta potestas. Scilicet Antipater Idumaeus, quem Alexander Iannaeus Idumaeae praeesse iusserat[20], eo mortuo, quum Caesar rerum potitus esset, qui celeritatem viri promtam, et paratam, in rebus agendis satis cognitam haberet, auxiliique constantem praesentiam, in bello maxime Alexandrino, multis modis expertus esset, ab eo Iudaeae praefectus est[21]. Huic quum duo essent filii, Phasaëlus, et Herodes, quorum ille ab Iosepho ὁ πρεσβύτατος[22], etiam ὁ πρεσβύτερος[23], hic ὁ μετ' αὐτὸν[24], appellatur: pater, inertissima segnitie Hyrcani, sacerdotum principis, adductus,

20. Vid. Iosephus Archaeol. 14, 2. p. 418. Basil.

21. Vid. Ioseph. d. l. 14, 14. f. p. 427. 429.

22. 14, 17. p. 430.

23. 14, 19. p. 436.

24. 14, 17. p. 430.

ctus, Phasaëlum vrbi, agroque Hierosolymitano, Herodem, qui nondum ex pueris excessisset, Galilaeae, praefecit [25]. Et Herodes quidem, patre insidiis, et fraude, Malchi cuiusdam sublato [26], Antonii auctoritate, qui, superato in campis Philippicis Cassio, in Asiam primo, deinde in Syriam, venisset, constitutus est vna cum fratre Iudaeae tetrarcha [27]: sed non ita multo post, consulibus Cn., non C., vt in libris Iosephi legitur, Domitio Caluino iterum, et C. Asinio Pollione, hoc est, A. V IↃCCXIII., a senatu Romano, agente in primis eodem Antonio, et nomine, et potestate, regis Iudaeae ornatus est [28], ita quidem, vt Octauianus ei haec ipsa ornamenta, victo ad Actium Antonio, concesserit [29]. Saeculo eius, et Iohannem Baptistam natum esse, et Christum, servatorem salutis hominum optimum, Matthaeus [30], et Lucas [31], memoriae prodiderunt, ita, vt hic quidem eum τὸν βασιλέα τῆς Ἰουδαίας, ille simpliciter τὸν βασιλέα, dixerit. Iosephus autem auctor est [32], Herodem fuisse hominem iracundum, et iniustum, et in omnes aeque crudelem. Quorum quidem vitiorum eius singularem, incredibilemque, magnitudinem loquitur, non modo edicti nefarii nouitas de pueris Bethlehemita-

25. Vid. Ioseph. 14, 17. p. 430. Bas.

26. Ioseph. 14, 19. p. 436.

27. Ioseph. 14, 23. p. 440.

28. Ioseph. 14, 26. p. 444. f. Strabo 16. p. 765. Casaub. Tacitus histt. 5, 9.

29. Ioseph. 15, 10. p. 468. Strabo, et Tacitus, dd. ll.

30. C. 2, 1.

31. C. 1, 5.

32. Archaeol. 17, 10. p. 532. Ἀνὴρ ὠμὸς μὲν εἰς πάντας ὁμοίως, καὶ ὀργῆς μὲν ἥσσων, κρείσσων δὲ τοῦ δικαίου.

mitarum omnibus, qui annum aetatis tertium nondum attigissent, interficiendis [33], quod ab eo propterea legitur esse propositum, vt Christus infans, quem Bethlehemi natum accepisset, necaretur, sed etiam teterrimorum parricidiorum, quae commisit, multitudo. Etsi enim magnum habuit filiorum numerum: eum tamen caedibus impiis ita imminuit, vt superstites patri essent filii tantummodo tres, qui dignitati eius, atque potestati, succedere possent [34], Archelaus, Antipas, et Philippus: quorum hunc e Cleopatra, illos e Malthaca, susceperat. Et Archelao quidem imperator Augustus attribuit partem alteram regni paterni, hoc est, Iudaeam, Idumaeam, Samariam, ita, vt ἐθνάρχης appellaretur, non βασιλεύς· cuius tamen nominis honore ipsum ornatum iri ostenderat Caesar, si quidem virtutes maiestate regia dignas, humanitatem in primis erga ciues, lenitatemque, probasset [35]. Sed quum ausus esset crudelitatem paternam imitari, atque ita persequi, vt eam etiam praeterire velle videretur; quum ciues de hac insolenti importunitate, atque impietate, principis grauissime conquesti essent apud Augustum: hic querelis eorum commotus iussit Archelaum in exilium abire Viennam, Allobrogum, ciuitatis Galliae Transalpinae, vrbem [36], sed Iudaea ipsa orbem Romanum ita auxit, vt esset quaedam

33. Matth. 2, 16. Macrobius Saturnn. 2, 4.

34. Strabo 16. p. 765. Casaub. Τῶν δ' υἱῶν τὰς μὲν αὐτὸς ἀνεῖλεν, ὡς ἐπιβουλεύσαντας αὐτῷ· τὰς δὲ τελευτῶν διαδόχους ἀπέλιπε, μερίδας αὐτοῖς ἀποδούς. v. Ioseph. 16, 17. 17, 3. 7. 9.

35. Vid. Iosephus 17, 13. 15.

36. Vid. Iosephus 17, 15. Strabo d. l.

dam quasi Syriae prouinciae appendix [37]. Hac autem ex re intellegi potest, primum cur Iosephus noluerit cum Maria, et Christo puero, post Herodis Magni mortem, ex Aegypto in Iudaeam redire [38]: verebatur enim, vt pueri vita ab insidiis Archelai, audaciae paternae heredis, satis tuta foret: deinde hunc ipsum Archelaum a Matthaeo βασιλεύειν ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ita dici, vt verbo βασιλεύειν, non regiae potestatis notio, sed omnino imperii potestas, vt verbo ἄρχειν, subiici debeat [39]. Quo quidem in genere etsi Euangelista vsum loquendi Hebraeorum sequutus videtur: tamen ad Graecae quoque rationis normam direxisse orationem existimandus est. Neque enim solum satrapae, et prouinciarum Persicarum praefecti, ab Aeschylo [40] βασιλῆς appellati leguntur, vt decem illi praetores, qui classi Atheniensium in pugna ad Arginusas insulas pugnata praefuere, ab auctore dialogi, qui Axiochus inscribitur [41], sed ipse etiam Archelaus, quem Iosephus fere ἐθνάρχην vocat, ab eodem alicubi βασιλεὺς nominatur [42]. Alteram autem regni Herodis partem Augustus Antipae, atque Philippo, dedit [43]. Et Antipas quidem, Archelai frater, Galilaeam, et Peraeam, ita accepit, vt tetrarchae nomine, et titulo, esset insignis. Idcirco Lucas in commentariis [44] eum τε-

τραρ-

37. Vid. Ioseph. 18, 1.

38. Matth. 2, 22.

39. Vid. Carcinus ad decreta Romm. pro Iudaeis facta p. 158. s. et ad decretum Athenp. pro Hyrcano pag. 391. ff.

40. Perss. 24.

41. C. 12. In libris editis legitur ibi, οἱ πρώην βασιλεῖς καὶ στρατηγοί. Sed nos verba καὶ στρατηγοὶ, vt aduenticia, nuper ex ordine eiicere ausi sumus.

42. Archaeol. 17, 15. p. 545.

43. Vid. Ioseph. 17, 13.

44. C. 3, 1.

τεαρχῆσαι τῆς Γαλιλαίας tradit, et Iosephus [45] eundem τετράρχην Γαλιλαίας, καὶ Περαίας, appellat, quum a Matthaeo [46], etiam a Luca [47], simpliciter ὁ τετράρχης dicatur. Etsi enim hoc vocabulum proprie in eum cadit, qui quartae parti, τετράδι, alicuius regionis praeest: tamen vsus loquendi illud etiam ei addixisse reperitur, qui tertiae, dimidiaeue, alicuius terrae parti imperaret, atque adeo totam aliquam ciuitatem vnus sub imperio haberet [48], ita, vt tetrarchae nomen non minus, quam potestas, nomini, et potestati regiae, propemodum par fuisse intellegatur. Quo minus

45. Archaeol. 18, 9. p. 566.

46. C. 14, 1.

47. C. 3, 19.

48. Sic Thessalia, Philippi Macedonis temporibus, et ante illa, descripta erat in quatuor partes, Θετταλιῶτιν, Φθιῶτιν, Πελασγιῶτιν, Ἑστιαιῶτιν· harum praesides dicebantur τετράρχαι, et ipsae, vel τετράδες, vel τετραρχίαι. v. Strabo 9. p. 430. Casaub., atque ex eo Stephanus Byzantius v. Φθία· et Harpocratio v. τετραρχία, cuius verborum partem aliquam descripsere Suidas, et Phauorinus, v. τετραρχία· sed in Lexico Phauorini pro Ἑστιαιῶτιν perperam scriptum est ἀστιῶτιν. add. Eurip. Alcest. 1154. Etiam Gallograecia diuisa erat olim in tres partes maiores, et harum quaeque in partes quaternas minores, τετραρχίας, quarum quaeque habebat singulos τετράρχας. v. Strabo 12. p. 567.: qui idem ibi refert, sua aetate eidem regioni, primo tres, mox duo, praefuisse, tandem totam cessisse vni Deiotaro, ita scilicet, vt pristina nomina, τετραρχία, et τετράρχης, seruarentur. Deiotarus certe vocatur a Liuio epit. 94. *Gallograeciae tetrarches*, ab Hirtio B. Alex. 67, 1. *Gallograeciae tetrarches paene totius*, et ab Cicerone diu. 1, 15. tribuitur ei *tetrarchia*. Post Deiotarum Mithridati Pergameno *tetrarchia* Gallograecorum a Caesare adiudicata legitur. v. Hirtius B. Alex. 78, 3. et Dio Cas. 42. p. 207. D Leoclau. Conf. Scaliger animaduerss. ad Euseb. chron. p. 178.

minus etiam mirandum eſt, tetrarchas regibus adiungi non raro ab hiſtoricis [49], aliiſque ſcriptoribus [50], antiquis, et veteres grammaticos [51] nomen τετράρχης interpretatos eſſe nomine βασιλεὺς, ipſorum Graecitatis auctorum exemplo. Certe Antipas etiam a Marco [52] ὁ βασιλεὺς nominatur, vt a Dauide in hymno ſecundo [53] מֶלֶךְ, regioneſque imperio eius parentes ab eodem Euangeliſta [54] ἡ βασιλεία, non ἡ τετραρχία, dicuntur. In matrimonio habuit Herodiada, Ariſtobuli, quem Herodes Magnus pater ſtrangulari iuſſerat, filiam, quae nupſerat fratri ipſius, homini obſcuro, et ignobili, quem pater ex Mariamna, Simonis, ſacerdotum Iudaeorum principis, filia, ſuſtulerat, et qui ab Euangeliſtis [55] Philippus, a Ioſepho [56] abſolute Herodes, nuncupatur. Cuius quidem inceſti nefariam turpitudinem quum exprobraſſet tetrarchae Iohannes Baptiſta: amiciſſima hac ſanctiſſimi viri admonitione tantopere exaſperatus eſt animus hominis importuniſſimi, vt eum in vincula coniici, neque ita multo poſt, vt Salomae priuignae gratificaretur, capite plecti inſontem, iuſſerit. Sed haec im-

49. Vid. Salluſtius Catil. 20, 7. et ibi Cortius. coll. c. 10, 1. Cic. off. 2, 8.

50. Vt Cic. pro Milon. 28.

51. Heſychius: Τετράρχαι· βασιλεῖς.

52. C. 6, 14. 22. Sic Deiotarus, Gallograeciae tetrarcha, ab Appiano B. S. p. 221. To. 1. Tol. vocatur ὁ βασιλεὺς, vt a Cicer. diu. 1, 15. *rex*.

53. v. 2. coll. Act. 4, 26. ſ.

54. C. 6, 23. Sic Cicero diu. 1, 15. tetrarchian Deiotari vocat *tetrarchiae regnum*.

55. Matth. 14, 3. Marc. 6, 17. Luc. 3, 19.: quo tamen loco Griſbachius, et Matthaeius, nomen Φιλίππου, optimorum librorum auctoritate, ex ordine, vt interpretamentum, exegerunt.

56. Archaeol. 18, 7. p. 556. ſ.

imperii eius labes, atque macula, multo etiam magis increuit eo, quod Christus, seruator humani generis innocentissimus, quem furor Iudaeorum, eius saeculo, in patibulum egit, indignissimis ab eo contumeliis, ignominiisque, affectus esse perhibetur [57]. Philippo autem, Antipae, et Archelai, fratri, Augustus Batanaean, et Auranitidem, quam vtramque regionem Lucas [58] Ituraeae nomine complexus est, et Trachonitidem, ita tradidit, vt ipse quoque τετράρχης diceretur [59]. Caeterum vt, Philippo mortuo, tetrarchia eius Syriae ab imperatore Tiberio adiecta est [60]: ita Caius Caesar, Germanici, fratris Tiberii, filius, Antipan, qui regnum affectare videretur, exulem, in Galliam primo, deinde in Hispaniam, egit, et tetrarchia eius, etiam Trachonitide, Agrippam, Aristobuli filium, fratrem Herodiadis, donauit [61], quum ei iam antea Abilenen, paruam Coeles Syriae inter Antilibanum, et Damascum, regionem, ab Abilis vrbe ita dictam, qua post Lysaniae, tetrarchae, mortem imperium Romanum auctum erat, concessisset [62]. Cui quidem beneficio magnus sane cumulus, Claudii, successoris Caligulae, liberalitate, accessit. Hic enim Agrippam Iudaeae quo-

57. Luc. 23, 11.

58. C. 3, 1.

59. Vid. Ioseph. 17, 13. Etiam in nummis antiquis vocatur ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ: cuiusmodi nummum illustrauit Fontenu, abbas, commentarr. Academ. inscriptt. Paris. To. 5. p. 270. — 276.

60. Vid. Ioseph. 18, 6. p. 555.

61. Vid. Ioseph. Archaeol. 18, 9. B. I. 2, 16. et ep. Agrippae ad Caium ap. Philonem legat. ad Cai. p. 1037. C Paris.

62. Vid. Scaliger ad Euseb. p. 178. s. et Casaubonus exercitatt. antibaronn. 13, 3. p. 173. ss.

quoque, et Samariae, praeesse iussit [63]. Lucas eum, vel simpliciter Ἡρώδην [64], vel Ἡρώδην τὸν τετράρχην [65], et τὸν βασιλέα [66], nominat, atque refert [67], saeuitum esse in Christianorum familiam, voluntate eius, et iussu, tam acerbe, vt Iacobo Apostolo, Iohannis fratri, caput amputatum sit, et Petrus Apostolus in custodiam traditus. Fuit enim homo, vt aliis vitiis multis, et magnis, obrutus, ita crudelitate singulari praeditus *: cuius tamen crudelitatis eas tandem dedit deo poenas, vt Caesareae, quum interesset ludis, acerrimo ventris dolore, a vermiculis intestina erodentibus excitato, corriperetur, cuius vis continua quinto die post miserrime conficeret annos tres, et quinquaginta, habentem [68]. Reliquit filium eiusdem nominis, filiasque tres, Berenicen, Mariamnen, Drusillam [69]. Et Drusilla quidem Azizi, regis Emesorum primo, deinde Felicis, Iudaeae procuratoris, vxor fuit [70]: sed Berenice nupsit Herodi, patruo suo, cui frater ab imperatore Claudio tetrarchian Chalcidenes, regionis Coeles Syriae, impetrarat, eoque mortuo, Polemoni, Ciliciae regi: quo tamen relicto, non sine graui, magnaque, incesti suspicione, vixit cum Agrippa fratre [71]. Hic enim quum annos quatuor praefuisset Chalcidenae, a Claudio

63. Ioseph. 19, 4.

64. Act. 12, 6. 11. 19. 20. [vbi tamen Grisbachius nomen ὁ Ἡρώδης in exemplo suo induxit] 21.

65. Act. 13, 1.

66. Act. 12, 1.

67. Act. 12, 2. 4.

* Vid. Philo legat. ad Cai. p. 1034. C Paris.

68. Act. 12, 23. Ioseph. 19, 7. p. 603.

69. Ioseph. d. l.

70. Ioseph. 20, 5. p. 616. Act. 24, 24. add. Sueton. Claud. 28. et ibi interpp.

71. Ioseph. 20, 3. 5. Act. 25, 13. 23. 26, 30.

dio tetrarchia Philippi, et Lyſaniae, auctus eſt [72], vitamque produxit ad tertium vſque principatus Traiani annum, et a Nerone, et a Veſpaſiano, multis modis ornatus [73]. Lucas eum in actibus Apoſtolorum [74] βασιλέα appellat. Haec igitur de Herode Magno, eiuſque poſteris, quorum quidem memoriam libri Noui Teſtamenti ſeruarunt, Lexicographi poterant, et vero debebant, ſi conſulere rationibus legentium commentarios Euangeliſtarum voluiſſent, non diſſipata multis in locis, ſed vnum in locum coacta, tradere, ita, vt, praeter Noldii hiſtoriam Idumaeam, aliorum quoque virorum doctiſſimorum, vt Cellarii [75], Deylingii [76], Relandi [77], Palaeandri [78], libros, in quibus res gentis, familiarumque, Herodum plenius, et diligentius, expoſitae, explicataeque, eſſent, laudarent.

V. Neque vero de prouinciis Romanis, earumque rectoribus, quos Noui Teſtamenti ſcriptores commemorant, ita praecipi in Lexicis novimus, vt conſultores eorum videre ſatis, atque iudicare plane, poſſint, quot fuerint prouinciarum genera ſaeculo Caeſarum, et parine, an impari, dignitate, ac poteſtate, praefecti earum praediti fuerint. Etenim ἐπαρχίαν tradunt eſſe *provinciam*, *praefecturam*, ſed ἀνθύπατον *proconſulem*, et

72. Ioſeph. Archaeol. 20, 5. B. I. 2, 21.

73. Vid. Iuſtus Tiberienſis in chronico ap. Phot. cod. 33. p. 8. Hoeſchel. Ioſeph. 20, 5. p. 617. B. I. 2, 22. add. Scaliger ad Euſeb. p. 191.

74. C. 25, 13. 14. 24. 26. 26, 2. 7. 19. 27.

75. diſſertatt. academicc. II. p. 207.—231.

76. obſeruatt. ſacrr. P. 2, 26.

77. Palaeſtin. 1, 30.

78. Tempe Heluet. To. 6. exercit. 4. p. 468.—491.

et ἡγεμόνα *praesidem*, vocant, atque adeo ἡγεμονεύειν docent significare *praesidere*, *praeesse*, *procuratoris munus obire*. Ergone Quirinus, et Pontius Pilatus, idem habuere imperium, eandem potestatem? Et Syria, atque Iudaea, fuerunt eiusdem generis prouinciae? Scilicet prouinciae, hoc est, regiones extra Italiam, quae redactae in ditionem populi Romani erant, quas Graeci scriptores, vel ἐπαρχίας, vel ἡγεμονίας, appellant, libera quidem republica, in duo descriptae genera erant: aliae consulares, ὑπατικαὶ, aliae praetoriae, στρατηγικαὶ, dicebantur. Et in consulares quidem prouincias, quae plerumque maiores caeteris erant, ita, vt in iis etiam exercitus alerentur, mittebantur fere cotannis cum imperio ii, qui consulatum in vrbe gessissent, sed in praetorias hi, qui Romae functi praetura fuissent. Vtrique, et proconsules, ἀνθύπατοι, et propraetores, ἀντιστράτηγοι, quorum tamen vocabula interdum etiam ab diligentissimis scriptoribus inter se commutata leguntur [79], communem habebant, et iurisdictionem, vt conuentus agerent, in conuentibus ius dicerent, iudicia exercerent, et imperium, quod iure vitae, et necis, continebatur: sed proconsulibus etiam rei militaris potestas erat permissa, vt exercitibus praeessent, atque bella gererent [80]: quo imperii genere caruisse propraetores, vel ex eo intellegi licet, quod nulli alebantur in prouinciis prae-

79. Vid. Manutius ad Cic. 1. ad diuu. ep. 1. init. et Franc. Fabricius ad Cic. p. Ligar. 1.

80. Q. Metellus ap. Cic. 5. ad diuu. ep. 1, 3. *Itaque in luctu, et squalore, sum, qui prouinciae, qui exercitui, praesum, qui bellum gero*: h. e. ego proconsul.

praetoriis exercitus. Augustus autem quum rerum potitus esset: visum ei est, vt alia ciuitatis instituta, atque mores pristinos, ita prouinciarum quoque rationem veterem, mutare. Diuisit enim illas in duo genera, ita, vt aliae essent senatoriae, quae non differrent a praetoriis, aliae Caesareae, quae consularibus responderent. Et senatui quidem, populoque Romano, attribuit, Dione Cassio auctore [81], a quo nec Strabo [82] magnopere dissentit, prouincias has, Africam [83], Numidiam, Asiam, Graeciam cum Epiro, Macedoniam, Siciliam, Cretam, Cyrenaicam, Bithyniam cum Ponto finitimo, Sardiniam, Hispaniam Baeticam [84], Galliam Narbonensem, Cyprum: sed suas esse voluit regiones istas, Hispaniam Tarraconensem, et Lusitaniam, Galliam Lugdunensem, et Aquitaniam, et Celticam, cum Celtarum coloniis, Dalmatiam, Coelen Syriam, Phoenicen, Ciliciam, Aegyptum, easque omnes, quae postea accessissent orbi Romano: ita tamen, vt nonnullas commutauerit interdum [85]. Missi autem in vtriusque generis prouincias sunt senatoriae viri dignitatis, ita, vt ii, qui prouinciis populi praeessent, potestatem haberent potestati propraetorum veterum parem, dicerenturque *proconsules* [86], ἀνθύπατοι· sed prouinciarum Caesaris rectores praediti essent imperio eodem, quod proconsules temporibus liberae reipublicae habuis-

81. lib. 53. p. 503. f. Leoclau.

82. lib. 17. extr. p. 840. Casaub.

83. Vid. Gellius 5, 14.

84. Vid. Strabo 3. p. 166.

85. Vid. Sueton. Aug. 47. et Dio Caf. d. l. p. 504. A.

86. Sic ap. Gellium 5, 14. Androclus, seruus, ostendit, dominum suum Africam *proconsulari imperio* obtinuisse.

buissent, et *legati Caesaris*, *legati* [87], πρεσβευταὶ, etiam *propraetores*, ἀντιστράτηγοι, appellarentur, praeter Aegypti praesidem, qui erat eques Romanus [88], et *praefectus* [89], ἔπαρχος, vel ὕπαρχος, nominabatur. Qui vero reditus Caesaris curabant in prouinciis, quae cura, vel equestris dignitatis viris, vel hominibus libertinae conditionis, mandabatur, ii *procuratores*, ἐπίτροποι, et διοικηταὶ [90], dicebantur, ita tamen, vt nonnulli eorum in minoribus quidem prouinciis, quae essent quaedam quasi maiorum prouinciarum appendices, imperio proconsulari praediti essent, hoc est, et iudicia facerent, et ius vitae, necisque, in prouinciales haberent: qualis prouincia fuit Iudaea, quam Iosephus [91] diserte προσθήκην τῆς Συρίας vocat. Atque ex hactenus disputatis, neminem facile futurum speramus, qui non plane intellegat, primum ἡγεμόνας, ad quorum tribunalia Christus praedixit [92] Apostolos abductum iri ab aduersariis, et quorum imperio parendum esse Petrus Apostolus praecipit [93], tria illa magistratuum prouincialium genera esse: sed Pontium Pilatum, et Felicem, et Porcium Festum, Felicis successo-

 rem,

87. Plin. H. N. 26, 1. Gron. 3. Harduin. Manilium Cornutum e praetoriis vocat *legatum* Aquitanicae prouinciae.

88. Vid. Dio Cas. d. l. p. 504. C.

89. Vid. Gruterus Inscriptt. p. 113, 1. Reinesius Inscriptt. Cl. 6. n. 123. Sen. Consol. ad Helu. 17. et QQ NN. 4, 2. p. 750. To. 2. Gron.: Sueton. Vespas. 6.: Plin. H. N. 5, 9. Gron. 10. Hard.: 6, 30. Gron. 35. Hard.: 19. praefat. et ib. c. 1. Gron. 2. Hard. Iulius Lupus legitur *in praefectura Aegypti* obiisse.

90. Vid. Valesius emendatt. 2, 20.

91. Archaeol. 18, 1. pag. 547.

92. Matth. 10, 18. Marc. 13, 9. Luc. 21, 12.

93. 1. ep. 2, 14.

rem, ἡγεμόνας ita esse dictos ab Euangelistis [94], vt eos etiam ἐπιτρόπες [95] appellare potuissent, nisi exposuissent de caussis iudicialibus, quarum cognitio ad eos, tanquam magistratus prouinciales, pertineret: deinde Sergium Paulum, Cypri praesidem, ἀνθύπατον, et Asiae rectores ἀνθυπάτες, in Apostolorum actibus [96] nominari, quod Asia, et Cyprus, tum fuerint prouinciae senatus, populique Romani: denique formulas ἡγεμονεύειν τῆς Συρίας, et ἡγεμονεύειν τῆς Ἰεδαίας, in commentariis Lucae [97] de Quirino, et Pontio Pilato, ita positas legi, vt haec sit *procuratorem Iudaeae esse*, ἐπιτροπεύειν τῆς Ἰεδαίας [98], illa *legatum Caesaris Syriae esse* [99]. Haec igitur praeceptionis ratio quis dubitet quin studia lectorum Noui Testa-

94. Matth. 27, 2. 11. 14. 15. 21. 23. 27. 28, 14. Luc. 20, 20. Act. 23, 24. 26. 33. 34. 24, 1. 10. 26, 30.

95. Sic Pontius Pilatus ap. Philon. legat. ad Cai. pag. 1033. E dicitur ἐπίτροπος τῆς Ἰεδαίας· vt a Tacito Ann. 15, 44. *procurator*. Etiam ap. Iosephum B. I. 2, 14. p. 731. Pilatus legitur missus esse a Tiberio in Iudaeam ἐπίτροπος, et Archaeol. 20, 2. extr. p. 613. Cuspio Fado tribuitur ἐπιτροπή.

96. C. 13, 7. 8. 12. 19, 38.

97. C. 2, 2. 3, 1.: vbi pro ἡγεμονεύοντος cod. Cantabrig. Bezae legit ἐπιτροπεύοντος. nam in versione Latina vetere est *procurante Pontio Pilato Iudaeam*. At Lucas quoque loco illo loquitur de Pilato, vt magistratu: etsi non ignoro, verbum ἐπιτροπεύειν omnino de iis, qui regioni alicui praefecti sunt, poni. vid. Herodo. 7, 7.

98. Ioseph. Archaeol. 20, 5. p. 616. Καθ᾽ ὃν καιρὸν τῆς Ἰεδαίας ἐπετρόπευσε Φῆλιξ.

99. Ap. Muratorium Inscriptt. p. 670. 1. P. Sulpitius Quirinus vocatur *Legatus Caesaris Syriae*: quem titulum peculiari libello illustrauit Pe. Vesselingius Trai. ad Rhenum A. C. CIƆIƆCCXLV. quaternis. Sed Cestius vocatur simpliciter *legatus Syriae* a Suetonio Vespas. 4. Vid. supra not. 87.

ſtamenti liberalium plus adiutura ſit, magiſque, vel excitatura, vel incitatura, illa, quam Lexicographi ad vnum omnes ſequuti ſunt? Patefacit enim vim, et poteſtatem, verborum Graecorum ita, vt, non modo imagines rerum plenae, expreſſaeque, animis concipi poſſint, ſed etiam intellegatur, quam diligenter conſectanda ſit in explicandis verbis, formuliſque, Graecis proprietas, et perſpicuitas, orationis Latinae, et quantum praeſidii ad interpretandos Euangeliſtarum maxime commentarios peti poſſit, et vero debeat, ab accurata inſtitutorum ciuitatis Romanae illorum temporum cognitione. Sed reliqua huius vitii Lexicorum exempla alio a nobis tempore, deo volente, exponentur.

V. Quum enim deus, quae eſt incredibilis eius, et cogitatione mortalium omni maior, benignitas, ſcholam noſtram cum omnibus illius praeſidibus, et curatoribus, euergetis, et fautoribus, etiam hoc anno ſaluam, incolumemque, praeſtiterit, ita, vt ſtudiis, et magiſtrorum, et diſcipulorum, numine ſemper adfuerit ſuo: agite, collegae amantiſſimi, conueniemus vna cum alumnis ſcholae publicis cras, ex voluntate, et inſtituto, maiorum, in auditorium claſſicum, atque beneficia nobis a deo tributa ita praedicabimus, vt animi grati ſenſus etiam hymnis canendis expromamus. Sed huic beneficiorum diuinorum praedicationi preces quoque ardentiſſimas adiungemus, quibus petamus a deo, velit etiam futuro anno ſcholam Thomanam, patronos eius ampliſſimos, et in his conſulem maxime, virum praeſtantia do-

ctrinae non magis, quam meritorum in remp. multitudine, illustrem, grauissimos item curatores, et fautores beneficentissimos, magistros denique, et discipulos, omnes, cum vniuersa ciuitate, academiaque, Lipsiensi, prouidentia sua, et liberalitate, omni in genere, complecti. Qua quidem in re parebimus ipsius dei auctoritati, atque praecepta sequemur. Is enim se nobis quoque omnia nostri vitae generis adiumenta, atque ornamenta, tributurum esse pollicitus est, sed ita pollicitus est, vt huius benignitatis suae fontes aperiri a nobis precum sanctitate, atque ardore, iusserit. Atque *de* hac *deum precibus adeundi omnibus in rebus*, *et negotiis*, *et studiis*, *necessitate* verba Latine faciet, audientibus nobis, alumnus scholae publicus, IOH. FRIDER IAC. RICOBACIVS, *Monra Thuringus*, adulescens nobis ob studia omnis honestatis, et doctrinae liberalis, in primis probatus: cuius oratiunculae vt interesse cras, hora quinta vespertina, fauentes velitis, vehementer a vobis, collegae optimi, etiam atque etiam, et ita, peto, vt deum precer ardentissime, velit vos, pro benignitate sua incredibili, etiam posthac secundissimo vitae cursu vti iubere, et ab capitibus vestris defendere, vt omnes casus graues, acerbosque, ita maxime similes ei, quo me nostis nuper esse perculsum. Nam necdum eluxi Ludouicam Carolinam Elisabetham, filiolam meam natu minimam, meique amantissimam, bonae puellam indolis, admodumque festiuam, et lepidam, semper laetam, et hilarem, nunquam tristem: cuius obitu insperato rerum humanarum, terrenarumque, contemtio, caelestium,

laeſtium, et diuinarum, appetitio, vehementer eſt in animo meo, et confirmata, et aucta. Hanc vero fortitudinem deus mihi per omnem vitam ita conſeruet, vt animum meum vinculis corporis ſolutum proficiſci in ea loca iubeat, vbi ipſe vna cum animo Carolinae meae gaudiis liquidis, et aeternis, Chriſti, filii ipſius, ſeruatoris noſtri optimi maximi, cauſſa, cumuletur! Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. III. Kal. Ianuarias A. C. CIƆIƆCCLXXXIII

PROLVSIO VNDEVICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN NEGLEGENTIA IN EXPLICANDIS LOCORVM MENSVRARVM NVMORVM VOCABVLIS ETIAM PROVERBIIS PARABOLIS ALLEGORIIS ET IN PRAETERMITTENDIS CAVSSIS INSTITVTORVM VETERVM

Q. B. V

Ostendimus nuper, nos alio tempore aliis quibusdam verborum exemplis, et iis quidem claris, et illustribus, patefacturos esse Lexicographorum Noui Testamenti, siue inertiam, siue neglegentiam, in demonstranda, atque explicanda, ipsarum rerum natura, et ratione. Multarum enim rerum species, atque formas, non expresserunt isti homines, sed ita adumbrauere, vt, neque agnosci a lectoribus sacrorum librorum, neque ab aliis eiusdem generis rebus dignosci, possent: multis rebus tribuere ea ausi sunt, quae, neque tributa illis esse, neque tribui vllo

vllo modo potuisse, ab scriptoribus diuinis, facile appareret: de multis institutis, et moribus, ciuitatum priscarum recte quidem, sed ita tamen, praeceperunt, vt caussas eorum, et rationes, aut nullas, aut certe vanas, attulerint. His igitur promissis nostris conabimur nunc fidem ita praestare, vt etiam finem faciamus quaestioni, et disputationi, de primo vitiorum Lexicorum Noui Testamenti genere: quorum vitiorum demonstrauimus eam esse vim, atque naturam, vt operam eorum, et studia, qui intellegere libros diuinos vellent, non incitarent, et adiuuarent, immo ita impedirent, ac retardarent, vt assequi propositum nullo vnquam modo possent.

II. In commentariis igitur Euangelistarum [1] commemoratur locus quidam, cuius vocabulum in optimis codicibus Βηθσαϊδὰ, in multis Matthaei, et Lucae, libris Βηθσαϊδὰν, scriptum legitur. Sed haec posterior eius scriptura, quis dubitet, quin librariorum, vel ipsorum potius grammaticorum, errori debeatur, qui ex aliis euangeliorum locis [2] quartum casum pro quinto, et secundo, substituerint? Certe priorem illam doctissimi quoque grammatici [3], et interpretes

 sacro-

1. Matth. 11, 21. Marc. 6, 45. 8, 22. Luc. 9, 10. 10, 13. Ioh. 1, 45. 12, 21.: quo tamen loco verba τῶ ἀπὸ Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας Millio Prolegg. N. T. f. 912. glossema esse videbantur, e c. 1, 45. huc translatum.

2. Marc. 6, 45. 8, 22.

3. Suidas: Βηθσαϊδά· ὄνομα πόλεως. Hieronymus in opusculo Eusebii de locis Hebraicis Scr. S. Latine a se conuerso p. 126. a To. 4. Froben.: *Betzaida, ciuitas est Galilaeae, Andreae, Petri, et Philippi, Apostolorum, prope stagnum Genesareth.* Verba ipsius Eusebii haec sunt, Βηθσαϊδά· πόλις Ἀνδρέȣ, καὶ Πέτρȣ, καὶ Φιλίππȣ· κεῖται δὲ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ

τῇ

ſacrorum librorum praeſtantiſſimi, vt Latinus, Syrus, aliique, ſequuti reperiuntur, ita, vt editores eorum nuperi non debuiſſent dubitare, in commentariis Matthaei pro Βηθσαϊδὰν in ordinem recipere Βηθσαϊδά. Etenim doctam hanc, accuratamque, veterum diligentiam abunde loquitur, et approbat, ipſa nominis loci origo. Neque enim ab Hebraeis בֵּית צָדָה, aut בֵּית זַיִת, dictus eſt, vt grammatici quidam Hebraice indocti opinati ſunt [4], ſed בֵּית צֵידָה, idque propterea, quod eſſet ſedes, et domicilium, hoc eſt, vicus, opidum, piſcatorium, cuius ciuium, et incolarum, pars maxima vitam piſcatu toleraret [5]. Habuit autem orbis Iudaeorum duo huius nominis vicos, qui, et aedium multitudine, et incolarum frequentia, formam, et ſpeciem, opidorum referrent. Et alter quidem eorum, qui, et κώμη [6], et πόλις [7], hoc eſt, κωμόπολις [8], ab Euangeliſtis appellatur, in Galilaea inferiore propter litus occidentale lacus, quem veterum plures Geneſaram vocarunt [9], poſitus fuit, non modo crebritate, et magnitudine, miraculorum Chriſti,

τῇ πρὸς τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ· opp. Hieronymi To. 2. p. 421. Martian. To. 3. p. 181. Vallarſ.

4. Gloſſar. N. T. Fabric. p. 2. Βηθσαϊδά· οἶκος ἐπισιτισμοῦ, ἢ ἐλαίας· vbi v. Albertius. Hieronymus de nominn. Hebrr. p. 89. To. 3. Vallarſ. *Betſaida, domus frugum, vel domus venatorum.*

5. Vid. Relandus Palaeſt. 3. p. 653. Trai.

6. Marc. 8, 23. 26. coll. v. 22.

7. Ioh. 1, 45. Matth. 11, 21. coll. v. 20. Sic Bethlehemum Lucas c. 2, 4. vocat πόλιν, ſed Iohannes c. 7, 42. κώμην· vt Modin 1. Macc. 2, 15. dicitur πόλις, ſed a Ioſepho Archaeol. 12, 8. p. 366. Baſil. B.I. 1, 1. p. 660. κώμη.

8. Marc. 1, 38.

9. Plinius H. N. 5, 15. Gron. et Harduin.

Christi, sed etiam nomine, et munere, Petri, et Andreae, et Philippi, Apostolorum, qui ibi nati esse, et habitasse, leguntur [11], nobilitatus, et illustratus. Etenim ab Iohanne diserte dicitur [12] Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας, neque tantum aliis opidis annumeratur a Matthaeo [13], et Luca [14], quae litori Genesarae occidentali adiacuisse inter omnes constat, sed Apostoli quoque, quum a litore eiusdem lacus orientali nauicula reuecti cum Christo in Galilaeam inferiorem perhibentur, vel ad Bethsaidan, vel ad Capernauma, appulisse, et in terram exiisse, dicuntur [15], ita, vt satis appareat, Bethsaidan fuisse opidum, quod non longe Capernaumis distaret. Sed quum Iohannes ostenderit, Bethsaidan, Philippi patriam, fuisse Galilaeae opidum: quis hac cura eius, et diligentia, non adducatur, vt statuat, praeter istud opidum fuisse aliud eiusdem nominis opidum in Iudaea situm? Solet enim optimus quisque, et diligentissimus, scriptor hanc tenere in narrando rationem, vt, si duo, pluraue, sciant haberi loca, quae sint eodem nomine insignia, ea inter se ita distinguant, vt vocabula regionum, in quibus sita sint, adiiciant, nisi quidem res ipsa, et narrationis series, eorum quemque ita notent, vt discerni ab reliquis possit. Et Iosephus sane in Archaeologiae Iudaicae libris [16] commemorat

10. Matth. 11, 20. s. Luc. 10, 13.

11. Vid. Ioh. 1, 45. 12, 21. coll. Matth. 4, 18.

12. C. 12, 21.

13. C. 11, 21. 23.

14. C. 10, 13. 15.

15. Marc. 6, 45. Ioh. 6, 17.

16. 18, 3. p. 549. Basil. Φίλιππος δὲ — κώμην δὲ Βηθσαϊδὰν, πρὸς λίμνη δὲ τῇ Γεννησαρίτιδι [leg. πρὸς λίμνῃ τῇ Γ.], πόλεως παρασχὼν ἀξίωμα, πλήθει τε οἰκη-

rat Bethſaidan, vicum, in Gaulanitide inferiore ad orientale Geneſarae litus poſitum, quem Philippus, tetrarcha, incolis ita auxerit, vt in opidis numeraretur, et, mutato vocabulo priſtino, Iulias, in honorem Iuliae, imperatoris Auguſti filiae, appellaretur. Hoc autem ipſum opidum a Luca in commentariis [17] laudari, non difficile eſſe putamus ita docere, vt ab omnibus facile intellegatur. Nam quum Ieſus accepiſſet nuntium de Iohanne Baptiſta iuſſu Herodis Antipae interfecto; quum etiam Apoſtoli expoſuiſſent, quomodo officia, et partes, adhuc egiſſent ſuas: profectus cum illis naui de litore Geneſarae occidentali ad orientale, petiit ſolitudinem quandam, quae prope Bethſaidan opidum erat. Ibi quum famem fere quinque millium Iudaeorum, qui ipſum illuc ſiti doctrinae diuinae compulſi perſequuti erant, quinque panibus hordeaceis, et piſciculis duobus, ſedaſſet: auctor extitit Apoſtolis, vt lacum traiicerent, oſtendens, ſe eſſe ipſos ſequuturum, ſimulac Iudaeorum turbam dimiſiſſet. Apoſtoli parent auctoritati magiſtri: magiſter ipſe, quum nauicula iam eſſet in alto, et fluctibus, propter ventorum furorem, huc

οἰκητόρων, καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει, Ἰȣλίᾳ, θυγατρὶ τῇ Καίσαρος, ὁμώνυμον ἐκάλεσεν. B. I. 2, 13. p. 730. ſ. Ὁ μὲν [*Philippus*] πρὸς ταῖς Ἰορδάνȣ πηγαῖς ἐν Πανεάδι πόλιν κτίζει Καισάρειαν, κἀν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ Ἰȣλιάδα. Reliquos Ioſephi eam in rem locos collegit Vetſtenius ad Matth. 11, 21.: qui tamen Bethſaidan Galilaeae, et Bethſaidan Gaulanitidis, inter ſe confudit. Plinius H. N. 5, 15. Gron. et Harduin. *in lacum ſe fundit* [Iordanis amnis], *quem plures Geneſaram vocant — amoenis circumſeptum oppidis: ab oriente, Iuliade —*.

17. C. 9, 10. coll. Matth. 14, 13. Marc. 6, 32. Ioh. 6, 1.

huc illuc iactaretur, tendit per vndas ad Apostolos, ita, vt statim, vt nauiculam conscendisset, et venti ponerent, et fluctus sedarentur, adeo, vt discipuli cum magistro salui, et incolumes, ad litus aduersum peruenerint, et prope Capernauma, atque Bethsaidan, in terram exierint [18]. Hic vero Christi, et Apostolorum, cursus, quis est, quem non doceat, duo opida, quibus commune vocabulum esset, in Iudaea fuisse posita, alterum in Galilaea, alterum in Gaulanitide? praesertim quum Euangelistae de isto cursu iis vtantur verbis [19], quae neminem dubitare vllo modo patiantur, quin Apostoli ab vno litore Genesarae sint ad alterum profecti. Lucas enim ne alterum opidum, quod in Gaulanitide situm erat, Iuliada nominaret, etiam eo prohiberi potuit, quod sciret, vetus loci nomen esse vulgo Iudaeorum notius nouo. Quae quum ita sint, quis non recte desideret diligentiam Lexicographorum Noui Testamenti, qui lectoribus eius persuadere conati sint, primum, Bethsaidan fuisse vrbem, deinde, commemorari ab Euangelistis vnum tantummodo huius nominis opidulum, ita, vt

18. Vid. Matth. 14, 12. — 34. Marc. 6, 30. — 53. Luc. 9, 10. — 17. Ioh. 6, 1. — 21.

19. Matth. 14, 22. προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν· v. 24. τὸ δὲ πλοῖον ἤδη μέσον τῆς θαλάσσης ἦν· v. 34. διαπεράσαντες, ἦλθον εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ. Marc. 6, 45. προάγειν εἰς τὸ πέραν· v. 47. ἦν τὸ πλοῖον ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης· v. 53. διαπεράσαντες, ἦλθον ἐπὶ τὴν γῆν Γεννησαρέτ. Ioh. 6, 1. ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος· v. 17. ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς Καπερναοὺμ· v. 19. ἐληλακότες οὖν ὡς σταδίους εἰκοσιπέντε, ἢ τριάκοντα —. Nam Genesara lacus fuit latus stadia quadraginta, auctore Iosepho B. I. 3, 35. p. 791. Basil,

vt plerique illud Galilaeae, quidam, vt Stocquius, praeeunte Ligtfotio, Gaulanitidi, attribuerint?

III. Sed nec mensurarum, et numorum, qui in euangeliis laudantur, omnium vocabula iidem homines ita explicant, vt, quantus fuerit mensurae cuiusque modus, quantum numi cuiusque pretium, existimari satis possit. Et vasa quidem aquaria, quae Canae, Galilaeae inferioris vico, vbi Christus in coena quadam nuptiali aquam conuertisse in vinum legitur, Iohanne auctore [20], cum ad manus conuiuarum, lectosque tricliniares, abluendos, tum ad eluenda vasa potoria, et escaria, ornata steterunt, idem Euangelista tradit ea fuisse amplitudine, vt singula ceperint binas, ternasue, metretas. Μετρητὴν autem Simonius docet fuisse genus quoddam mensurae liquidorum, quod vulgo *amphora* diceretur. Certe Stocquius, et alii, *amphoram*, etiam *cadum*, vocant, sed quam intellegi amphoram velint, Romanam, an Atticam, non addunt. Nam Romanae quidem amphorae, quae alio verbo *quadrantal* appellatur, eum fuisse modum constat, vt duodequinquaginta sextarios Romanos ceperit [21]: de quo genere amphorae locum Iohannis accepisse interpres Syrus, qui μετρητὰς nominat ܩܢܛܪܐ, videtur. Sed amphorae Atticae ea fuit capacitas, vt, ex Eisenschmidii quidem ratione, duo, et septuaginta, sextarios, siue congios duodecim, Atticos, continuerit:

20. C. 2, 6. coll. Marc. 7, 4.

21. Festus pag. 160. Gothofr. *Quadrantal vocabant antiqui, quam ex Graeco amphoram dicunt, quod vas pedis quadrati octo et XL. capit sextarios* add. p. 389.

nuerit: quam amphoram significari ab Iohanne vocabulo *μετρητὴς*, Schoetgenius, et alii, Casp. Vaserum [22] maxime ducem sequuti, praeceperunt. Iam etsi non ignoramus, amphoram Atticam a probis, idoneisque, scriptoribus, et *κάδον*, et *μετρητὴν*, dictam reperiri [23]: etsi putamus, dubitari recte non posse, quin metretae Atticorum, et Hebraeorum mensurae, quae בַּת vocatur, vna fuerit, eademque, amplitudo [24]: tamen facile assentimur Grotio, Ligtfotio, et aliis, qui Euangelistam, non de Atticorum amphoris, sed de bathis Iudaeorum, cogitasse existimant. Iudaeos enim illorum temporum, qui Graece loquerentur, aut scriberent, nomen Hebraeum בַּת Graeco vocabulo *μετρητὴς* reddidisse, quis neget, quum Alexandrini quoque Iudaei, a quibus libri, qui Chronici vocantur, ex Hebraeo in Graecum conuersi sunt, bathos, non solum *μέτρα* [25], sed etiam *μετρητὰς* [26], dixisse inveniantur? Sed nec eius numi pretium, quem Matthaeus [27], et Marcus [28], Latino nomine *κοδράντην* appellarunt, quo vocabulo etiam Talmudicos

22. In de antiquis mensuris Hebraeorum 3, 5.

23. Vid. Pollux 10, 70. s.

24. Iosephus Archaeol. 8, 2. p. 231. Basil. Ὁ δὲ βάδος δύναται χωρῆσαι ξέςας ἑβδομήκοντα, καὶ δύο. Quae quidem verba Iosephi Vaserus d. l. 3, 4. p. 109. accipi de sextariis Romanis iubet.

25. 2. Parall. 2, 10. Neque aliter *metra* dixit Iuuencus hist. euang. 2, 140. s. *Sex illic fuerant saxis praepulcra cauatis Vascula, quae ternis aperirent ilia metris.* Ita enim locus legitur in vetustissimis, optimisque, exemplis. Fabricius edidit, *ora metretis*: Reuschius, *ilia metretis*. sine caussa.

26. 2. Parall. 4, 5. Etiam 1. Regg. 7, 26. in nonnullis versionis Latinae veteris exemplis pro בַּת legitur *metretas*, quum alia exempla habeant *batos*, vt Sym. v. 38. *βάτȣς*.

27. C. 5, 26.

28. C. 12, 42.

dicos scriptores vsos esse videmus, ita definiuere Lexicographi Noui Testamenti, vt internosci ab omnibus aliis numis posset. Cuius tamen neglegentiae venia illis eo magis danda esse videtur, quo certius est, veteres iam grammaticos, et sacrorum librorum interpretes, eadem in re valde haesisse [29]. Nam quoniam quarta assis pars a Romanis simpliciter *quadrans* dicta est, vt ab Atticis quarta pars oboli τεταϱτημόϱιον [30]. Suartius, et alii, κοδϱάντην in libris diuinis significare tradunt numum, qui pondere, et pretio, par fuerit quartae parti assis Romani, semuncialis puta. huius enim generis assibus, non aliis, Romanos tum vsos fuisse nouimus. Nobis vero ea de re ita praecipiendum fuisse videtur. Constat enim, Iudaeos illius aetatis linguam suam multis verbis barbaris sic auxisse, vt iis etiam aliam potestatem, alium significatum, tribuerint, et verba λεπτὰ δύο, quibus Marcus [31] nomen κοδϱάντης, interpretationis caussa, adiecit, abunde declarant, numum istum ita quadrantem vocari, vt cum asse Iudaeorum, non Romanorum, comparetur. Iudaici autem scriptores [32] denario quidem dant, vt Attici drachmae [33], sex obolos [מָעִין]: sed obolum, qui ab Atticis chalcis

29. Vid. Meursius, et Cangius, Glossar. v. κοδϱάντης· Gronouius Mantis. pec. vet. p. 437. ss. et Albertius ad Hesych. p. 568. To. 1.

30. Vid. Harpocratio, Etymol. M. Suidas, et ex Etymol. M., Phauorinus, v. τεταρτημόριον.

31. C. 12, 42. add. Luc. 21, 2. Hesychius, et Suidas: Κοδϱάντης· — δύο λεπτά.

32. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. אִיסָּר, in primisque Relandus diss. 5. de numis Samaritt. p. 189. ss.

33. Vid. Plinius H. N. 21, 34. Pollux 8, 39. 9, 60.

cis octo aestimatus est [34], valuisse tradunt quatuor assarios [אִיסָּרִין], siue dupondium [שְׁנֵי פּוּנְדְּיוֹנִין], ita, vt assarii singuli octonis constiterint numulis aeneis aliis, quorum quisque dictus sit פְּרוּטָה [35]. Vt igitur as Iudaicus pondere, et pretio, respondisse intellegitur assi Romanorum semunciali fere dimidio: ita quadrantem eius quis non videt chalcum Atticum dimidium, hoc est, duo λεπτὰ, aequiparasse? praesertim quum certissimum sit, vt Relandus [36] iam praeclare vidit, Euangelistas vocabulo Graeco λεπτὸν Hebraeum פְּרוּטָה reddidisse [37]. Et quum res ipsa non minus, quam consilium, quod Christus sequutus est in sermonibus, quos Euangelistae literis mandarunt, doceat, formulas ἀποδιδόναι τὸν ἔσχατον κοδράντην [38], et τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδιδόναι [39], in vita tum apud Iudaeos communi vsurpatas esse de iis debitoribus, qui omne omnino debitum soluerent, qui creditoribus ad assem satisfacerent: sane perspicuum est, atque euidens, primum Lucan [40], qui pro τὸν ἔσχατον κοδράντην scripsit τὸ ἔσχατον λεπτὸν, Marco [41], qui κοδράντην ait valuisse δύο λεπτὰ, non repugnare, sed errasse eos grammaticos, qui praeceperint, κοδράν-

34. Vid. Harpocratio, et Etymol. M., v. τεταρτημόριον· Pollux 9, 65. 67.

35. Vid. Bochartus Hieroz. 2, 1. 23. pag. 157. s. To. 2.

36. d. l. pag. 194. Sic χαλκοῖ a Polluce 9, 92. dicuntur fuisse νομισμάτιον λεπτόν.

37. Errant igitur ii, qui docent, ἀσσάριον, et λεπτὸν, esse vocabula idem declarantia. v. cod. Coislin. 195. ap. Albertium in Glossar. N. T. Fabric. p. 204.

38. Matth. 5, 26. coll. c. 18, 34.

39. Luc. 12, 59.

40. d. l.

41. C. 12, 42.

δράντην, et λεπτὸν, esse vnius, eiusdemque, numi vocabula [42]: deinde Euangelistas verbo ἔσχατον non eam tribuisse potestatem, vt τὸ ἔσχατον λεπτὸν, et ὁ ἔσχατος κοδράντης, esset *quadrans chalci*, *quadrans assarii*, *vltimae pensionis*, vt interpretari haec verba Gronouio [43] placuit.

IIII. Iam porro Lexicographi Noui Testamenti tradunt, et recte tradunt, spatium noctis naturalis, ab occasu solis pertinens ad eius ortum, Christi, et Apostolorum, aetate, etiam apud Iudaeos descriptum fuisse in partes quatuor aequales, quarum quaeque ternas complecteretur horas. Nam vt in Lucae commentariis [44] vigiliae secundae, et tertiae, memoria conseruata extat: ita quarta vigilia diserte laudatur a Matthaeo [45], et Marco [46]. Et Marcus [47] quidem qua-

42. Lex. Origen. p. 217. Κοδράντης· λεπτὸν ἕν, τὸ λεγόμενον νεμίον. add. Cangius Glossar. v. λεπτόν. Sed huius erroris fontes fuisse videntur Glossaria N. T., quorum auctores ad nomen κοδράντην adscripserint nomen λεπτὸν, non vt docerent, κοδράντην, et λεπτὸν, esse vnum, eundemque, numum, sed vt significarent, in verbis Matthaei [c. 5, 26.], et Lucae [c. 12, 59.], nomina κοδράντην, et λεπτὸν, idem valere. Glossar. Fabric. p. 13. Κοδράντην· λεπτόν· vbi v. Albertius. Hesychius: Κοδράντης· — λεπτόν. Certe sic etiam eiusdem Hesychii, et Suidae, verba, Κοδράντης· τὸ πᾶν, intellegi debent: h. e. τὸν ἔσχατον κοδράντην Matth. 5, 26. idem est, quod πᾶν τὸ ὀφειλόμενον Matth. 18, 34.

43. Mantis. pec. vet. pag. 437.

44. C. 12, 38.

45. C. 14, 25.

46. C. 6, 48.: quo loco, vt Matth. 14, 25., nomini φυλακὴ subiunctum est nomen τῆς νυκτὸς, quia Hebraei dixere אַשְׁמוּרָה בַּלַּיְלָה. vid. Ps. 90, 4.: vbi οἱ ὁ habent φυλακὴ ἐν νυκτὶ, h. e. ἡ ἐν νυκτὶ s. τῆς νυκτός. Sic apud Herodo. 9, 51. est τῆς νυκτὸς δευτέρη φυλακή.

47. C. 13, 35.

quatuor illas vigilias nominibus distinxit inter se his, ὀψὲ, μεσονύκτιον, ἀλεκτοροφωνία, πρωΐ. Etenim ὀψὲ est *prima vigilia*, ita dicta ab ὀψίᾳ, quoniam partem diei extremam sequitur, atque adeo initia capit ab crepusculo: μεσονύκτιον vocatur *vigilia secunda*, quia hora noctis sexta, hoc est, nocte media, terminatur: *tertia vigilia* dicitur ἀλεκτοροφωνία, quoniam galli cantus eam finit: et quia *quartam vigiliam* diluculum excipit, idcirco Euangelista eam vocabulo πρωΐ significauit. Quo quidem in genere, non dubium est, quin ille vsum loquendi Hebraeorum suae aetatis sequutus sit. Nam vt Graeci [48], ita Iudaei, veteres spatium nocturnum diuisisse leguntur aequaliter in tres partes, quarum quaeque horas quaternas haberet. Harum vigiliarum tertia, et postrema, a Mose [49], et auctore commentariorum Samuelis [50], אַשְׁמֹרֶת הַבֹּקֶר, hoc est, φυλακὴ ἑωθινὴ, siue πρωϊνὴ, vocatur: primam Ieremias [51] רֹאשׁ אַשְׁמֻרוֹת appellat: sed secundam, et mediam, scriptor libri Sufetum [52] nominat אַשְׁמֹרֶת הַתִּיכוֹנָה, hoc est, φυλακὴν μέσην, siue μεσοῦσαν [53]. Huius autem ipsius scriptoris locum lau-

48. Vid. Nep. Eumen. 9, 3.: vbi v. Bosius, et qui ab eo laudantur.

49. Ex. 14, 24.: vbi a τοῖς ὁ vocatur ἡ φυλακὴ ἡ ἑωθινὴ, vt a Polybio 1, 45. p. 65. To. 1. Gron.

50. 1. Sam. 11, 11.: quo loco in Ald. et Complut. pro τῇ ἑωθινῇ legitur τῇ πρωϊνῇ· quod est haud dubie alius *interpretis* verbum. Phauorinus, nesciebam vnde: Ἑωθινόν· τὸ πρωϊνόν· καὶ ἑωθινή· ἡ πρωϊνή.

51. Threnn. 2, 19.

52. C. 7, 19.: vbi Ald. Complut. pro μέσης habent μεσούσης, cod. Alex. τῆς μεσούσης, ex alia, vt videtur versione. Polyaenus 2, 35. vocat δευτέραν φυλακήν.

53. Vid. Bochartus Hieroz. 1, 2. 40. p. 396. To. 1.

laudare potuisse doctissimos quosdam homines, vt docerent, Iudaeos, Christi, et Apostolorum, saeculo, sequutos esse in diuidenda nocte in quatuor vigilias maiorum suorum instituta, et mores, quis non vehementer miretur? Sed multo etiam magis mirandum putamus, Lexicographos nonnullos, auctoritate istorum hominum, doctrinaeque fama, impulsos, et deceptos, propagare hunc opinionis errorem conatos esse, atque mentes eo lectorum Noui Testamenti integras imbuere studuisse. Certissimum enim est, Iudaeos illorum temporum reliquisse etiam hoc in genere instituta pristina ciuitatis suae, atque Romanorum rationem imitatos esse, a quibus noctem constat aequaliter fuisse in quatuor partes diuisam. Sic iidem illi homines vere quidem praecipiunt, Petrum, Apostolum, ab Agrippa, tetrarcha, custodiendum traditum esse militibus sex et decem: tot enim milites significantur sane verbis Lucae τέσσαρσι τετραδίοις [54]· sed non docent, cur custodia Petri ab Herode quatuor potissimum quaternionibus militum commissa fuerit. Scilicet apud Romanos, Vegetio auctore [55], quaterni milites, siue equites, siue pedites, excubitum noctibus ita facere solebant, vt vigiliis in quatuor partes ad clepsydram distributis, singuli deinceps ternis horis vigilarent. Quia igitur Herodes Petrum custodiri volebat a quatuor militibus, quorum duo eum in ipso carcere obseruarent, totidem ante fores excubarent [56]: necesse fuisse facile intellegitur, vt quatuor militum

54. Act. 12, 4. Suidas: Τετραδεῖον· τὸ ἐκ τεσσάρων συνεςώς. Gloss. vett. Τετράδιον *Quaternio*.

55. R. M. 3, 8. Add. Wetstenius ad Act. d. l.

56. Act. d. l. v. 6.

tum quaterniones delegerentur, qui custodiae hominis praeficerentur.

V. Sed multo etiam grauius lapsi sunt multi Lexicographi in explicandis prouerbiis, et parabolis, quarum luminibus Christus sermones suos distinxit maxime propterea, vt adiuuaret intellegentiam eorum, quae ab ipso dicerentur [57]. Nam prouerbiorum quidem eam inter omnes constat esse naturam, vt in reperiunda eorum sententia sequenda sit sola vsus loquendi auctoritas, atque omnino videndum, quid ciuitates, quae iis vsae reperiantur, integumentis eorum inuoluerint, neque tam rationis, et doctrinae, grauitas fugienda, quippe quae perquam raro ab consuetudine cotidianae loquutionis discrepet, quam ingenii leuitas, ne, vi singulorum verborum inepte persequenda, ipsi confingere, comminiscique, audeamus imagines rerum, quas latebris huiusmodi vocum occultari feramus. Huius autem praecepti veritas, et ratio, etsi aperta patet, atque expedita, omnibus: tamen illud a multis Lexicorum Noui Testamenti conditoribus, non obseruatum semper esse, immo saepenumero neglectum, nouimus. Cuius quidem eorum hoc in genere neglegentiae, atque incuriae, hoc habetur insigne exemplum. Nam quum Apostoli non potuissent sanare puerum

 quen-

57. Seneca ep. 59. p. 210. To. 2. Gron. *Illi, qui simpliciter, et demonstrandae rei caussa, eloquebantur, parabolis referti sunt: quas existimo necessarias, non ex eadem caussa, qua poëtis, sed vt imbecillitatis nostrae adminicula sint, et vt discentem, et audientem, in rem praesentem adducant.* Omnino de conformatione, atque vsu, parabolarum, quarum aliae sunt cum redditione, aliae sine ea, locus classicus est apud Quinctil. instit. orat. 8, 3. 72. ss.

quendam comitiali morbo laborantem, cuius morbi auctorem Euangelistae [58] fuisse tradunt geniorum malorum aliquem, et percontati essent, remotis arbitris, ex magistro, cur ipsi non valuissent aegroto ita restituere salutem, vt genium malum ex eius corpore discedere iuberent: magister responsum dedit iis hoc, vt ostenderet, caussam rei omnem ducendam esse ab ipsorum ἀπιστίᾳ [59], quam Latine recte dixeris *leuitatem*. Haec autem ἀπιστία Apostolorum, atque leuitas, in eo posita erat, quod carebant, neque praediti erant, graui, plenaque, dei, et Christi, fiducia, cuius ea esset natura, atque vis, vt plane confiderent, se ope, atque auxilio, dei, atque Christi, filii eius, qui patri potentia par esset, adiutos efficere omnia posse, quae omnes mortalium vires, omnem fidem, excederent. Hanc enim fiduciam, et grauitatem, Christus vocat πίστιν [60], cuius si vel tantula pars sit in Apostolis sita, eos confirmat posse, non modo morbis desperatissimis, qui insanabiles cunctis videantur, facillime, exactis e corporibus aegrotorum geniis malis, mederi, sed multo etiam maiora, et magis incredibilia, miracula facere. Nam quum particula Graecorum ὡς, vt Hebraeorum particula כּ [61], sit etiam magnitudinis, et quantitatis, non tantum qualitatis, et similitudinis, index; quum Iudaei, Christi, Apostolorumque, temporibus, verbis כּגַרְגִּיר חַרְדָּל in sermone cotidiano ita vsi reperiantur, vt iis significarint rem quam-

58. Matth. 17, 15. 18. Marc. 9, 17. 18. 20. Luc. 9, 39. 40. 42. coll. Matth. 10, 1. 8. Marc. 6, 7. 13.

59. Matth. 17, 20.

60. Matth. d. l.

61. Vid. Noldius concordantt. particc. Hebrr. v. כּ n. 11. et 21.

quamuis ſuo in genere praecipue paruam, et exiguam [62], idque propterea, quod granum ſinapis fuerit tum in Palaeſtina granorum omnium minimum: quis non videt, vocis Chriſti [63], Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν, ὡς κόκκον σινάπεως, ſententiam hanc eſſe, *Mihi credite, ſi ſita in vobis erit vel tantula grauitas?* Et tamen extiterunt Lexicographi, in his Stocquius, qui lectoribus ſacrorum librorum perſuadere conarentur, κόκκον σινάπεως eſſe ſignum, atque notam, fidei. Quae quidem iſtorum hominum inutilis temeritas eo magis videtur eſſe reprehendenda, quum ne intellegi quidem liceat, quomodo ſinapis granum eſſe poſſit fiduciae dei, Chriſtique, potiſſimum imago. Iam qui vim, atque ſententiam, parabolae alicuius indagare, et reperire, velit, eum in promtu eſt vnice ſpectare haec debere, primum quaenam res, quaenam perſonae, inter ſe comparentur, deinde quo in genere, qua in re, inter ſe conferantur, ad quam adeo, tanquam ad caput, et ſummam, partes collationis omnes ita ſint referendae, vt ornamentorum externorum, aduenticiorumque, nulla omnino habeatur ratio, omninoque quid ſpectarit, atque ſequutus ſit, ſimilitudinis auctor in ea, et componenda, et proferenda [64]. Sed quis neſcit, Lexicographos Noui Teſtamenti non paucos huius quoque legis, et praecepti, adeo immemores fuiſſe, vt verbis, et partibus, parabolarum, quarum luce Chriſtus doctrinam ſuam illuſtrauit, ſingulis, etiam iis, quas facile appareret propterea

 eſſe

62. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. חַרְדָּל, et Vorſtius de adagg. N. T. 2, 1.

63. Matth. d. l. add. Luc. 17, 6.

64. Vid. Grotius ad Matth. 25, 1.

esse adscitas, vt corpuscula quasi collationum perficerentur, et exornarentur, alias significari res, et personas, docuerint, quae personis, et rebus, ab auctore similitudinum commemoratis responderent. Sic quum Christus Petri oratione lacessitus ostendisset, debere quemuis ei, a quo sese laesum esse videret, statim ignoscere, simulac auctor iniuriae veniam eius petiisset [65]: vt intellegeret Petrus plane, quam necessaria haec humanitas omnibus disciplinae dei alumnis esset, ita, vt, qui decore eius careret, is confidere nullo modo posset, se vnquam impetraturum esse a deo peccatorum, veluti debitorum, remissionem: proposuit discipulo magister hanc parabolam [66]. Nam deum, inquit, tum, quum ciuitatem per me administraturus est, gubernaturusque, suam [67], ita sese gesturum esse aduersus suos, scitote, quomodo sese gessit rex quidam aduersus ministros, qui fiscum ipsius tractarent. Hic enim quum rationes cum iis instituisset putare, vidissetque, debere sibi eorum aliquem decies mille talenta, qui non esset soluendo: iussit hominem vna cum vxore, et liberis, et omnibus possessionibus, vendi, quo debitum solueretur. Homo dominum supplex rogare, vt indulgeret, quod redditurus pecuniam debitam omnem esset: dominus precibus hominis commotus, iubere eum liberum esse, ita, vt debitum ei omne remitteret. Sed hic ipse homo quum exiens a rege incidisset in collegarum suorum aliquem, qui centum ipsi denarios deberet: hos ab eo acerrime flagitat, repudiatisque debitoris supplicis pre-

cibus

65. Matth. 18, 21. f.

66. Matth. 18, 23. — 34.

67. Vid. Matth. 19, 28.

cibus omnibus, eum teneri custodia iubet, donec satisfecisset. Rex de hac tanta hominis inhumanitate certior factus ab eius collegis, quum precibus eius ita remisisset debitum, vt ipse eadem humanitate aduersus debitores supplices vteretur; quum hominem fugisse ab hac conditione videret: nec sibi standum promissis censet, immo debitorem inhumanissimum etiam in neruum ire iubet ad eum finem, quoad omnia, quae deberet, dissoluisset. Iam quis est, qui, cognita, perspectaque, huius parabolae natura, et ratione, non intellegat, Christum eam proposuisse propterea, vt Petrum doceret, deum paratissimum esse ad condonanda peccata, et numero plurima, et turpitudine maxima, precibus eorum, qui disciplinam eius sequerentur, ita tamen, vt ipsi quoque, si a popularibus affecti essent iniuriis longe, et minoribus, et paucioribus, hanc humanitatem eius, et liberalitatem, imitarentur: sed si in persequendis aliorum delictis, quamuis suppliciter rogati, tamen summam adhiberent seueritatem, deum quoque in coërcendis ipsorum peccatis eadem animaduersionis seueritate esse vsurum *? Nam vt summa seueritas cadere intellegitur in creditorem eum, qui, quamuis fatigatus precibus debitoris aeris non magni, tamen non indulgeat, immo hominem custodia ita teneri iubeat, vt non emittatur prius, quam pecuniam, quam debeat, soluerit: ita regem, eundemque iudicem, apparet seuerissimum esse, qui debitorem aeris magni, eundemque creditorem pecuniae paruae acerbum, etiam neruo vinciendum commentariensi eo vsque tradat,

 dum

* Matth. 18, 35.

dum debitum reddiderit. Quum enim verbum παραδιδόναι fere de iis ponatur, qui aliquem tradunt alicui ad supplicium: sane ratio, et sententia, Dan. Heinsii [68], qui βασανιστὰς putabat esse *exactores*, נִגְּאִין, valere non potest: sed nec *tortores* hoc vocabulo [69] significari a Matthaeo potuere, quum in ciuitatibus humanis homines facinorosi torqueri soleant, vt vera confiteantur, non item debitores improbi, vt debita soluant. Immo παραδιδόναι τὸν ὀφειλέτην τοῖς βασανισταῖς est *debitorem dare in neruum*, *in neruum ire*, *neruo vinciri*, *iubere*, ita, vt βασανισταὶ sint *commentarienses*, custos, et praefectus, carceris, qui a Luca [70] δεσμοφύλαξ vocatur, *eiusque operae*, quatenus captiuorum pedes, et ceruices, neruo vinciunt. Nam primum dubitari non potest, quin debitores lenti, quibus creditores indulgere nollent, etiam apud Iudaeos fuerint in custodiam dati [71]: deinde apertissimum esse videtur, regem, non modo eadem seueritate vsum esse in rationalem, aeris magni debitorem, qua hic in collegam suum, debitorem multo minoris summae, vsus esset, hoc est, eum in carcerem coniecisse, sed etiam maiore, hoc est, eum in neruum dedisse. Hoc enim supplicio mali debitores, vt apud Romanos [72], ita etiam apud Iudaeos, certe illius aetatis, affecti videntur [73]. Neruus autem fuit genus

68. Exercitatt. SS. ad Matth. 18, 34.* p. 62.

69. Vid. Thomas Magister, et ex eo Phauorinus, v. δημόκοινος.

70. Act. 16, 23. 27. 36.

71. Vid. Matth. 5, 25. f. 18, 30. Luc. 12, 58.

72. Vid. Gellius 20, 1. et Salmasius de modo vsurr. c. 18. p. 812.

73. Conf. Schlaegeri disfert. de debitore obaerato secundum ius Hebraicum, et Atticum creditori in seruitutem adiudicando, quae edita est

genus vinculi ferrei [74], vel lignei, quo, vt cervices, et manus, ita etiam pedes, impediebantur. Atque hoc quidem a Luca ξύλον [75], ab aliis scriptoribus Graecis κᾶλον, et ξυλοπέδη, etiam ποδοκάκη, et ποδοστράβη [76], ab Hebraeis סַד [77], a Chal-

est Helmaepoli a. 1741., repetita in Fellenbergii Iurispr. ant. To. 1. p. 1.—72.

74. Festus p. 333. f. Gothofr.: *Neruum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impediuntur: quanquam Plautus eo etiam ceruices vinciri ait: Perfidiose captus, eo aedepol neruo ceruices probat:* et Paulus Diaconus: *Neruum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes, vel etiam ceruices, impediuntur.* Isidorus Origg. 5, 27. p. 935. Gothofr. *Neruus est vinculum ferreum, quo pedes, vel ceruices, impediuntur.* Salmasius autem d. l. p. 812. f. neruum ferreum fuisse negat. At apud Herodotum tamen 9, 37. commemoratur ξύλον σιδηρόδετον, h. e. *neruus ferratus.*

75. Act. 16, 24. Vid. Cangius Glossar. v. ξύλον p. 1024. f. et Suicerus thes. eccles. v. ξύλον p. 447. To. 2. edit. pr. Atque sic legitur ξύλον etiam ap. Herodo. 6, 75. 9, 37. et Aristoph. Equitt. 366. 393. 1046. Conf. Salmasius d. l.

76. Hesychius: Ἐγκαλοσκελεῖς· οἱ μὴ ἀποδιδόντες τὰ χρέα ἐν κάλοις ἐδεσμένοντο τὰς πόδας, vt legit Scaliger in castigatt. in libros Festi p. 111. Paris. a. 1576. Gloss. vett. Ξυλοπέδη *Neruus.* Phauorinus: Ξύλον· εἶδος δεσμωτηρίου, ἣν ποδοκάκην λέγουσι, καὶ ποδοστράβην. Ἀριστοφάνης, οἷόν σε δήσω τῷ ξύλῳ· quae sunt verba schol. Aristoph. ad Equitt. p. 209. Froben. add. Harpocratio, et Hesychius, v. ποδοκάκη. Pollux 8, 72. εἰρχθῆναι ἐν ξύλῳ, ἐν τῇ ποδοκάκῃ· vbi v. Kuhnius, et Hemsterhusius. Gloss. vett. Ποδοκάκη *Cippus, compedes.* Conf. Salmasius d. l. p. 814. f.: qui apud Hesychium rescribi iubebat ἐγκαλιοσκελεῖς, et ἐν τοῖς καλιοῖς.

77. Iob. 13, 27. 33, 11. Vtroque in loco interpres Latinus vetus pro סַד habet *neruus*: sed c. 13, 27. Aqu. ξυλοπέδη, Sym. ξύλον εἰρκτῆς, Theodot. ταλαιπωρία· vnde Capellus Crit. S. 5, 5. 5. eum opinabatur legisse שׁוֹד: vel potius ποδοκάκη, non ποδακάκη, vt Montefalconius edidit, et cum eo Barthius:

a Chaldaeis בֵּיפְתָּא [78], vocatur. Sed quum verbi βασανίζειν vis tam late pateat, vt significet *molestia, et dolore quouis, afficere:* quis non videt, quam eleganter Matthaeus custodem carceris, eiusque operas, quae captiuos etiam neruo vincirent, βασανιςὰς potissimum, neque δεσμοφύλακας appellarit? Cuius quidem vocabuli significatus vestigia relicta apparent in Graeca Symmachi versione oraculorum Ieremiae. Nam *carcer*, in quo captiui neruo impediti custodiuntur, quem Ieremias מַהְפֶּכֶת [79], auctor librorum Chronicorum בֵּית הַמַּהְפֶּכֶת [80], vocat, ab Alexandrinis Iudaeis καταῤῥάκτης, et ἀπόκλεισμα [81], etiam φυλακὴ [82], sed a Symmacho βασανιςήριον [83], dicitur. Quis

thius: οἱ ὁ κώλυμα, vel κύκλωμα, vt scriptum legitur in cod. Alex., etiam c. 33, 11., vbi cod. Vatic. habet ξύλον· quod tamen est haud dubie verbum Symmachi. Etiam interpres Syrus N. T. Act. 16, 24. nomen ξύλον explicauit nomine ܩܝܣܐ: sed in Chaldaica versione pro Hebr. סַד Iob. dd. ll. legitur שִׁיעָ.

78. Vid. Ier. 20, 2. f. 29, 26.

79. C. 20, 2. f. 29, 26.

80. 2. Parall. 16, 10.

81. Ier. 20, 2. f. 29, 26. Vulg. *neruus*.

82. 2. Parall. 16, 10.: vbi Complut. habet εἰς οἶκον φυλακῆς. Vulg. *neruus:* sed in Chaldaica versione, a Becquio edita, est בֵּית אֲסִירֵי: vt in versione Chaldaica R. Iosephi, quam Dau. Vilquinsius edidit, בֵּית אֲסִירַיָּא.

83. Hieronymus ad Ier. 20, 2. p. 145. b To. 5. Basil.: *Pro* neruo, *quem nos diximus, LXX. et Theodotio vertere* cataracten, *Symmachus* βασανιςήριον, *siue* ςρεβλωτήριον· *quod vtrumque* tormenta *significat. Nos autem* neruum *diximus more vulgari: quod tormenti genus etiam in actibus Apostolorum legimus, quando Apostoli, Paulus, et Silas, in custodiam carceris dati sunt.* Scilicet si vtrumque vocabulum, βασανιςήριον, et ςρεβλωτήριον, auctorem habet Symmachum: fieri enim possit, vt *siue* apud Hieronymum habeat vim explicandi, hoc

Quis igitur non censeat, notandam esse inertiam, et neglegentiam, Lexicographorum Noui Testamenti eorum, qui non dubitarint praecipere, *βασανιςὰς*, a Christo in parabola illa commemoratos, esse malos genios, a quibus agitentur, et vexentur, in tartaris ii, qui noluerint condonare iniurias precibus eorum, a quibus laesi fuerint?

VI. Neque vero maiorem diligentiam, sollertiamque, probarunt iidem homines in explicanda oratione ea, qua Iesus, auctore Matthaeo [84], vsus est, quo pergeret respondere ad quaestionem primam ipsi ab Apostolis propositam [85], atque adeo ostenderet, fore, vt non ita multo post excidionem vrbis, templique, Hierosolymitani vniuersa Iudaeorum resp., singulaeque illius partes, concussae, et euersae, iacerent. Hic autem Iesum facile apparet egisse, et vero etiam debuisse agere, partes vatis, ita, vt non potuerit non vti oratione figurata, hoc est, tali, quali vates apud Iudaeos vti hoc in genere solerent. id quod Iesus ipse docuit eo, quod hanc orationis suae partem vocauit [86] *τὴν παραβολήν*. Iam vero vates diuini, qui ante Christi aetatem cecine-

hoc est: *ςρεβλωτήριον* ex posteriore eius versione, *βασανιςήριον* e priore, petitum videtur. Hesychius, et ex eo Phauorinus: *Στρεβλȣ́μενοι· δεσμȣ́μενοι. Στρεβλȣ͂ται· — βασανίζεται.* Certe Symmachus pro תַּהְפֻּכוֹת etiam Prouu. 8, 13. habet *ςρεβλὸν*, et Prouu. 23, 33. *ςρεβλά*. Et Pollux. Onom. 8, 25. animaduertit, apud Platonem [Phaedr. p. 345. Lugd.] *τὰ βασανιςήρια* dici *δικαιωτήρια*.

84. C. 24, 29. add. Marc. 13, 24. f.

85. C. 24, 3.

86. C. 24, 32. add. Marc. 13, 28.

nerunt apud Iudaeos res futuras, quum vellent praesignificare interitum regni, et ciuitatis, alicuius, vsi reperiuntur hac imagine, vt caelum splendore solis, et lunae, et siderum, stellarumque, cariturum esse dicerent [87]. Et quum Iesus interitum reip. Iudaeorum ita cecinerit, vt ostenderit, solem, et lunam, et stellas, defecturas esse, totumque caelum concussum iri: quis non notandam esse censeat inertiam, neglegentiamque, Lexicographorum Noui Testamenti, qui orationem eius ita explicarint, vt τῷ ἡλίῳ *regem*, τῇ σελήνῃ *synedrium magnum*, τοῖς ἀστράσι *sacerdotes*, *aliosque ciuitatis principes*, τῷ οὐρανῷ *remp.*, *et ecclesiam*, *Iudaicam*, denique ταῖς δυνάμεσι τῶν οὐρανῶν *doctrinam diuinam*, significari praeceperint?

VII. Atque haec etiam de septimo, eodemque vltimo, vitiorum primi generis Lexicorum Noui Testamenti dicta sunto, quorum ostendimus eam esse naturam, atque indolem, vt studia eorum, qui libros diuinos intellegere, et ingenium orationis Graecae Euangelistarum, Apostolorumque, cognoscere, cuperent, non tam retardarent vehementer, quam plane impedirent.

VIII. Reliquum est, vt corrogemus patronos, et curatores, et fautores, scholae Thomanae

87. Vid. Esai. 13, 10. 34, 4. Ezech. 32, 7. Ioël. 2, 10. Amos. 8, 9., omninoque Rob. Lauthii de sacra poësi Hebrr. prael. 9. et 20. Seneca ep. 59. p. 210. To. 2. Gronou. *Ingenio imagines: quibus si quis nos vti vetat, et poëtis illas solis iudicat esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis legisse, apud quos nondum captabatur plausibilis oratio.*

nae ea, qua quemque decet, humanitate ad audiendas oratiunculas Latinas, quae a quatuor disciplinae nostrae alumnis, optimae spei adulescentibus, perendie in auditorio classico habebuntur. Hi enim quum constituissent, pro studio honestatis, et virtutis, suo, ante, quam scholam nostram relinquerent, euergetis suis, et magistris, publice gratias agere, ita quidem, vt etiam declararent, quos, quantosque, progressus in studiis bonarum literarum fecissent; quum nos nuper in enarrando libro epistolarum Ciceronis ad diuersos vltimo ostendissemus, Tironem, seruum, consequutum esse libertatem maxime exquisita quadam, et noua, elegantia, atque vbertate, doctrinae liberalis: nobis auctoribus, hortatoribusque, decreuerunt multitudinem, et magnitudinem, bonorum, atque commodorum, quae accurata, et copiosa, bonarum literarum scientia hominibus, et viuis, et mortuis, afferret, exponere, et persequi, diligentius, si forte ipsi amore, et studio, humanitatis omnis ardentes, animos commilitonum eodem amore, et studio, incendere possent. Nam IOH. FRIDER. IAC. RICOBACIVS, *Megalomonra Thuringus*, docere conabitur, *bonas literas ornare homines diuitiis veris, et splendido hoc nomine dignis:* VRBANVS THEOPH. HAVBOLDIVS, *Lipsiensis*, ostendere studebit, *literarum ornamentis reddi homines, et iucundissimos aliis, et priuatim, publiceque, vtilissimos:* SALOMON THEOCHARIS KOEPINGIVS, *Kibiza Misnicus*, demonstrare instituet, *doctrinam liberalem hominibus admirationem aliorum, amoremque, et laudes, conciliare, honoribus eos, aliisque decoribus, augere, nominisque, et gloriae, immortalitate donare:*

donare: IOH. ANDREAS REVTERVS, *Lengefelda Nariſcus*, in eo elaborabit, vt vincat, *doctrinam liberalem exiſtere hominibus auctorem, et parentem, cuſtodem, et conſeruatricem, tranquillitatis animi, et ſecuritatis, atque adeo felicitatis, et beatitatis.* His igitur diſcipulorum noſtrorum oratiunculis vt intereſſe, ſi commodum eſt, velint praeſides, et fautores, inſtitutorum, rerumque, ſcholae Thomanae, ita petimus, vt ſpondeamus, nos noui huius beneficii ſtimulis incitatos, fauente deo, maiorem in dies operam collocaturos eſſe in mentibus, animiſque, aduleſcentium ingenuorum opibus ſapientiae, et virtutis, augendis, et locupletandis. Scripſimus Lipſiae, in Schola Thomana, pridie Nonas Maias A. C CIↃIↃCCLXXXIII

PROLV

PROLVSIO VICESIMA.

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN PRAETERMISSIS ATQVE NEGLECTIS VERBIS ET FORMVLIS DICENDI RECONDITIS

Q. B. V

Quum ante hos vndecim fere annos disputare de vitiis Lexicorum Noui Testamenti aggressi sumus: ea ostendimus omnia recte reuocari ad duo genera posse. Alia enim istorum librorum vitia sunt eiusmodi, vt studia eorum, qui libros diuinos intellegere cupiant, non solum nihil adiuuent, sed etiam ita impediant, vt sententiam orationis Euangelistarum, Apostolorumque, aut omnino non inuestigare, et reperire, valeant, aut etiamsi inuenerint, tamen non videant fontem, ex quo illa fluxerit, atque adeo caussas ignorent, quare verbis multis, et simplicibus, et iunctis, hoc, illoue, loco haec potissimum, neque alia, potestas tribui debeat, quare compositio, et structura, verborum tot in locis ab consuetudine Graeca tantopere abhorreat, et discrepet. Etenim Lexicographi

omnes multa verba, multas formulas, ita interpretari ſcilicet auſi ſunt, vt in mentibus lectorum Noui Teſtamenti exiſterent imagines rerum prorſus alienarum: in explicando magno verborum, formularumque, numero vtuntur oratione adeo vaga, atque incerta, vt nemo ne coniectura quidem aſſequi vllo modo ſenſa ſcriptorum diuinorum valeat: multarum rerum verbis expreſſarum formas, et ſpecies, multis partibus ita, vel auxerunt, vel priuarunt, vt nemo cogitare plane eadem cum Euangeliſtis, atque Apoſtolis, poſſet: nitorem orationis Graecae tenebris verborum, formularumque, vel nouarum, et fictarum nuper, vel barbararum, et peregrinarum, ita obſcurarunt, vt ſententiam eius ab iis, qui Latine ſcirent, reperiri, et perſpici, omnino non liceret: et quanquam multa verba, multas formulas, Graecis inauditas, recte, et eleganter, explanarunt, tamen, nec originem vſus earum demonſtrarunt, nec cauſſas poteſtatis attulerunt: quae ipſa neglegentia etiam ex eo elucet, quod non oſtendunt, qui factum ſit, vt tot in locis librorum Noui Teſtamenti tam multa veſtigia inſolentis cuiuſdam, et inuiſitatae, verborum compoſitionis impreſſa extarent: denique in rebus ipſis explicandis, et hiſtoriae, morumque, et inſtitutorum, ciuitatum veterum luce illuſtrandis, ſaepenumero errarunt, atque lapſi ſunt, vt verba, rerum notae, a lectoribus librorum ſacrorum, vel omnino non, vel etiam male, intellegerentur. Atque de his ſeptem iſtius generis vitiis plura in iis libellis perſequuti ſumus, quos adhuc, vel noſtro, vel collegarum coniunctiſſimorum, nomine, ad corrogandos oratiuncularum ab alumnis diſciplinae Thomanae

manae publice habendarum auditores, propofuimus. Sequitur ergo, vt etiam de altero vitiorum genere exponamus, quibus Lexica Noui Teftamenti laborare demonftrauimus. Horum autem vitiorum ea vis eft, et natura, vt, etiamfi confultorum ftudiis non ita obfint, vt mentes eorum imaginibus, formifque, rerum, vel falfis, et vanis, vel vagis, et incertis, vel iufto minoribus, aut maioribus, repleantur, tamen multa lectoribus Noui Teftamenti impedimenta obiiciant, quae induftriam eorum, et celeritatem arripiendi omnia, non parum morentur, diligentiae, et ftudio, accurate cognofcendi omnia non parum officiant, multa adiumenta orationis fcriptorum diuinorum intellegendae, et legum iuftae interpretationis cognofcendarum, eripiant, nec pauca afferant, quibus intellegentia verborum omnino nihil adiuuetur.

II. Etenim Lexicorum Noui Teftamenti conditores propemodum omnes, Pafor in primis, et Stocquius, etiam Simonius, et Suartius, inftituerunt multa difputare de origine vocabulorum, cum horum, quae a Prifciano, aliifque grammaticis, primitiua vocantur, tum eorum, quae, et deriuatiua, et compofita, dicuntur. Etymologia autem, quae verborum originem inquirit, et quam Ciceroni notationem, aliis originationem, nominare placuit, quam dubia, quam controuerfa, quam incerta, fit, quis eft, quem longae illae, et inconftantes, de origine nominum difputationes Socratis, et Balbi, Stoici, et grammaticorum veterum, quae Platonis Cratylo, et Ciceronis libro de natura deorum fecundo, et Etymologico magno, continentur, non

ita doceant, vt omnem illam operam, quae in origine verborum, primitiuorum maxime, inuestiganda ponatur, fere frustra consumi cernat? Et quis nescit, cognitio eius rei etiam certissima quam nihil saepenumero ad patefaciendam ipsam verborum vim conferat, quum vsus loquendi, impotens ille linguarum tyrannus, multis verbis, maxime compositis, potestatem tribuerit ab eorum origine alienissimam? Quid igitur emolumenti, atque vtilitatis, afferri posse sperabimus studiis eorum, qui naturam orationis Graecae Noui Testamenti perspicere velint, ab iis Lexicographis, qui libros suos referserint tot quaestionibus de notatione, quae etiam rectius ex aliis libris, hoc in primis consilio compositis, vt origo verborum Graecorum studiosis huius linguae patefieret, cognosci possent? Nam exempla huius temeritatis istorum hominum inutilissimae afferre nihil attinet, quum innumerabilis quaedam eorum copia vel vnius Stocquii in Lexico exposita inueniatur. Sed hic ipse vir doctus etiam eo parum consuluisse tironum rationibus videtur, quod in explicandis iis verbis, quorum significatus non essent satis aperti, et constituti, ita versatus est, vt varias interpretum de eorum potestate sententias collegerit, neque vllas addiderit rationes, quarum indicio existimari posset, quaenam sententia vera esset, certe ad veritatem quam proxime accederet. Sic enim fieri non potest, quin consultores iudicii maturitatem nondum consequuti, mentibus diuersas in partes distractis, quum, quae interpretatio elegenda sit, quae reiicienda, decernere ipsi non queant, etiam incertiores, suspensioresque, discedant. Huic autem malo ita erat occurrendum,

dum, vt explanatio huiusmodi verborum tantummodo ea, quae plurimas, maximasque, veritatis haberet notas, ita attingeretur, vt rationibus idoneis adiuuaretur, et, si fieri posset, confirmaretur. Et quid tandem ad intellegendam orationem Noui Testamenti conferre putetur ea ratio, qua idem ille Stocquius, Sam. Bohlii, Rostochiensis philologi non ignobilis, et paucorum aliorum, auctoritatem sequutus, in explicandis nominibus, et verbis, singulis ita vsus est, vt illis fere omnibus notiones vniuersales, siue generales, hoc est, ad vniuersas generis alicuius res pertinentes, quae sola mente cernerentur, subiectas esse ostenderit? praesertim quum verbis propemodum omnibus proprie res quasdam singulares, quae sub sensus caderent, earumue attributa, significata esse constet inter omnes naturae linguarum inuestigatores, quas notiones consuetudo loquendi paulatim, vel cum formis, etiam generibus, earundem rerum, vel cum aliis similium, cognatorumque, generum rebus, communicauerit. Et quanquam multi Lexicographi operam lectorum Noui Testamenti studiis suis non parum ita adiuuerunt, vt non modo varios verborum significatus diligenter collegerint, apteque in numeros suos, et classes, descripserint, sed etiam multa fere loca, notionis eorum cuiusque sedes, recte indicarint: tamen quis dubitet, quin laborem tironum etiam plus subleuaturi fuissent, si iis omnino omnia potestatis verborum cuiusque domicilia ostendissent? Hac enim cura, et diligentia, effectum esset, vt huiusmodi Lexicorum consultores omnes recte carere possent vsura eorum librorum, quos vulgaris consuetudo vocabulo barbaro Concor-

dantias appellat, neque tantum verbi cuiusque vim facilius reperire loco quoque, sed etiam clarius cernere ipsi, et iudicare certius, valerent, quae potestas cuique verbo esset ab Euangelistis, et Apostolis, vbique subiecta. Quis enim ignorat, multis in locis plura, et clariora, indicia, maiores, et certiores, notas, extare, e quibus iudicium de vi, et natura, verborum fieri a quoque possit, quam in aliis, ita, vt diligens locorum similium comparatio saepe plus adiuuet intellegentiam orationis, quam operosa alienae praeceptionis subtilitas?

III. Sed huius ipsius laboris molesti sane, et taediorum pleni, fuga Lexica Noui Testamenti omnia multis aliis huius generis vitiis contaminauit. Nam in omnibus istis libris multa verba, vel praetermissa sunt, vel certe simpliciter, atque nude, posita: quae tamen eo magis exponi, et explicari, allatis idoneorum scriptorum veterum locis, debebant, quum etiam ab Graecorum Lexicorum auctoribus essent omissa, atque ita neglecta, vt, nec potestas eorum, nec elegantia, cognosci, et perspici, ab Graecae linguae studiosis satis posset: multi item multorum verborum, multarum formularum, significatus, iidemque reconditi, et insolentes, qui, sine ducum prouidorum doctrina, et praeceptis, inuestigari a lectoribus imperitis, atque inexercitatis, nullo modo possint, in iisdem illis libris praeteriti sunt, neque vspiam annotati. Iam etsi Iac. Rhoerius, vir eruditissimus, ante annos non paucos instituit in Feriis Dauentriensibus [1] verba Noui Testamenti ab Henr. Stephano,

1. 1, 2. p. 9. — 14. 2, 2. p. 144. — 149. Trai. ad Rhen. a. 1758. 8.

no, aliisque Lexicographis, vel praetermissa, vel ita proposita, vt elegantia eorum, atque probitas, dubia esset, et suspecta, omnibus, magno studio collegere, et, additis idoneorum scriptorum auctoritatibus, ab omni nouitatis, et insolentiae, suspicione diligenter vindicare: tamen hunc eorum indicem augeri verbis multis aliis posse cognouimus. Nam felicitas quidem, atque gaudia, quibus frui post mortem continget hominibus sanctis, et piis, in caelo, quia iis, tanquam thesauri repositi, ibi ita asseruantur, vt propria futura sint, et sempiterna, neque vnquam peritura, idcirco in commentariis Lucae [2] dicuntur θησαυρὸς ἀνέκλειπτος, ita, vt vocabuli ἀνέκλειπτος interpretandi caussa verba, ὅπȣ κλέπτης ȣ̓κ ἐγγίζει, ȣ̓δὲ σὴς διαφθείρει, adiecta legantur. Nam ἀνέκλειπτος, quod nomen Stephanus in ipso quidem thesauro omisit, sed in indice eius nudum posuit, ita, vt Ioh. Iensius [3], vir Graece doctissimus, dubitauerit, an vllus eo scriptor classicus vnquam vsus esset, non modo apud Diodorum Siculum, cuius locos Casp. Frider. Munthius [4] congessit, de abundantia, et copia, rerum ad victum pertinentium, aliarumque, summa, et inexhausta, quae nunquam deficiat, legitur, sed etiam ab aliis scriptoribus Diodoro multo antiquioribus vsurpatum videtur. Certe Protagoras in eclogis Antonii Melissae [5] vxorem castam, et sanctam, dixisse inuenitur θησαυρὸν ἀνέκλειπτον, hoc est, *thesaurum proprium, et sempiter-*

2. C. 12, 33. coll. Matth. 6, 20.

3. Ferc. literar. p. 45.

4. Obseruatt. in N. T. Diodorr. ad Luc. d. l. pag. 162.

5. Eclogg. Stobaei, Antonii, et Maximi, c. 182. p. 607. Vechel.

piternum: qui ab auctore libri, qui Σοφία Σολομῶντος inscribitur, ἀνεκλιπὴς θησαυρὸς nuncupatur [6]. Atque eiusdem generis verbum est δουλαγωγεῖν, quod in Lexico Stocquii frustra quaesivimus, sed cui Stephanus solius Theophylacti, non Theophrasti, Simocatae auctoritate elegantiam asserere conatus est. Ponitur enim verbum istud proprie quidem de iis, qui alios in servitutem abducunt, et abstrahunt: quomodo, non tantum in libris Diodori Siculi [7] vsurpatum occurrit, sed etiam in reliquiis versionis librorum sacrorum Symmachiae. Nam eo loco Geneseos, quo filii Iacobi, qui iterum venissent in Aegyptum annonae emendae caussa, deducique iussi essent domum praefecti regionis, quem ignorarent esse Iosephum, fratrem suum, introire veriti perhibentur, ne forte criminationibus de pretio superioris annonae non soluto obruti, domini domus iussu, in seruitutem mitterentur, eo igitur loco [8] haec leguntur verba, לְהִתְגֹּלֵל עָלֵינוּ וּלְהִתְנַפֵּל עָלֵינוּ וְלָקַחַת אֹתָנוּ לַעֲבָדִים: quae verba Iudaei Alexandrini ita verterunt, τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς, καὶ ἐπιθέσθαι ἡμῖν, τοῦ λαβεῖν ἡμᾶς εἰς παῖδας. Sed ad haec verba quum Montefalconius in ora codicis Coisliniani, saeculo circiter septimo scripti, adiecta reperisset ista, κατηγορίαν ψευδῆ συστήσασθαι καθ' ἡμῶν, κατατυραννῆσαι ἡμᾶς, καὶ δουλαγωγῆσαι· auctorem eorum opinabatur esse grammaticum aliquem, qui verba septuaginta interpretum explicare voluisset. At primum quidem nemini facile in mentem venerit verba ἐπιθέσθαι, et λαβεῖν εἰς παῖδας, verbis κατατυραν-

6. C. 7, 14. add. c. 8, 18. 544. D To. 2. Rhodom.
7. 17. p. 599. Steph. p. 8. C. 43, 18.

τυραννῆσαι, et δουλαγωγῆσαι, interpretari: deinde quum verba *vt violenter ſubiiciat ſeruituti*, quae in verſione Latina vetere leguntur, dubitari vix poſſit, quin e Graecis κατατυραννῆσαι ἡμᾶς, καὶ δουλαγωγῆσαι, expreſſa ſint; quum auctor huius verſionis in reddendis verbis Hebraeis, nunc Alexandrinos Iudaeos, nunc interpretes Graecos alios, duces ſequutus ſit, et in his maxime Symmachum; quum verborum Graecorum ſupra propoſitorum ea ſit elegantia, vt ab interprete nullo facile alio proficiſci, quam ab Symmacho, potuerint: neminem fore ſperamus, quin illis reliquias verſionis Symmachiae augendas eſſe videat, neque parum offendatur neglegentia, et leuitate, temeraria editoris Hexaplorum Origenianorum nuperi, qui ea promiſſorum immemor ita praeterierit, vt ne admonuerit quidem lectores. Sed vt ad verbum δουλαγωγεῖν reuertamur, recentiores ſcriptores Graeci, vt Charito, Theophylactus Simocata, et alii [9], eo vtuntur maxime de cupidinibus mortales ſibi ſeruire cogentibus, eoſque imperio ſuo, ac poteſtati, totos ſubiicientibus: et Paulus eo loco prioris ad Corinthios epiſtolae [10], quo ſe omnem oſtendit operam dare, vt corpus ſuum, hoc eſt, cupiditates, et voluptates, corporis, vincat, victoque, et ſubacto, imperet, idem verbum verbo ὑπωπιάζειν ita poſtpoſuit, vt idem valeret, quod verba ὑποτάττειν [11], et κρατεῖν [12]. Comparat enim

 ſe

9. Vid. Doruillius ad Charit. 2, 7. p. 196. Amſtel.

10. C. 9, 27.

11. Oecumenius ad 1. Corr. d. l. p. 439. Veron.: Οὐκ ἀφίημι, φησὶ, τῇ γαστρὶ, καὶ τῷ σώματι, τὰς ἡνίας, ἀλλὰ περισφίγγω αὐτὸ, καὶ ὑποτάσσω· τοῦτο γὰρ λέγει τὸ ὑπωπιάζω, καὶ δουλαγωγῶ,

se Apostolus cum pugile, qui corpus, tanquam aduersarium, pugnorum, et caestuum, ictibus ita sugillare, ita contundere, studeat, vt succumbere cogatur, et victori sese dedere, a quo in seruitutem redigatur [13]. Haec igitur, et alia huius generis, verba, ab aliis Lexicographis, vel omnino neglecta, vel certe non satis explicata, neque vllius auctorum veterum loci luce illustrata, Lexicorum Noui Testamenti conditores non praeterire debebant, immo diligenter, et ita, annotare, vt ea ab omni nouitatis, atque insolentiae, suspicione, scriptorum idoneorum auctoritate, liberarent, breuiterque, sed accurate tamen, interpretarentur, ne tirones se destitutos queri possent ab iis, qui ipsis omnia intellegendae orationis Euangelistarum, et Apostolorum, auxilia promisissent.

IIII

γῶ, τουτέστι, δαμάζω, καὶ ὡς δοῦλον ἄγω. — Ταῦτα δὲ λέγων, αἰνίττεται αὐτοὺς καὶ γαστριμάργους, καὶ ὅτι οὐκ ἀρκεῖ ὑμῖν τὸ πιστεῦσαι μόνον, ὥσπερ οὐδὲ ἐμοὶ τὸ κηρύξαι, ἐὰν μὴ ἐγὼ, καὶ ὑμεῖς, καὶ τὸ σῶμα, καὶ τὰς ἐπιθυμίας αὐτοῦ, δουλώσητε. Theophylactus ad 1. Corr. d. l. p. 239. Londin. Ἐπεὶ δὲ εἶπεν, ὑπωπιάζω, καὶ τραυμάτων ἐμνήσθη· ἐπήγαγε συντόμως, καὶ δουλαγωγῶ· ἵνα μάθῃς, ὅτι οὐκ ἄγχειν αὐτὸ δεῖ, ἀλλ' ὡς δοῦλον ἀφηνιάζοντα καταστέλλειν, καὶ ὑποτάσσειν· ὁ δεσπότου ἐστὶν, καὶ οὐ πολεμίου. Conf. Grotius ad 1. Corr. d. l. et Pe. Faber. Agonist. 3, 14. p. 285. s.

12. Vt Amor ap. Chariton. 6, 3. dicitur κρατεῖν πάντων τῶν θεῶν, h. e. *imperare deis* Sabin. ep. 3, 35. Nam verbum κρατεῖν a verbo νικᾷν ita differt, vt hoc sit simpliciter *vincere*, illud *ita vincere, vt victus sit in ditione, et potestate, tua.* vid. Plato Cratyl. 12. extr. Xen. Cyrop. 6, 1. 21. extr.

13. Gloss. vett. Δουλαγωγῶ *In seruitutem redigo*: quae sunt verba interpretis veteris 1. Corr. d. l. vid. Prolus. 10, 3. 43.

IIII. Sed multo etiam maior deprehenditur eorundem hominum incuria, et neglegentia, in persequendis, et verborum, et formularum, significatibus reconditis, neque in promtu positis. Etenim horum quoque ingentem numerum, non attigerunt leuiter, sed omnino intactum reliquere. Cuius quidem vtriusque generis incuriae Lexicographorum vel vnum exemplum, idque in primis clarum, proferre nobis placuit, etiam propterea, ne haec disputationis nostrae pars superiori dissimilis reperiretur. Nam quum Iesus aliquando Apostolis ostendisset [14], homines ipsos non ea praeditos esse facultate, vt possent, abiecta omni diuitiarum fiducia, suscipere solius dei fiduciam, vt possent, contemtis, neglectisque, diuitiis, solum deum diligere, atque amare, sine qua tamen virtute nemini vllo modo liceret numeros alumnorum disciplinae Christianae augere, sed deum, a quo fieri possent omnia, quae fieri ab hominibus nequirent, valere eorum animos hac grauitate ornare, vt ipsum solum diligerent, amarentque, in ipso solo fiduciam omnem ponerent, spretis, et repudiatis diuitiis; quum Petrus, suo, et collegarum, nomine, percontatus esset e magistro, quidnam commodi, atque praemii, ipsi consequuturi essent, quos, relictis omnibus, sequutos esse suam disciplinam sciret: magister dedit responsum discipulis hoc, vt huic tali, et tantae, Iudaeorum, aliorumque omnium, fortitudini, et pietati, qui doctrinae diuinae diuitias, aliasque res, etiam personas, carissimas, postponerent, proposita esse doceret praemia communia duo, quorum alterum

14. Vid. Matth. 19, 23. ff. Marc. 10, 23. ff.

rum adepturi essent post mortem, hoc est, felicitatem, et gaudia aeterna, alterum hac in vita, quod esset in eo positum, vt inuenturi essent Christianos alios, quorum animus, et amor, humanitas, et liberalitas, cumulatissime resartura ipsis esset iacturam omnium possessionum, omnium necessariorum, sed ipsorum Apostolorum virtuti, et grauitati, isto in genere singulari mercedem repositam esse etiam praecipuam, et propriam. Atque hoc quidem praemium complexus est Iesus, auctore Matthaeo [15], verbis istis, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς, οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. Iam Stocquius, et Suartius, παλιγγενεσίαν praecipiunt esse hac in oratione *regenerationem*, hoc est, interprete eodem Suartio, *abiectionem veterum studiorum, consiliorumque, et conformationem nouorum, ope diuini Spiritus.* Haec autem vocabuli potestas quum alii praeclare vidissent quam aliena esset ab consilio Iesu, qui cum Apostolis de constantiae eorum, fortitudinisque, praemiis egisset: eo significari putarunt *resurrectionem mortuorum*, praesertim quum scirent, eruditissimos iam, sanctissimosque, ecclesiae veteris doctores in hac ipsa fuisse sententia versatos [16]. At vero quanquam probe intellego, reditum mortuorum ab inferis recte vocari παλιγγενεσίαν a Christo, vel potius a Matthaeo, potuisse:

15. C. 19, 28.

16. Theophylactus ad Matth. d. l. p. 82. Rom.: παλιγγενεσίαν δὲ τὴν ἀνάστασιν νόει. Vid. Heumanus ad Matth. d. l. Suicerus thes. eccles. h. v. et Gataquerus ad Antonin. 11, 1. p. 318. Trai.

tuiſſe [17]: tamen nec me fugit, primo eum in libris Noui Teſtamenti nuſquam ſolere iſto vocabulo appellari, neque vllam excogitari cauſſam idoneam poſſe, quae Ieſum, atque adeo Matthaeum, iuſſerit de re non noua nouo potiſſimum verbo vti; deinde, id quod maximum eſt, vocem illam Chriſti ad praemium pertinere Apoſtolis hac iam in vita tribuendum. Omnino peperiſſe iſtam vocabuli interpretationem videtur formula καθίσαι ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, quam in Matthaei commentariis etiam alibi [18] poſitam legi conſtaret de Chriſto iudicium aliquando de vita, factiſque, vniuerſorum doctrinae ſuae ſectatorum facturo. His igitur difficultatibus quum affectam laborare iſtam rationem animaduertiſſent nonnulli: idem illud nomen, cuius de vi quaerimus, ad ipſum Ieſum ita referendum cenſuere, vt eo declararetur reſtitutio, et recuperatio, priſtinae maieſtatis eius, quae ei contigiſſet tum, quum in vitam reuocatus, ex his terris ad ſuperos reuertiſſet [19]. Nam primum quidem certum habetur, non modo eos, qui in exilium acti, ex eo domum ita rediiſſent, vt priſtinos honores, priſtinam dignitatem, priſtinam conditionem, receperint, a Latinis *bis genitos* nuncupatos eſſe [20], et *renatos* [21], ſed etiam Ciceronem reſtitutionem, atque inſtaurationem, dignitatis

17. Vid. Clemens Alex. Strom. 3. p. 451. C Colon.

18. C. 25, 31. Vid. Grotius ad Matth. 25, 32. et Lactant. inſtitutt. diuinn. 7, 20.

19. Vid. Erneſtius Clau. Cic. v. παλιγγενεσία· cuius fontibus hortulos ſuos etiam hic irrigauit Carcinus, cum in obſeruatt. Flauianis ad Matth. d. l., tum in Lex. Schoetgen. h. v.

20. Vid. Cortius ad Salluſtii fragmm. p. 999.

21. Vid. Geuartius lectt. Papiniann. 1, 39. p. 110. ſ.

se Apostolus cum pugile, qui corpus, tanquam aduersarium, pugnorum, et caestuum, ictibus ita sugillare, ita contundere, studeat, vt succumbere cogatur, et victori sese dedere, a quo in seruitutem redigatur [13]. Haec igitur, et alia huius generis, verba, ab aliis Lexicographis, vel omnino neglecta, vel certe non satis explicata, neque vllius auctorum veterum loci luce illustrata, Lexicorum Noui Testamenti conditores non praeterire debebant, immo diligenter, et ita, annotare, vt ea ab omni nouitatis, atque insolentiae, suspicione, scriptorum idoneorum auctoritate, liberarent, breuiterque, sed accurate tamen, interpretarentur, ne tirones se destitutos queri possent ab iis, qui ipsis omnia intellegendae orationis Euangelistarum, et Apostolorum, auxilia promisissent.

IIII

γῶ, τουτέστι, δαμάζω, καὶ ὡς δοῦλον ἄγω. — Ταῦτα δὲ λέγων, αἰνίττεται αὐτοὺς καὶ γαστριμάργους, καὶ ὅτι οὐκ ἀρκεῖ ὑμῖν τὸ πιστεῦσαι μόνον, ὥσπερ οὐδὲ ἐμοὶ τὸ κηρύξαι, ἐὰν μὴ ἐγὼ, καὶ ὑμεῖς, καὶ τὸ σῶμα, καὶ τὰς ἐπιθυμίας αὐτοῦ, δουλώσητε. Theophylactus ad 1. Corr. d. l. p. 239. Londin. Ἐπεὶ δὲ εἶπεν, ὑπωπιάζω, καὶ τραυμάτων ἐμνήσθη· ἐπήγαγε συντόμως, καὶ δουλαγωγῶ· ἵνα μάθῃς, ὅτι οὐκ ἄγχειν αὐτὸ δεῖ, ἀλλ' ὡς δοῦλον ἀφηνιάζοντα καταστέλλειν, καὶ ὑποτάσσειν· ὁ δεσπότου ἐστὶν, καὶ οὐ πολεμίου. Conf. Grotius ad 1. Corr. d. l. et Pe. Faber. Agonist. 3, 14. p. 285. f.

12. Vt Amor ap. Chariton. 6, 3. dicitur *κρατεῖν πάντων τῶν θεῶν*, h. e. *imperare deis* Sabin. ep. 3, 35. Nam verbum *κρατεῖν* a verbo *νικᾶν* ita differt, vt hoc sit simpliciter *vincere*, illud *ita vincere, vt victus sit in ditione, et potestate, tua*. vid. Plato Cratyl. 12. extr. Xen. Cyrop. 6, 1. 21. extr.

13. Gloss. vett. Δουλαγωγῶ *In seruitutem redigo*: quae sunt verba interpretis veteris 1. Corr. d. l. vid. Prolus. 10, 3. 43.

IIII. Sed multo etiam maior deprehenditur eorundem hominum incuria, et neglegentia, in persequendis, et verborum, et formularum, significatibus reconditis, neque in promtu positis. Etenim horum quoque ingentem numerum, non attigerunt leuiter, sed omnino intactum reliquere. Cuius quidem vtriusque generis incuriae Lexicographorum vel vnum exemplum, idque in primis clarum, proferre nobis placuit, etiam propterea, ne haec disputationis nostrae pars superiori dissimilis reperiretur. Nam quum Iesus aliquando Apostolis ostendisset [14], homines ipsos non ea praeditos esse facultate, vt possent, abiecta omni diuitiarum fiducia, suscipere solius dei fiduciam, vt possent, contemtis, neglectisque, diuitiis, solum deum diligere, atque amare, sine qua tamen virtute nemini vllo modo liceret numeros alumnorum disciplinae Christianae augere, sed deum, a quo fieri possent omnia, quae fieri ab hominibus nequirent, valere eorum animos hac grauitate ornare, vt ipsum solum diligerent, amarentque, in ipso solo fiduciam omnem ponerent, spretis, et repudiatis diuitiis; quum Petrus, suo, et collegarum, nomine, percontatus esset e magistro, quidnam commodi, atque praemii, ipsi consequuturi essent, quos, relictis omnibus, sequutos esse suam disciplinam sciret: magister dedit responsum discipulis hoc, vt huic tali, et tantae, Iudaeorum, aliorumque omnium, fortitudini, et pietati, qui doctrinae diuinae diuitias, aliasque res, etiam personas, carissimas, postponerent, proposita esse doceret praemia communia duo, quorum alterum

14. Vid. Matth. 19, 23. ff. Marc. 10, 23. ff.

rum adepturi essent post mortem, hoc est, felicitatem, et gaudia aeterna, alterum hac in vita, quod esset in eo positum, vt inuenturi essent Christianos alios, quorum animus, et amor, humanitas, et liberalitas, cumulatissime resartura ipsis esset iacturam omnium possessionum, omnium necessariorum, sed ipsorum Apostolorum virtuti, et grauitati, isto in genere singulari mercedem repositam esse etiam praecipuam, et propriam. Atque hoc quidem praemium complexus est Iesus, auctore Matthaeo [15], verbis istis, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς, οἱ ἀκολουθήσαντές μοι, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. Iam Stocquius, et Suartius, παλιγγενεσίαν praecipiunt esse hac in oratione *regenerationem*, hoc est, interprete eodem Suartio, *abiectionem veterum studiorum, consiliorumque, et conformationem nouorum, ope diuini Spiritus.* Haec autem vocabuli potestas quum alii praeclare vidissent quam aliena esset ab consilio Iesu, qui cum Apostolis de constantiae eorum, fortitudinisque, praemiis egisset: eo significari putarunt *resurrectionem mortuorum*, praesertim quum scirent, eruditissimos iam, sanctissimosque, ecclesiae veteris doctores in hac ipsa fuisse sententia versatos [16]. At vero quanquam probe intellego, reditum mortuorum ab inferis recte vocari παλιγγενεσίαν a Christo, vel potius a Matthaeo, potuisse:

15. C. 19, 28.

16. Theophylactus ad Matth. d. l. p. 82. Rom.: παλιγγενεσίαν δὲ τὴν ἀνάστασιν νοεῖ. Vid. Heumanus ad Matth. d. l. Suicerus thes. eccles. h. v. et Gataquerus ad Antonin. 11, 1. p. 318. Trai.

tuiſſe [17]: tamen nec me fugit, primo eum in libris Noui Teſtamenti nuſquam ſolere iſto vocabulo appellari, neque vllam excogitari cauſſam idoneam poſſe, quae Ieſum, atque adeo Matthaeum, iuſſerit de re non noua nouo potiſſimum verbo vti; deinde, id quod maximum eſt, vocem illam Chriſti ad praemium pertinere Apoſtolis hac iam in vita tribuendum. Omnino peperiſſe iſtam vocabuli interpretationem videtur formula καθίσαι ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, quam in Matthaei commentariis etiam alibi [18] poſitam legi conſtaret de Chriſto iudicium aliquando de vita, factiſque, vniuerſorum doctrinae ſuae ſectatorum facturo. His igitur difficultatibus quum affectam laborare iſtam rationem animaduertiſſent nonnulli: idem illud nomen, cuius de vi quaerimus, ad ipſum Ieſum ita referendum cenſuere, vt eo declararetur reſtitutio, et recuperatio, priſtinae maieſtatis eius, quae ei contigiſſet tum, quum in vitam reuocatus, ex his terris ad ſuperos reuertiſſet [19]. Nam primum quidem certum habetur, non modo eos, qui in exilium acti, ex eo domum ita rediiſſent, vt priſtinos honores, priſtinam dignitatem, priſtinam conditionem, receperint, a Latinis *bis genitos* nuncupatos eſſe [20], et *renatos* [21], ſed etiam Ciceronem reſtitutionem, atque inſtaurationem, dignitatis

17. Vid. Clemens Alex. Strom. 3. p. 451. C Colon.

18. C. 25, 31. Vid. Grotius ad Matth. 25, 32. et Lactant. inſtitutt. diuinn. 7, 20.

19. Vid. Erneſtius Clau. Cic. v. παλιγγενεσία· cuius fontibus hortulos ſuos etiam hic irrigauit Carcinus, cum in obſeruatt. Flauianis ad Matth. d. l., tum in Lex. Schoetgen. h. v.

20. Vid. Cortius ad Salluſtii fragmm. p. 999.

21. Vid. Geuartius lectt. Papiniann. 1, 39. p. 110. ſ.

tatis suae, quam post exilii calamitatem, suscepto imperio proconsulari, denuo adeptus sibi videbatur, in quadam ad Atticum epistola [22], παλιγγενεσίαν suam dixisse: deinde dubitari recte non potest, quin ista vocabuli explanatio orationi Christi reliquae ita accommodata sit, vt membra eius omnia aptissime inter se cohaereant. At nec negari vllo modo posse putamus, rationi illi vehementer repugnare, cum vsum loquendi scriptorum Noui Testamenti, tum ipsas leges, et praecepta, artis plane, dilucideque, scribendi. Haec enim Euangelistam sic, nostro quidem iudicio, non simpliciter ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, immo, addito pronomine, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ μȣ, scribere iubebant. Itaque assentiri non dubitamus Ioh. Cameroni, Hammondo, aliisque Britanis, qui παλιγγενεσίαν esse existimant *emendationem animorum hominum*, Iudaeorum, et barbarorum, ope euangelii, et instituendam, et peragendam. Nam primum quidem orationis Iesu ratio est eiusmodi, vt facile appareat, τὴν παλιγγενεσίαν ad homines omnino omnes, sed maxime tamen ad Iudaeos, pertinere: deinde constat inter omnes, renouationem, et quasi reformationem, animi ab scriptoribus sacris exprimi solere, vt omnino iis verbis, quibus regeneratio proprie, atque renatio, significetur [23], ita etiam illo ipso vocabulo, cuius de potestate disputamus [24]: denique verbis Christi sic perspicuum est responsionem contineri interrogationi Petri conuenientissimam. Scilicet quum particula ἐν saepenumero indicet tempus, quo fit, acciditque, id, quod nomine ad-

22. 6. ep. 6. extr.
23. Vid. Ioh. 3, 3. ss.
24. Tit. 3, 5.

adiuncto demonstratur [25]: satis euidens est, verborum ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ in illa Christi oratione sententiam hanc esse, *quo tempore emendatio vniversi generis hominum, ope euangelii, instituetur*, hoc est, *ineuntibus Noui Testamenti temporibus*. Horum enim temporum, quae in commentariis de rebus Apostolorum [26] χρόνοι ἀποκαταστάσεως πάντων, ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος τῶν ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν ἀπ' αἰῶνος, dicuntur, initia ceciderunt, id quod ex illo ipso Lucae loco plane intellegi potest, in tempus, quod Christi ad superos reditum consequutum est. Sed hoc idem declarant etiam verba ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ· quibus vim, et potestatem, verborum ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ita definiri, vt haec coniungi cum verbis οἱ ἀκολουθήσαντές μοι neutiquam debeant, quis non videt [27]? Iam porro θρόνος, hoc est, *solium*, quod ab Hebraeis כִּסֵּא appellatur, quia dignitatis, atque potestatis, regiae insigne est, et ponitur, apud omnes ciuitates: idcirco θρόνος δόξης, כִּסֵּא כָבוֹד [28], hoc est, θρόνος βασιλείας, כִּסֵּא מַלְכוּת [29], nominatur. Haec autem dignitas, atque potestas, quum futurum esset, vt Christo, qua homini, post eius in caelum reditum tribueretur: propterea Christus

25. Luc. 10, 14. ἐν τῇ κρίσει· sed Matth. 11, 22. ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.

26. C. 3, 21.

27. Sic Marc. 12, 23. ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι. Hoc autem ipso in genere, quum nec obscurorum, et incertorum, verborum vis explicatur verbis aliis scriptores N. T. consuetudinem loquendi Hebraeorum sequuti videntur. vid. Iosu. 2, 3. coll. Marc. 7, 13. 13, 19. s.

28. Vid. Ier. 17, 12.

29. Vid. 1. Regg. 1, 46. 1. Paralipp. 28, 5. Sic Marc. 10, 37. est ἐν τῇ δόξῃ σου· sed Matth. 20, 21. legitur ἐν τῇ βασιλείᾳ σου.

ſtus θρόνον illum appellauit θρόνον δόξης αὐτοῦ [30]. Vt igitur formula καθίσαι ἐπὶ θρόνου δόξης, quam ex Hebraica שָׁבַת עַל־כִּסֵּא כָבוֹד, hoc eſt, עַל־כִּסֵּא מַלְכוּת, effictam eſſe apparet [31], hac praedita eſt poteſtate, vt declaret *ſedere*, eſſe, *regem*: ita ſponte exiſtimari ab omnibus poteſt, verborum Chriſti, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, hanc vim eſſe, *quum ego ſedere coepero vniuerſae eccleſiae rex.* Reges autem quum abſunt a ſuis ciuitatibus, habere amicum vnum, vel etiam plures, pro ciuitatum, quibus imperant, amplitudine, et potentia, ſolent, qui exſequantur omnia ipſorum officia, et munera, ipſorum nomine ciuibus praeſint, eorumque ſaluti, et rationibus, omni in genere conſulant. Atque hac ipſa dignitate, et poteſtate, Apoſtolos ornatum iri oſtendit Ieſus, ſimulac ipſe fuerit in caelum receptus. Nam quia eorum erant totidem, quot in populos deſcripta Iudaeorum ciuitas erat [32]: ideo, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς, inquit, ἐπὶ δώδεκα θρόνους, hoc eſt, *ſuccedetis vicarii poteſtati meae.* Sed vt intellegerent Apoſtoli, qualis futura eſſet poteſtas illa, qua ſemper eſſent, pleneque, vſuri: adiecit verba, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ, hoc eſt, *ita, vt praeſitis ciuitati Iudaeorum hactenus, vt eos doceatis, quid credendum ſit, et faciendum;* vt iis tradatis praecepta diſciplinae Chriſtianae vtriuſque generis, quae, et ad augendas, perficiendaſque, mentes, et ad animos emendandos, atque exornandos, pertineant. Loquitur enim Chriſtus de Apoſtolis, tanquam diſciplinae ſuae ſectatoribus aſſiduis, et forti-

30. Vid. Ier. 14, 21.

31. Vid. 1. Paralipp. d. l.

32. Act. 4, 27. λαοὶ Ἰσραήλ. coll. Pſ. 2, 1.

fortibus, atque Apoſtoli, vt ſupra ſignificauimus, ſcire auebant, quos fructus iſta fortitudo et grauitas, quae emolumenta, quae praemia, ipſis eſſet etiam hac in vita latura: ſed vis verbi Graeci *κρίνειν*, ad exemplum verbi Hebraici שָׁפוֹט [33], tam late patet, vt omnino *praeeſſe*, *praeſidere*, *regere*, valeat [34], et reges, eorumque vicarii, leges quoque ciuibus, atque praecepta, dare ſolent, quae cognoſcantur ab iis, ſeruentur, vita, et mori-

33. Verbum שָׁפֹט pertinere, non tantum ad iuris dictionem, ſed omnino ad adminiſtrationem publicam, multa ſunt, e quibus, non exiſtimari, verum iudicari plane, poſſit. Nam primum quidem legitur hoc verbum ſic, vt valeat *praeeſſe* alicui ciuitati, *gubernare*, *et adminiſtrare*, *res* alicuius ciuitatis, aliquoties in libris V. T.: vt 1. Sam. 8, 5. עַתָּה שִׂימָה לָּנוּ מֶלֶךְ לְשָׁפְטֵנוּ: quem locum Ioſephus Archaeol. 6, 4. p. 154. Baſ. ita vertit, Ἐδέοντό τε, καὶ ἱκέτευον, ἀποδεῖξαί τινα αὐτῶν βασιλέα, ὃς ἄρξῃ τοῦ ἔθνους· add. ibid. v. 6. 20. Deinde Eſai. 40, 23. οἱ ὁ verba Hebraea הַנּוֹתֵן רוֹזְנִים לְאָיִן שֹׁפְטֵי אֶרֶץ כַּתֹּהוּ עָשָׂה ita interpretati ſunt, ὁ διδοὺς ἄρχοντας ὡς οὐδὲν ἄρχειν, τὴν δὲ γῆν ὡς οὐδὲν ἐποίησεν· legerunt enim שְׁפוֹט pro שׁוֹפְטֵי, et coniunxerunt hunc infinitiuum cum nomine לְאָיִן. Denique ſummos magiſtratus Carthaginienſium conſtat dictos eſſe *Sufetas*: v. Liu. 28, 37. 2. 30, 7. 5.: h. e. שׁוֹפְטִים. v. Graevius ad Iuſtin. 19, 2. 5. Scaliger animaduerſſ. ad Euſeb. chron. p. 69. a: Clericus A. C. 2, 1. 13. 16.: Bochartus Geogr. S. 2, 1. 24. p. 472. ſ. Sed eodem vocabulo appellati ſunt apud Iudaeos magiſtratus, qui, inde ab Ioſuae obitu vſque ad aetatem Sauli, ſummae rerum, non tantum iudiciis, praefuerunt: qui adeo ab paraphraſta Chaldaeo hiſtoriae Ruthae c. 1, 1. eleganter גִּבָּרִין, non דַּיָּנִין, ita dicuntur, vt Ioſephus in Archaeologiae libris de iiſdem vſurpauit verba ἄρχειν, ἀρχή, ἡγεμονία, αὐτοκράτωρ, ἡγεμών. vid. 5, 4. p. 133. 5, 6. p. 134. 5, 8. p. 137. 5, 9. p. 140. 5, 10. p. 144. 5, 13. p. 148. 6, 3. p. 153. Baſil.

34. Artemidor. 2, 12. p. 56. Ald. κρίνειν γὰρ τὸ ἄρχειν ἔλεγον οἱ παλαιοί: qui locus ante nos laudatus eſt a Cocceio in Lex. Hebr. v. שָׁפַט.

ribus, exprimantur. Et quanquam Apostoli, nominatim Petrus, potestatem illam iam ante acceperant a Christo [35]: ea tamen, neque semper, neque omnino, vsi erant, quia magister eorum ipse fere exponebat multitudini maxime Iudaeorum doctrinae suae, id est, diuinae, opes. Hoc vero futurum erat post reditum Christi ad superos, ita, vt ipse discipulis suis eadem haec promissa etiam alio tempore fecisse legatur [36], adeo, vt mirandum omnium minime sit, operam eorum, atque studium, magistro in caelum recepto, in primis in eo fuisse versatum, vt Iudaei potissimum mouerentur, vt Christo nomina darent. Ex hactenus igitur disputatis arbitramur plane intellegi etiam a tironibus posse, totius orationis Christi, quam Matthaeus literis consignatam reliquit, hanc esse sententiam, *Mihi credite. vos grauitatis huius vestrae, atque fortitudinis, piae praemium feretis iam hac in vita proprium, et praecipuum, hoc, vt post meum ad superos reditum, vbi ego rex ecclesiae sedere coepero,* f. *ineuntibus Noui Testamenti temporibus, vicarii succedatis potestati meae, id est, vt pro me Iudaeis opes doctrinae diuinae exponatis, et explicetis, eosque iubeatis vitam omnem, moresque, ad eius normam dirigere.* Caeterum quin Apostoli ipsi ista verba Christi acceperint de regno ab eo in Iudaea constituendo, non magis dubitari posse videtur [37], quam quin Christus tum de industria nouo de re noua vocabulo vsus sit, ita, vt nec propterea veri simile sit nomine παλιγγενεσία resurrectionem mortuorum significari. Atque haec de isto quidem Lexicorum Noui Testamenti vitio disserere nunc, sed disputationem de

35. Vid. Matth. 10, 5. f. 16, 19.

36. Luc. 22, 29. f.

37. Vid. Matth. 20, 21. coll. Act. 1, 6.

de caeteris huius generis eorundem librorum vitiis in aliud differre tempus, placuit.

V. Reſtat enim, vt ego vos, collegae optimi, rogem, velitis mecum perendie, hora quinta veſpertina, in auditorium ſcholae noſtrae claſſicum conuenire, vt vna cum diſcipulis noſtris, et ore, et animo, grato celebremus ſingularem, noſtraque cogitatione maiorem, benignitatem, qua deus O. M. hoc anno vniuerſam ſcholam Thomanam, et partes eius ſingulas, omni in genere complexus eſt, eiuſque numen ardentiſſimis precibus adeamus, velit prouidentiae ſuae, atque tutelae, etiam proximo anno ſalutem ludi noſtri ita commendatam habere, vt omnino omnes, qui res eius, vel adminiſtrant prudentia ſua, et conſiliis, vel potentia ſua, et opibus, adiuuant, ſalvos ſemper, omniſque generis bonis cumulatos, praeſtet, ſed nos eo maxime beneficio beet, vt diſciplinae noſtrae eos tradi porro pueros, et adoleſcentes, iubeat, qui praeclara indole praediti omnibus bonorum diſcipulorum officiis ſatiſfacere ſtudeant. Quos quidem officii idoneorum diſcipulorum numeros, atque partes, oratiuncula Latina perſequi iuſſimus alumnum ſcholae noſtrae publicum, CHRISTI. THEO CHAR. VOGELIVM, *Delitienſem*, auditorem claſſicum, eundemque nobis ob doctrinae, et virtutis, ſtudia admodum probatum: quam eius orationem quin vos facillime ſitis, et libentiſſime, audituri, neque amor erga me veſter, neque veſtra in diſcipulos noſtros voluntas, dubitare me vllo modo patiuntur. Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Ianuarias A C. CIↃIↃCCLXXXIIII

PROLVSIO PRIMA ET VICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN SIGNIFI CATIBVS VERBORVM PRAEPO STERE ORDINATIS

Q. B. V

Etſi curam, atque diligentiam, quam plerique Lexicographi Noui Teſtamenti adhibuerunt in ſignificatibus verborum collegendis, et ita digerendis, vt, quomodo ex prima cuiusque, et propria, notione, tanquam ex capite, reliquae omnes, veluti riui, fluxiſſent, intellegi a lectoribus diuinorum librorum etiam inexercitatis plane poſſet, merito laudandam eſſe, vehementerque probandam, facile apparet: tamen multos iſtorum hominum, vt aliis in rebus multis, ita hoc quoque in genere, valde inconſtantes, atque leues, fuiſſe videmus. Multa enim verba, et nomina, ita explicarunt, vt alienas eorum, et improprias, ſignificationes anteire, propriam, et natiuam, ſubſequi, iuſſerint. Qui quidem praepoſterus notionum ordo etſi tironibus impedimento eſſe non poteſt, quo minus ipſam orationis Euangeliſtarum, Apoſtolorumque, ſententiam aſſequantur: tamen ſtudiis eorum

rum ita obſtat, atque officit, vt ad accuratam poteſtatis, naturaeque, vocabulorum ſcientiam peruenire non poſſint.

II. Sed vt nec iſtius vitii turpitudo a nobis affiсta Lexicographis exiſtimetur: age, etiam huius reprehenſionis eorum noſtrae veritatem, atque aequitatem, demonſtrare conabimur, pro inſtituto noſtro, vel vnius nominis, neque illius reconditi, exemplo, ita, vt paulo diligentius de eo, copioſiusque, diſputemus. Hac enim ex diſputatione noſtra ſperamus conſultores Lexicorum Noui Teſtamenti hanc capturos eſſe vtilitatem, vt, ſi viderint, quam neglegenter in ordinandis, et quaſi inſtruendis, verborum in medio poſitorum notionibus verſati ſint etiam ii huiuſmodi librorum auctores, qui doctrina, rerumque huius generis vſu, minime vulgari valuiſſe viderentur, eo cautiores, ac diligentiores, eſſe diſcant in ſequendis, et horum, et aliorum, Lexicographorum de coniunctione, et neceſſitudine, poteſtatis variae, multiplicisque, verborum interiorum praeceptis.

III. Scilicet in Lexico Schoetgenii, cura Carcini doctiſſimi hominis, vel aucto, et locupletato, vel emendato, et correcto, traditur, εὐνȣ̃χον eſſe, primum *ſpadonem*, deinde *hominem continentiae ſeruantem*, denique *gynaecei praefectum:* quo ipſo ordine notiones iſtius nominis Graeci in Lexico Hedericiano, quod doctrinae, et diligentiae, Erneſtii, ſummi viri, maximam ſuorum ornamentorum partem debet, ſed ita debet, vt magno vocabulorum numero, neque mediocri ſignificationum verborum copia, augeri poſſit, vt oeconomia, et deſcriptio, notionum multorum verborum aliter fieri, inſtitui-

que, debeat, recenſitae leguntur. Iam ſi natura, atque poteſtas, nominis Hebraei סָרִיס aperienda fuiſſet, et demonſtranda: reprehendi ſane talis praeceptio non omnino poſſet. Etenim quum verbum סרס a Chaldaeis, aliiſque orientis ciuitatibus, ita vſurpatum eſſe conſtet, vt ſignificaret *caſtrare*, *exſecare*, *exta obſcena demetere* [1]: facile intellegitur, primam, et propriam, notionem participii סָרִיס, quod, vt alia huiuſmodi participia, partes nominis agat, hanc eſſe, vt indicet *hominem caſtratum*, *virumque exſectum*, *eum, cui exta ſunt obſcena demeſſa*, vt loquitur Minucius Felix in Octauio [2]: quem Ionathas, paraphraſtes Chaldaeus, גַּוְזָא, hoc eſt, τομίαν, appellat [3]. Sed quum reges ciuitatum orientis, vt Perſarum, Babyloniorum, etiam Aegyptiorum, et Aethiopum, in aulis ſuis numeroſos fere muliercularum alerent greges; quum homines caſtrati viderentur eſſe in dominos ſuos officio, et fide, ſingulari [4], adeo, vt a Syris ſimpliciter ܡܗܝܡܢܐ dicti legantur [5]: factum eſt, vt ſpadones

1. Herodotus hoc in genere vſus eſt verbis, formuliſque ἐκτάμνειν, τὰ αἰδοῖα ἀποτάμνειν, ποιέειν ἀντὶ εἶναι ἐνόρχιας εὐνούχους, ἐκτομίας ποιέειν· vid. 6, 9. 32. 8, 105. 106. Latini dicunt *exſecare*, et *virilitatem excidere*. vid. Quinctilian. 5, 12. 17. 7, 4. 8. De eunuchis diligenter diſputauit Gul. Seldenius otiorr. theologg. lib. 3. exercit. 6. p. 406. ſſ., et peculiarem de iis libellum edidit, lingua Francogallica conſcriptum, Dollincamius A. C. 1707. 12. v. Acta eruditorum Lipſienſſ. A. C. 1708. p. 307. ſſ.

2. C. 24. extr. Vid. Eſai. 56, 3. ſ.

3. 1. Regg. 22, 9. 2. Regg. 8, 6. 23, 11.

4. Vid. Herodo. 8, 105. Xen. Cyrop. 7, 5. 21. ſſ.

5. Schol. Rom. ad Gen. 39, 1. Ὁ μὲν Σύρος μιᾷ προσηγορίᾳ τόν τε σπάδοντα, καὶ τὸν

nes omnibus muneribus, et negotiis, aulicis, cum minoribus, tum maioribus, praeponerentur, vt non modo ſtipatores corporis regum, et ianitores [6], et cubicularii [7], et diaetarii, et coci, et pincernae, et internuntii [8], aliique huius generis miniſtri, ſed etiam magiſtri eorum, atque praefecti, eſſent caſtrati, atque adeo appellarentur סָרִיסִים, vt magiſter aulicorum, hoc eſt, is, qui miniſtris aulicis omnibus, et claſſis eorum cuiuſque magiſtris, praeerat, vocatus inuenitur רַב סָרִיסִים, et שַׂר הַסָּרִיסִים [9]. Errant enim dubio procul, et falluntur, Lexicographi Hebraei, aliique, qui praecipiunt, nomen סָרִיס proprie dignitatis, et officii, vocabulum eſſe, cui adeo per ſe notio cubicularii, omninoque miniſtri aulici, ſubſit: quippe quum certiſſimum videatur, in omnibus Veteris Teſtamenti locis verbo illo non, niſi *hominem*, miniſtrum, *caſtratum*, ſignificari. Sed quia miniſtri aulici omnes apud ciuitates orientis erant euirati: dubitari certe non poteſt, quin perſpicuitatis ratio poſtulet, vt nomen סָרִיס in

τὸν πιςὸν ἄνδρα λέγει τοῖς δεσπόταις· ὁ δὲ Ἑβραῖος ἀληθῶς εὐνοῦχον, καὶ τοῦτον ἀπὸ τῆς πίςεως, ἐπειδὴ φιλεῖ τὸ τῶν εὐνούχων γένος μάλιςα πιςεύεσθαι τὰ τιμιώτερα τῶν κτημάτων, καὶ αὐτὴν τὴν βασιλέων σωτηρίαν.

6. Herodo. 3, 77. πυλουροί. add. 3, 118. Xen. Cyrop. 7, 5. 23. θυρωροί.

7. Liban. orat. 10. p. 285. C To. 2. Morel. τῶν εὐνούχων τὸν μάλιςα περὶ τὴν εὐνήν.

8. Herodo. 3, 77. οἱ τὰς ἀγγελίας ἐσφέροντες εὐνοῦχοι· 3, 84. ἐσαγγελεύς· 3, 118. ὁ ἀγγελιηφόρος. Philoſtratus vit. Apollon. Tyan. 1, 34. init. p. 41. Olear. εὐνοῦχος τὰς ἀγγελίας διαφερόντων.

9. Dan. 1, 3. 7. 8. 9. 10. 11. 18.: quibus in locis Theodotio cum τοῖς ὁ hominem illum vocat ἀρχιευνοῦχον, Latinus interpres *praepoſitum eunuchorum*, et *principem eunuchorum*.

in vtroque numero Latine, nunc generis [10], nunc formae, et partis, etiam gradus [11], ministerii vocabulo, feriei orationis iuſſu, et admonitu, reddatur, ita tamen, vt lectores vbique cogitare miniſtrum euiratum iubeantur. Etenim ſi nomine סָרִיס ipſo certum quoddam miniſtrorum genus, velut diaetarii, cubicularii, gynaeceo praefecti, oſtiarii, indicaretur: quid, quaeſo, neceſſe erat, vt ei tot in locis adiungerentur verba, quibus genus miniſterii, atque muneris, et officii, pars, definiretur [12]? Neque vero magis audiendos eſſe arbitramur eos, qui ex eo, quod Petephres, magiſter ſatellitum regis Aegypti [13], cui Ioſephum, Iacobi filium, a mercato-

10. 2. Regg. 9, 32. 20, 18. Dan. dd. ll.

11. Sic Eſth. 1, 12. 15. הַסָּרִיסִים, quos οἱ ὁ, et Ioſephus Archaeol. 11, 6. p. 332. Baſ. τοὺς εὐνούχους, vocant, ſunt *diaetarii*, miniſtri, qui regi accubanti apparent: vid. v. 10.: c. 4, 4. *cubicularii*. Gen. 40, 7. Onqueloſus verba אֶת־סְרִיסֵי פַרְעֹה eleganter vertit אֶת־רַבְרְבֵי פַרְעֹה. nam ſermo eſt de magiſtro pincernarum, et cocorum. vid. v. 2. Idem interpres Petephren, qui Gen. 37, 36. 39, 1. dicitur סְרִיס פַּרְעֹה, aeque ſcienter nominat רַבָּא דְפַרְעֹה. Sic ὁ εὐνοῦχος ap. Philoſtrat. vit. Apol. Tyan. 1, 21. p. 26. Olear. eſt σατράπης.

12. Vt Eſther. 1, 10. — אָמַר הַסָּרִיסִים הַמְשָׁרְתִים אֶת־ פְּנֵי הַמֶּלֶךְ, h. e. *iuſſit* — *miniſtros*, aulicos, *qui ipſi accubanti apparebant*: οἱ ὁ intelligenter vocant διακόνους τοῦ βασιλέως· ibid. c. 2, 3. 15. סְרִיס הַמֶּלֶךְ שֹׁמֵר הַנָּשִׁים: v. 14. סְרִיס הַמֶּלֶךְ שֹׁמֵר הַפִּילַגְשִׁים: v. 21. שְׁנֵי סָרִיסֵי הַמֶּלֶךְ מִשֹּׁמְרֵי הַסַּף. Vulg. *duo eunuchi regii, qui ianitores erant, et in primo palatii limine praeſidebant*: quae eſt duplex ſcilicet eorundem verborum interpretamentum. Sic ap. Xen. Cyrop. 7, 3. 1. τοὺς μὲν εὐνούχους καὶ τοὺς θεράποντας αὐτοῦ· coll. ſ. 5. 6. Aelian. H. AA. 6, 25. ὁ εὐνοῦχος, ὃς ἦν οἱ σκηπτοῦχος τὴν τιμήν· coll. Xen. anab. 1, 6. 11.

13. Gen. 37, 36. 39, 1. סְרִיס פַּרְעֹה שַׂר הַטַּבָּחִים. Qui enim his in locis שַׂר הַטַּבָּחִים di-

catoribus barbaris venditum esse accepimus, satis, et abunde, iudicari posse statuunt, nomine סָרִיס significari ministrum aulicum quemuis, etiam eum, qui non sit virum exsectus. Quis enim non didicit e fabulis Terentii [14], eunuchos

dicitur, eum interpres Latinus Gen. 37, 36. vocat *magistrum militum*, c. 40, 3. 41, 10. *principem militum*, c. 41, 12. *ducem militum*, c. 39, 1. 2. Regg. 25, 8. *principem exercitus*: et Dan. 2, 14. pro רַב טַבָּחַיָּא habet *princeps militiae*. Ab Alexandrinis interpretibus Gen. 37, 36. 39, 1. nominatur ἀρχιμάγειρος· quos sequuti Iosephus, et Philo, hic Petephren appellat τῶν εὐνούχων τινὰ τοῦ βασιλέως, ὃς ἐστιν ἀρχιμάγειρος, lib. de Iosepho p. 530. D Paris., ille ἄνδρα Αἰγύπτιον ἐπὶ τῶν Φαραῶθου μαγείρων τοῦ βασιλέως, Archaeol. 2, 3. p. 35. Bas. Vnde verba ὁ ἀρχιδεσμώτης Gen. 40, 4., et τοῦ ἀρχιδεσμοφύλακος c. 41, 10., ex aliis versionibus Graecis in codices Alexandrinae versionis translata esse suspicor. Scilicet טַבָּחִים dicti sunt *satellites regum*, quia interficere, detruncandis gladio capitibus, debebant eos, qui maiestatem regum grauiter violassent, certe viderentur violasse, ita, vt שַׂר הַטַּבָּחִים, vt רַב טַבָּחַיָּא Dan. 2, 14., sit *magister satellitum regiorum*; a Iosepho Archaeol. 10, 11. p. 310. Bas. eleganter vocatur ὁ τὴν ἐπὶ τῶν σωματοφυλάκων τοῦ βασιλέως ἀρχὴν πεπιστευμένος· penes quem erat summa imperii custodiae, in quam violatores maiestatis regiae darentur. Ab Onqueloso Gen. 37, 36. 39, 1. et a Ionatha Vsielide 2. Regg. 25, 8., aliisque in locis, dicitur רַב קָטוֹלַיָּא, sed a Pseudoionathane Gen. dd. ll. רַב סְפִיקְלָטוֹרַיָּא. Itaque vix dubitandum videtur, quin σπεκουλάτωρ ille, qui a Marco c. 6, 27. traditur ab Herode Antipa iussus esse caput Iohannis Baptistae amputare, fuerit vnus de stipatoribus corporis tetrarchae: τὶς τῶν σωματοφυλάκων Ioseph. Archaeol. 8, 2. 2. Hauerc. Gloss. vett. ὁ Ἀποκεφαλίζων *Speculatus*. v. Prolus. 31, 2. 15.

14. Eun. 4, 3. 23. Add. omnino Dio Chrysost. orat. 4. p. 64. f. Morel.: Philostratus V. Apollonii Tyan. 1, 34. p. 42. et 1, 37. p. 45. Olear.: Liban. ethop. 1. pag. 733. f. To. 2. Morel.: Suidas v. σπάδων, et Brissonius de regio Persarum princip. 2, 165. Lederl.

esse amatores mulierum maximos? et quem satyrarum Iuuenalis [15] lectio non docuit, fuisse semper in omnibus ciuitatibus mulierculas, quas eunuchi imbelles delectarent? Ex his igitur, quae hactenus a nobis de vsu vocabuli סָרִיס disputata sunt, existimari a cunctis posse speramus, in libris quidem sacris Veteris Testamenti illo denotari, primum *hominem castratum*, deinde *ministrum aulicum*, eundemque *euiratum*, quemuis.

IIII. Sed hanc ipsam disputationem propterea suscipere visum est, quo facilius pateret vitium Lexici Schoetgeniani, in quo notiones vocabuli Graeci εὐνοῦχος, quo septuaginta interpretes fere pro isto Hebraeo vsi sunt, male, praepostereque, expositae inuenirentur. Etsi enim prima, et propria, huius nominis significatio in promtu posita, itaque aperta, videtur, vt quisque eam cernere facile, et inuenire, possit: tamen multi veterum iam grammaticorum, qui operam in origine verborum Graecorum indaganda, non tam consumserunt, quam perdiderunt, speciosis ineptae suae, stultaeque, loquacitatis inuolucris potestatem vocabuli natiuam ita occultare, atque abscondere, conati sunt, vt, qui splendore tantorum nominum praestricti rationis, et veritatis, praecepta certissima sequi non possent, iis sedem eius, atque originem, inuestigare, et videre, non contingeret. Nam Eustathius quidem in commentariis ad Homeri carmina [16] εὐνοῦχον

15. sat. 6, 366. f.

16. ad Il. χ', 44. pag. 1256. 27. Rom. Εὔνιν δὲ τὸν ἐστερημένον λέγει, καὶ μεμονωμένον, παρὰ τὴν ἑνὸς γενικὴν, πλεονασμῷ τοῦ υ. Τινὲς δέ φασιν, ὅτι παρὰ τὴν εὐνὴν ὁ εὖνις γίνεται, οἱονεὶ ὁ ἡσυχάζων, ὡς ἐν εὐνῇ, καὶ ἀπρακτῶν, ὡς

νȣ̃χον tradit proprie dici τὸν εὖνιν τȣ̃ ὀχεύειν, hoc eſt, τὸν ἐϛερημένον ὀχείας, *hominem facultate coëundi priuatum*, hoc eſt, *caſtratum:* ſed aliis grammaticis [17] nomen iſtud e verbis εὖ νȣ̃ ἔχειν compoſitum eſſe, atque adeo *hominem ſanctum, qui non vteretur rebus Venereis*, hoc eſt, *euiratum*, ſignificare, videbatur: qua eadem in ſententia nouimus fuiſſe Epiphanium [18], ita tamen, vt ductum illud a verbo εὐνοεῖν arbitraretur eſſe. At vti tertiam hanc, et ſecundam, notationem ipſa rerum natura vanitatis conuincit: quis enim reperietur virtutis omnis, atque humanitatis, adeo expers, atque exſors, qui non poſſit, etiam integro gaudens corpore, neque vlla illius parte orbatus, ſtimulos

ὡς εὐναζόμενος· ἀφ' ȣ̃ ὁ ἠρημωμένος, καὶ ἐϛερημένος. Δῆλον δὲ, ὡς ἐκ τȣ̃ τοιȣ́τȣ εὔνιδος καὶ ὁ εὐνȣ̃χος ὁ εὖνις τȣ̃ ὀχεύειν· quae verba deſcripſit Phauorinus v. Εὖνιν, qui tamen pro δῆλον legit δηλοῖ. Idem Euſtathius ad Odyſ. *ι*, 524. p. 1643. 15. Rom. Λέγει δὲ εὖνιν, ὡς ἀπὸ τȣ̃ εἷς ἑνὸς, τὸν μεμονωμένον· ἤτοι ἐϛερημένον· ὅθεν καὶ εὐνȣ̃χος ὁ ἐϛερημένος ὀχείας.

17. Etymol. M. v. Εὐνȣ̃χος· — Τινὲς δέ φασι, παρὰ τὸ εὖ τȣ̃ νȣ̃ ἔχειν, καὶ ἀπηλλάχθαι τῶν Ἀφροδισίων· οἱ γὰρ ἀρχαῖοι τὰ Ἀφροδίσια ἀνόητα ἐκάλȣν. ὡς παρὰ τῷ Ἀριϛοφάνῃ, Ὕπνȣ τε ἀπέχεσθαι, καὶ τῶν ἀνοήτων πάντων. Haec verba in Lexicon ſuum tranſtulit Phauorinus v. Εὐνȣ̃χος, ſed legit παρὰ τὸ εὖ νȣ̃ν ἔχειν. Reſpexit autem Etymologici conditor haud dubie ad locum Ariſtoph. Nubb. 416. Οἴνȣ τ' ἀπέχει, καὶ γυμνασίων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων. Nam ibi etiam ſchol. vetus, et cum eo Suidas v. ἀνόητα, vocabulum ἀνόητα accepit de rebus Venereis.

18. haer. 38. p. 213. Hervag. Ὅθεν τάχα οἶμαι καὶ τὸ [l. τὸν] εὐνȣ̃χον καλεῖσθαι, ἀπὸ τȣ̃ εὐνοεῖν δύνασθαι, ἀφαιρȣμένων τῶν μελῶν, καὶ μὴ ἐπεντρίβεσθαι μίξει τῶν σωμάτων, ὡς τῶν ὀργάνων ἀφῃρημένȣς [f. ἀφῃρημένον, vel ἀφῃρημένων]. v. Suicerus theſ. eccleſ. v. εὐνȣ̃χος. To. I.

mulos amoris ita frangere, vt vſu Veneris omni abſtineat, atque adeo praecipue dignus habeatur, qui εὖνις τȣ̃ ὀχεύειν, et εὖ νȣ̃ ἔχων, nominetur? ita his ipſis grammaticorum veterum de origine vocabuli εὐνȣ̃χος opinionibus non minus, quam primae illi, plane repugnant, et aduerſantur, omnes artis fabricandorum verborum leges, quum ſermo Graecus in hac tanta, tamque admirabili, nominum copia, et varietate, tamen nullum, quod eodem modo formatum ſit, habeat. Quis autem neſcit, deos, atque deas, quae ab hominibus barbaris vrbi alicui, et ciuitati, praeſidere crederentur, a Graecis πολιȣ́χȣς, id eſt, *vrbis, et reip., cuſtodes*, vel ſimpliciter *cuſtodes* [19], dictas eſſe, nominatim Iouem, Mineruam [20], Iunonem [21]? quis ignorat, virgines ex ſacerdotio Veſtae etiam Ἑςιȣ́χȣς appellatas eſſe [22]? ita, vt verbum ἔχειν his in nominibus poteſtate verborum κατέχειν, Φυλάττειν, ἐπιμέλεσθαι, κήδεσθαι, praeditum eſſet [23]. Et quis formae

19. Suet. Domit. 5. *Ioui Cuſtodi.*

20. Vid. Sueton. Vitel. 13.

21. Vid. Spanhemius ad Callim. L. P. 53. et Index Palaephat. v. πολιȣ̃χος.

22. Gloſſ. vett. Ἑςιȣ̃χος *Veſtalis.*

23. Donatus ad Terent. Eunuch. 1, 2. 87. Ἐυνȣ̃χος εἴρηται ὡς ἐυνὴν ἔχων, τȣ̃τ᾽ ἔςι, Φυλάττων, ὅσον εἶναι εὖνιν κακȣ̃ ἀνδρός· ſic enim verba grammatici legenda eſſe cenſuit Pauus ad Aeſchyli Perſſ. 118. p. 941. b To. 2. Sic ab Xen. Cyrop. 8, 3. 11. *ſemidei, qui Aſſyriae praeſidere credebantur*, dicuntur ἥρωες οἱ Συρίαν ἔχοντες· ſed *penates Perſarum*, et *Medorum*, et *Aſſyriorum*, nominantur ab eodem 2, 1. 1. θεοὶ, καὶ ἥρωες, οἱ Περσίδα γῆν κατέχοντες, et θεοὶ οἱ Μηδίαν γῆν κατέχοντες· 3, 3. 11. ἥρωες, γῆς Μηδίας οἰκήτορες, καὶ κηδεμόνες, et ἥρωες, Ἀσσυρίας οἰκήτορες. Quae quidem horum locorum comparatio plane docet, ἔχειν idem eſſe,

mae horum vocabulorum, et ſignificationis, admonitu non diſcedendum ſibi putet in ſententiam auctoris Etymologici magni, qui nomen εὐνοῦχος originem ducere veriſſime praecipit [24] a nomine εὐνὴ, et verbo ἔχειν, cui notio *curandi*, et *cuſtodiendi*, ſubiecta ſit? Ita vero omnibus patere arbitror, primam, et propriam, poteſtatem iſtius nominis hanc fuiſſe, vt *cubicularium*, praefectum, et cuſtodem, cubiculi, ſignificaret, qui a Luca in actis Apoſtolorum [25] ὁ ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος, hoc eſt, κοιτωνίτης [26], a Diodoro Siculo [27] κατακοιμιστὴς, a Plutarcho [28] κατευναστὴς, nominatur. Quae quidem vocabuli notio etſi etiam ab auctoribus Gloſſariorum veterum, cura Car. Labbaei poſt Henr. Stephanum, et Bonau. Vulcanium, collectorum, quibus exquiſitae quaedam, et rarae, vtriuſque ſermo-

ſe, quod κατέχειν, et vtrumque hoc verbum idem declarare, quod verba οἰκεῖν, et κήδεσθαι, *cuſtodire*, *tueri*, *praeſidere*. Ab Herodo. 7, 53. *penates* Perſarum dicuntur οἱ θεοὶ, τοὶ Περσίδα γῆν λελόγχασι.

24. Etymol. M.: Εὐνοῦχος, σπάδων, τομίας· ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν, καὶ ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φυλάσσειν. Eadem verba, ſed contaminata, repetiit Phauorinus v. Εὐνοῦχος· Εὐνοῦχος, σπάδων, τομίας, κάλαμος· ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν, ἤγουν φυλάσσειν· ἔχειν γὰρ τὸ ἐπιμελεῖσθαί φασι, καὶ φυλάσσειν· Ἔχειν δέ τι κίονας αὐτός. Κάλαμος huc tranſlatum eſt e Gloſſario Heſychiano, in quo tamen viri docti κάλαβος reſcribi iuſſerunt: et verba Ἔχειν δέ τι κίονας αὐτὸς ſumta ſunt ex Hom. Odyſ. α', 53.: ſed primum reponi ex iſto loco debet ἔχει δέ τε· deinde ἔχειν ibi eſt *ſuſtinere*, *fulcire*.

25. C. 12, 20.

26. Gloſſ. vett. Κοιτωνίτης *Cubicularius*. Κοιτωνίται *Cubicularii*. v. Veſſelingius ad Diod. Sic. p. 457. To. 1.

27. lib. 11. pag. 53. B To. 2. Rhodom.

28. in libello πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον p. 780. C To. 2. Vechel.

ſermonis copiae continentur, annotata legitur: tamen in libris ſcriptorum veterum ipſis nulla eius nunc quidem, quod ſciam, veſtigia comparent. Etenim Lexicographi qui putant, et docent, Aethiopem illum, cuius de virtute Lucas in commentariis de rebus Apoſtolorum commemorat, fuiſſe cubicularium reginae Aethiopum, ii ſine vlla dubitatione falluntur. Quum enim verbis [29] ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς genus dignitatis, atque officii, hominis ita definiatur, vt eum appareat fuiſſe *cuſtodem gazae*, γαζοφύλακα, ſiue ϑησαυροφύλακα, reginae, regiae pecuniae cuſtodem [30]; quum iſtis verbis nomen δυνάστης, exemplo vocabuli Hebraei סָרִיס, propterea praemiſſum ſit, vt intellegeretur, hominem illum fuiſſe de miniſtris aulicis primariis, quorum ſub poteſtate, et imperio, eſſent alii: ſatis certum videtur eſſe, atque apertum, verbo εὐνοῦχος non poſſe vllo modo *cubicularium* ſignificari, immo debere illo, aut *hominem caſtratum*, aut potius *miniſtrum aulicum primarium*, eundemque *euiratum*, indicari. Nam Onquelosus [31] nomen סָרִיס vocabulo רַב interpretatus eſt, atque Alexandrini Iudaei [32] illud nomine δυνάστης explicarunt: et vt ſcriptores Noui Teſtamenti verbis barbaris Graeca, tanquam interpretamenta, addere ſolent [33], ita Lucas, non modo hanc ipſam ratio-

29. Act. 8, 27.
30. Curt. 5, 1. 20.
31. Vid. ſupra not. 11.
32. Ier. 34, 19.: vbi auctor verſionis Latinae habet *eunuchi*, ſequutus auctoritatem alius cuiuſdam interpretis Graeci, e cuius reliquiis Montefalconius protulit εὐνοῦχους, quod nomen repererat in codice antiquiſſimo Ieſuitarum collegii Ludouici Magni.

33. Vid. Proluſ. 9, 3. et Proluſ. 14, 5.

rationem ſequutus eſt [34], ſed etiam Graecis verbis, quae ſingularem, et ab vſu loquendi Hebraeorum profectam, poteſtatem haberent, alia vulgaria, quorum vis omnibus cognita eſſet, ſimpliciter, neque vllo adhibito vinculo, adiunxit [35]. Itaque verba eius εὐνȣ̃χος δυνάςης non ſecus

34. Act. 7, 10. ἐναντίον Φαραὼ βασιλέως Αἰγύπτȣ· Euang. c. 11, 15. ἐν Βεελζεβȣ̀λ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων· Act. 8, 27. Κανδάκης τῆς βασιλίσσης Αἰθιόπων. Nam Κανδάκη fuit nomen omnium reginarum Aethiopiae commune. Plin. H. N. 6, 29. Gron. 35. Harduin. *Regnare feminam Candacem, quod nomen multis iam annis ad reginas tranſiit.*

35. Euang. c. 23, 2. λέγοντα, ἑαυτὸν Χριςὸν βασιλέα εἶναι. v. Proluſ. 14, 5. add. Marc. 15, 32. Videtur autem Lucas ea in re conſuetudinem linguae Hebraicae ſequutus eſſe. Hebraei enim conſueuerunt vocabulis ambiguis alia, quibus poteſtas eorum loco quoque definiatur, ſimpliciter adiungere: vt Levit. 4, 3. 14. פַּר בֶּן־בָּקָר, h. e. *vitulus lactens:* Zach. 9, 9. עַל־עַיִר בֶּן־אֲתֹנוֹת: quae verba Sym. vertit πῶλον, υἱὸν ὀνάδος· Aqu. πῶλȣ, υἱȣ̃ ὀνάδων· Theodot. πῶλον, υἱὸν ὄνȣ· auctor verſionis quintae πῶλον, υἱὸν ὄνων· v. Origenes commentarr. in Matth. p. 435. B C To. 1. Colon.: Matthaeus c. 21, 5. πῶλον, υἱὸν ὑποζυγίȣ. Scilicet verba בֶּן־אֲתוֹנוֹת nomini עַיִר addita ſunt, vt intellegi appareret *pullum aſininum*, non quemvis, ſed adhuc *lactentem, ſubrumum*, qui adeo matrem aſſectaretur: Marcus c. 11, 2. eleganter vocat πῶλον, ἐφ' ὃν ȣ̓δεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε, et Lucas c. 19, 30. πῶλον, ἐφ' ὃν ȣ̓δεὶς πώποτε ἀνθρώπων ἐκάθισε· ſed οἱ ό aeque eleganter πῶλον νέον appellant: vt legitur etiam ap. Origenem d. l. et Euſebium D. E. 8. p. 409. D, 9. p. 455. D Col.: Cyrillus Hieroſolym. p. 167. vocat πῶλον ἀσαγῆ, vt Tuteus edidit, cuius nota inſpici poteſt. Nam, neque Grotium audiendum putamus, qui pro νέον e Iuſtino Martyre [dial. c. Tryph. p. 273. A Colon.] reponi iubebat [ad Matth. d. l.] ὄνȣ: neque Vorſtium, qui Philol. S. c. 15. pag. 382. Lipſ. τȣ̀ς ό opinabatur ſcripſiſſe πῶλον, υἱὸν ὄνȣ, quae verba alienae ma-

cus accipienda esse arbitramur, ac si scriptum sit εὐνȣ̃χος, τȣτέςι δυνάςης, ita, vt vana esse videatur Heumani coniectura, qui nomen δυνάςης, tanquam glossema, ex ordine eiiciendum censebat, praesertim quum huic suspicioni auctoritas omnium codicum veterum obstet. Nam quia in aulis regum orientalium ministri omnes omnium ordinum, sed maxime tamen cubicularii, erant euirati: Graeci coeperunt, pro studio vrbanitatis suo, ne aures liberales, et castae, verbis rei propriis offenderentur, propter hanc tantam cubiculariorum, et spadonum, coniunctionem, nomen εὠνȣ̃χος ad *hominem*, *ministrum*, *castratum* ita transferre, vt huius alienae vocabuli potestatis vsus assiduus propriae illius memoriam propemodum extinxerit, atque obliterauerit. Certe Plutarchus [36] *cubicularios* vocat θαλαμηπόλȣς εὐνȣ́χȣς, et Mithridates, *cubicularius* Xerxis, cuius ope Artabanus, satellitum regiorum magister, regem interfecisse perhibetur, a Diodoro Siculo [37] εὐνȣ̃χος, ὃς ἦν κατακοιμιςὴς τȣ̃ βασιλέως, appellatur. Quibus quidem in locis, aliisque similibus, εὐνȣ̃χον quisque videt esse simpliciter

manus mutassent in verba πῶλον νέον· neque Kimchium, qui ad Zach. d. l. annotauit haec, כפל חענין ב״מש, h. e. במלות שונות. Nam vt alius עַיִר est, alius בֶּן־אֲתֹנוֹת: ita non omnis πῶλος ὄνȣ est idem πῶλος, υἱὸς ὄνȣ, h. e. νέος. Et nonne οἱ ό etiam verba גְּדָיֵי עִזִּים, h. e. גְּדָיִים בְּנֵי עִזִּים, Gen. 27, 9. explicarunt, sensum eorum sequuti, verbis ἐρίφȣς ἁπαλȣ́ς? Ab Iohanne tamen, qui c. 12, 15. eundem illum Zachariae vatis locum laudat, ille ipse pullus asininus simpliciter vocatur πῶλος ὄνȣ, h. e. ὀνάριον v. 14. Scilicet Iohannes expressit, pro consilio suo, tantum nomen עַיִר, non item verba בֶּן־אֲתֹנוֹת.

36. V. Alex. M. p. 682. A To. 1. Vechel.

37. lib. 11. p. 278. Steph. p. 53. B To. 2. Rhodom.

pliciter *hominem*, miniſtrum, *caſtratum*, cui ars, manuſque, hominum virilitatem exciderit. Atque talis homo ab ſcriptoribus Talmudicis [38] סְרִיס אָדָם, a Matthaeo [39] *εὐνȣ̃χος, ὅςις εὐνȣχίσθη ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων*, ab ipſis linguae Graecae auctoribus etiam *τομίας* [40], et *ἐκτομίας* [41], vel *ὁ ἐκτμηθεὶς* [42], vel *σπάδων* [43], nominatur. Sed vt *εὐνȣ̃χος* magis probum, atque elegantius, vocabulum eſt, Thoma Magiſtro auctore [44], quam *σπά-*

38. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. סָרִיס.

39. C. 19, 12.

40. Suidas: *Τομίας· εὐνȣ̃χος.*

41. Herodo. 6, 9. extr. coll. c. 32. et Cteſias Perſicc. c. 53. Ioſeph. Archaeol. 10, 11. p. 309. Baſ. *ποιήσας τινὰς αὐτῶν ἐκτομίας.* Heſychius: *Ἐκτομίας· εὐνȣ̃χος, σπάδων.* nam ita legi debet pro *ἐκτομὰς*, vt Aldus edidit. Gloſſ. vett. *Εὐνȣ̃χος, ὁ ἐκτομίας*, *Caſtratus.* v. Xen. Cyrop. 5, 2. 14. coll. ſ. 13.

42. Xen. Cyrop. 5, 3. 5. coll. ſ. 6. 10. et 5, 2, 13. ſ. et 6, 1. 1.

43. Sueton. Domitian. 7.

44. p. 392. *Εὐνȣ̃χος· τὸ δὲ σπάδων Ἀνάττικον.* Heſychius: *Σπάδων· ὁ εὐνȣ̃χος.* Moeris: *Σπάδων, κοινόν· εὐνȣ̃χος, Ἑλληνικῶς.* Sed alia omnia de vſu nominis *σπάδων* praecipiunt iuriſconſulti veteres. Theophilus Paraphr. inſtitutt. 1, 11. 9. p. 117. Reit.: *τῶν γὰρ εὐνȣ́χων, οἱ μέν εἰσι σπάδωνες, οἱ δὲ καςράτοι, οἱ δὲ θλιβίαι· καὶ σπάδωνές εἰσιν, οἵτινες διά τι πάθος, ἢ ψύξιν ἐνοχλήσασαν τοῖς γονίμοις μορίοις, παιδοποιεῖν κωλύονται, τȣ́τȣ δὲ ἀπαλλαγέντες παιδοποιȣ̃σι· θλιβίαι δὲ, οἵτινες ὑπὸ τῆς τροφȣ̃, ἢ τῆς μητρὸς, τυχὸν ἔκθλιψιν τῶν διδύμων ὑπέςησαν· καςράτοι δέ εἰσιν, ἐφ' ὧν γέγονεν ἐκτομὴ τῶν γεννητικῶν μορίων.* Eadem haec verba leguntur ap. Harmenopulum Promtuar. I. C. 2, 8. 2. p. 192. Gothofr., et in Gloſſis verbb. iuris v. *οἱ εὐνȣ̃χοι* Pariſ. a. 1606. 8.: ſed in his pro *διὰ πάθος*, et *ἐνόχλησαν*, et *τοῖς διδύμοις*, reponi debet *διά τι πάθος*, vt in libris Harmenopuli, et *ἐνοχλήσασαν*, et *τῶν διδύμων.* Idem Gloſſar. p. 112. *Σπάδωνες· οἱ ψύξιν τῶν γονίμων μορίων ὑποςάντες.*

σπάδων· ita huius nominis de origine duae feruntur veterum, eaedemque diuersae, sententiae. Stephanus enim Byzantius in Lexico geographico [45] auctor est, artem euirandi pueros primum exercitam fuisse Spadis, vico Persico, vnde pueri euirati dicti essent σπάδοι. Grammatici autem Graeci, in his ille, qui Etymologicum magnum concinnauit [46], nomen σπάδων a verbo σπᾶσθαι, quod etiam *euelli, excidi, exsecari*, significat, ductum esse praecipiunt. Quae quidem posterior sententia quum naturae, et legibus, analogiae non repugnet, immo iis apprime consentanea reperiatur, nec nobis videtur alteri illi esse postponenda, praesertim quum fides Stephani iustis de caussis suspecta esse omnibus possit. Nam, neque vocabulum σπάδοι hodie quidem in vllius auctoris antiqui libris editis extat, neque memoria vici illius Persici ab vllo scriptore vetere alio conseruata legitur. Sed verbis εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, Christus apud Matthaeum vna complexus esse videtur homines euiratos eos, qui a Graecis peculiari nomine θλιβίαι [47], vel θλαδίαι [48], appellantur, quibus, vel de industria ab ipsis parentibus, aliisque,

45. p. 679. Berquel. Σπάδα, οὐδετέρως, κώμη Περσικὴ, ἐν ᾗ πρώτη εὐνουχισμὸς γέγονεν· ὅθεν σπάδοι λέγονται. Τὸ ἐθνικὸν Σπαδονεύς.

46. p. 722. Sylb. Σπάδων σημαίνει τὸν εὐνοῦχον· παρὰ τὸ ἀποσπᾶσθαι τι μέρος αὐτοῦ. Phauorinus: Σπάδων· ὁ εὐνοῦχος· παρὰ τὸ σπᾶσθαί τι μέρος αὐτοῦ.

47. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Θλιβίας· θλαδίας, σπάδων. Sic *Philetaerus*, primus Pergamenorum rex, ab Strabone 13. p. 623. Casaub. dicitur θλιβίας ἐκ παιδός· sed a Luciano Macrobb. p. 470. To. 2. Graeu. et a Pausan. 1, 8. p. 19. εὐνοῦχος.

48. Hesychius: Θλαδίαι· εὐνοῦχοι.

que, in ipſo in vitam introitu, vel in progreſſu aetatis caſu quodam, et fortuna, teſticuli ita compreſſi ſunt, atque contuſi, vt rebus vti Venereis nequeant [49]. Iam ab vtroque hoc iſtorum hominum genere diſtinxit Ieſus εὐνȣ̃χȣς, οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν ȣ̃τω, hoc eſt, *eos, qui nati ſunt ſine extis obſcenis*, quibus natura ipſa virilitatem ademit. Qui quidem homines quoniam Veneris aeſtu nunquam vexantur, ignibus eius nunquam vruntur: propterea ab ſcriptoribus Talmudicis סְרִיסֵי חַמָּה dicti inueniuntur [50]. Sed quia tria haec hominum genera, vel neceſſitate, vel natura, coacta, Venere, et coniugio, abſtinent: facile intellegitur, nomen εὐνȣ̃χος in commentariis Matthaei non ſine grata quadam, venuſtaque, abuſione poſitum legi etiam de eo, qui, nec hominum manu, nec malignitate naturae, impeditus, ſed ſponte ſua, retuſis, fractiſque, innatae libidinis ſtimulis, coniugii, Veneriſque, vincula fugit. Nam εὐνȣ̃χοι, οἵτινες εὐνȣ́χισαν ἑαυτȣ̀ς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν ȣ̓ρανῶν, ſunt *ii*, *qui licet non careant extis obſcenis, tamen impetus amoris ita ſuſtinent, et reprimunt, libidinis ardorem ita reſtinguunt, auxilio diuino adiuti* [51], vt

49. Vnde a Claudiano in Eutrop. 1, 468. dicuntur *exſecti Veneris ſtimulos*.

50. Vid. Buxtorfius Lex. Talmud. v. סָרִיס. Gloſſ. vett. Εὐνȣ̃χος ἀπὸ Φύσεως *Spado: cubicularius*. Harmenopulus d. l. 2, 8. 1. οἱ ἐκ Φύσεως εὐνȣ̃χοι.

51. Nam Matth. 19, 11. Ieſus, Οὐ πάντες, inquit, χωρȣ̃σι τὸν λόγον τȣ̃τον, ἀλλ᾽ οἷς δέδοται, h. e. *non omnes poſſunt, et valent, hanc de caelibatu coniugio anteferendo vocem ſequi, ſed tantum illi, qui facultatem huius rei diuinitus acceperunt*. Nam δέδοται ſimpliciter dictum eſt pro δέδοται ἐκ τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ [Ioh. 3, 27.], vel ἐκ τȣ̃ πατρός μȣ [Ioh. 6, 65.], vel ἐκ

vt vxores ducere nolint, quo, curarum, ſolicitudinumque, coniugii vinculis non impediti, et ab aliis impedimentis liberi, praecepta doctrinae diuinae diligentius poſſint, atque plenius, cognoſcere, et praeſcripta eius ſeruare ſtudioſius, et accuratius. Hac autem diſputatione noſtra de vi, et poteſtate, vocabuli εὐνοῦχος planum ſperamus eſſe factum, deſcriptionem ſignificationum eius ita inſtitui debere, vt eo doceatur proprie *cubicularium*, cuſtodem cubiculi, indicari, cuius tamen notionis veſtigia in libris Noui Teſtamenti nulla appareant: ſed quum cubicularii in aulis regum barbarorum omnes fuerint caſtrati, iſtud vocabulum in Lucae quidem actis Apoſtolorum poſitum extare de *homine caſtrato*, vel potius de *miniſtro* aulico *primario*, eoque *euirato*, ſed in Matthaei commentariis, non modo de *homine manu humana, caſuue quodam, euirato* legi, ſed etiam tranſferri, primum ad *hominem natura euiratum*, deinde ad *eum, qui*, nec natura, fortunaue, nec manu, arteque, humana, coactus, verum *ſua ſponte*, auxilio diuino adiutus, *coniugio abſtinet*[52]. Atque iſta de hoc quoque Lexicorum Noui Teſtamenti vitio, quod in notionibus verborum praepoſtere collocatis, neque recte ordinatis, cernitur, tironum admonendorum, diligentiaeque eorum excitandae, cauſſa, diſputata ſunto.

V. Hoc autem, et reliqua iſtorum librorum vitia omnia, quum nemini videre prius, et facilius

ἐκ Θεοῦ [1. Corr. 7, 7.]: vt Marc. 10, 40. οἷς ἡτοίμασαι, h. e. οἷς ἡτοίμασαι, ὑπὸ τοῦ πατρός μου Matth. 20, 23.

52. Conf. Clemens Alex. Stromatt. 3. p. 426. ſ. Colon.

lius emendare, liceat, nisi iis, qui assidue, et diligenter, in legendis, enarrandisque, libris diuinis vtriusque aetatis versentur, et ita versentur, vt cum lectione eorum, atque interpretatione, studiose coniungant cognitionem, enarrationemque, librorum Graecorum, et Latinorum; quum huius curae, et diligentiae, comparandae, et augendae, et perficiendae, opportunitas nemini facile maior, et iucundior, contingat, quam idoneis scholarum magistris, quibus id negotii datum sit, vt mentes, et ingenia, adulescentium opibus omnis humanitatis ita instruantur, atque ornentur, vt apti, paratique, accedant ad copias grauiorum doctrinarum, et recte collegendas, corripiendasque, et sapienter tractandas, atque in vsus aliorum conuertendas; quum cognitione sapientiae diuinae, et humanae, cuius praeceptis volumina Hebraica, et Graeca, et Latina, refertissima sunt, nihil dulcius, et iucundius, nihil publice, et priuatim, salutarius, nihil ad vitam recte, et honeste, tranquille, et otiose, agendam accommodatius, efficaciusque, reperiatur: sane non parum mirandum esse putamus, numerari nostris maxime temporibus tam paucos, qui sibi personas, et partes, doctorum literarum in scholis Graecis, et Latinis, ita imponi velint, vt in iis agendis, et sustinendis, omne aeuum, omnem aetatem, transigant; praesertim quum hoc vitae, studiorumque, genus multis aliis, et eximiis, bonis, atque commodis, fruatur, quibus vniuersis alia vitae genera omnia fere careant. Atque haec vitae scholasticae bona, et commoda, persequi, ante suum e schola Thomana in academiam Lipsiensem discessum, constituerunt perendie oratiunculis Latinis alumni

diſciplinae noſtrae tres, IOH. CAR. LIZQVENDORFIVS, *Linda Miſnicus*, CAR. IRENOTHEVS RVDELIVS, *Triptiſienſis*, CHRISTI. THEOCHARIS VOGELIVS, *Delitienſis*, bonae ſpei adoleſcentes, qui multum induſtriae adhuc, et ſtudii, in verſandis vtriuſque linguae voluminibus poſuere. Quas quidem eorum oratiunculas vt praeſides, et curatores, adiutores, et fautores, rei Thomanae audire frequentes, fauenteſque, velint, ab iis ita petimus, vt maiore cura, maiore ſtudio, non poſſimus, ſpondeamuſque, nos huius beneficii, et ornamenti, fore nunquam immemores. Scripſimus Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. V. Kal. Maias A. C. CIƆIƆCCLXXXIIII.

PROLV

PROLVSIO SECVNDA ET VICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN RECEPTIS LECTIONIBVS FALSIS PRO VERIS ET GLOSSEMATIS PRO GLOSSIS

Q. B. V

Homines docti, qui hoc, atque superiore, saeculo studia adulescentium in cognoscendis veterum linguae Graecae auctorum monumentis opera sua ita adiuuare instituerunt, vt composuerint libros, qui verba, et formulas, quibus scriptores singuli vsi essent, vel omnes, vel certe eas, quarum sensus obscurior, et implicatior, videretur esse, explicatas, illustratasque, continerent, ii hac in re omnes eam reperiuntur curam, diligentiamque, adhibuisse, vt, non modo ostenderint, quod exemplum, quam recensionem textus verborum, scriptoris cuiusque in conficiendis Lexicis sequuti essent, sed etiam admonuerint lectores, sicubi aliis in exemplis aliae lectiones essent in ordinem receptae, vel si pro glossis glossemata a librariis substituta inuenirentur, vel si verba aduenticia alia in contextum immigrassent, vel si ingeniosa interpretum solertia locos

deprauatos, mendoſeque ſcriptos, emendaſſet, correxiſſetque. Cuius quidem horum virorum ſapientiae, prouidentiaeque, veſtigia perſequi debebant conditores Lexicorum Noui Teſtamenti omnes, qui vellent doctrina ſua ingeniis, non puerorum; in hos enim intellegentia librorum diuinorum qui cadat? ſed aduleſcentium, etiam iuuenum, ingenuorum ita opitulari, vt ſententiam orationis ſcriptorum ſacrorum, et facilius, et certius, inveſtigare, ac reperire, valerent. Quis enim, quaeſo, eadem cum Euangeliſtis, atque Apoſtolis, vnquam cogitaturos eſſe ſperet eos, qui orationem eorum verbis, vel alienis, et ſpuriis, vel corruptis, et deprauatis, contaminatam, interpolatamque, non explicatam, ſed implicatam etiam magis, viderint? Et quis tandem putet, prodeſſe quidquam lectoribus Noui Teſtamenti inexercitatis poſſe ſtudia eorum, qui interpretentur verba, quae non in omnibus librorum diuinorum editionibus, certe aliter ſcripta in multis, inueniantur? Etenim vt lectionem exemplorum Noui Teſtamenti multis in locis inter ſe diſcrepare conſtat: ita omnes, quorum animi non vana quadam, ineptaque, ſuperſtitione capti teneantur, facillime dant, atque concedunt, praeſertim quum res ipſa intellegentiſſimum quemque ita ſtatuere, non tam iubeat, quam cogat, commentarios Euangeliſtarum non minus, quam Apoſtolorum epiſtolas, per neglegentiam, imperitiamue, librariorum iiſdem vitiis ſcripturae, ac mendis, deformatas eſſe, quibus libros Graecorum ſcriptorum deturpatos oſtendimus, et ita deformatas eſſe, vt elegantiſſimis corpuſculis venuſtas priſtina reſtitui, ſine auxilio grauis cuiuſdam, circumſpectaeque, ſoler-

lertiae, non poſſit. At enim Lexicographi Novi Teſtamenti omnes, neque tantum ii, qui accurata linguae Graecae, legumque artis interpretandi, ſcientia carerent, velut Paſor, Stocquius, etiam Simonius, et alii, ſed etiam hi, qui grammaticae, criticaeque, facultatis laude florerent, velut Suartius, et Schoetgenius, adeo improuidi, et neglegentes, hoc quoque in genere fuerunt, vt libros ſuos multis alienis, inſitiuiſque, verbis auxerint, gloſſemata [1] in illos pro gloſſis receperint, coniecturas interpretum, et veterum, et recentiorum, omnes, etiam elegantes, idoneaſque, ſilentio praeterierint, et ne verbo quidem ſignificarint, cuius exempli fidem, cuius recenſionis textus Graeci auctoritatem, in componendis Lexicis ſequuti ſint. Quae quidem iſtorum hominum neglegentia cui non videatur eſſe etiam propterea reprehendenda, quod in animis lectorum liberalium, non augeat, et inflammet, immo imminuat, et vero extinguat, cupiditatem, et ſtudium, copias linguarum veterum ita collegendi, vt omnia interpretationis legitimae inſtrumenta, hoc eſt, grammatices, criticeſque, ſubſidia, aſſiduitate, et diligentia, lectionis ſcriptorum vtriuſque linguae claſſicorum comparent, quorum poſſeſſione, et vſu, carere nemo poſſit, qui velit libros diuinos, et intellegere recte, et accurate interpretari? Age

 igi-

1. Iac. Haſaei diſſertatio de gloſſematis quorundam locorum N. T. continetur biblioth. Brem. claſ. I. faſc. 5.: et ante hos annos duo Titmanus, theologus Vitebergenſis, edidit elegantem proluſionem de gloſſematis, aliiſque verbis aduenticiis, N. T., ipſi gloſſas dicere placuit, et recte inueſtigandis, et a verbis innatis, atque gloſſis, accurate diiudicandis.

igitur, huius quoque multiplicis vitii Lexicorum Noui Teſtamenti inutilitatem magnam, et turpem, patefacere, atque demonſtrare, exemplis nonnullis conabimur.

II. Scilicet in commentariis Matthaei, vbi duo Apoſtoli pullum aſininum, quo Ieſus vehens vrbem peteret, mandatu eius, adduxiſſe narrantur, ibi, ſimulac illi ipſi diſcipuli iumentum palliis ſtrauiſſent ſuis, ſtatim magiſter eorum optimus in illud conſcendiſſe perhibetur [2]. Namque praeſtantiſſimis in exemplis, et ſcriptis, et editis, verba Euangeliſtae ita ſcripta leguntur, καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν, hoc eſt, *tum conſcendit* Ieſus *in eum*, pullum aſininum. Quum enim Ieſus pullo tantum aſinino vectus eſſe intellegatur [3]; quum Hebraei nominibus non magis, quam pronominibus, pluralibus ita vſi reperiantur, vt vnum ex pluribus ſignificaretur [4]; quum Matthaeus hanc ipſam rationem loquendi, cuius veſtigia quaedam in carminibus principis poëtarum impreſſa apparent [5], ſine vlla dubitatione ſequutus ſit: vix attinet dicere, verba ἐπάνω αὐτῶν,

2. C. 21, 7.

3. Vid. Marc. 11, 7. Luc. 19, 35. Ioh. 12, 14.

4. Iudd. 12, 7. וַיִּקָּבֵר בְּעָרֵי גִלְעָד: ad quem locum Kimchius recte notauit haec, בדרך הפשט פירוש בערי הגלעד באחת מערי הגלעד. Nam Alexandrini quidem interpretes legiſſe, certe legendum cenſuiſſe, videntur בְּעִירוֹ. verterunt enim verba ſcriptoris diuini ſic, καὶ ἐτάφη ἐν πόλει αὐτοῦ Γαλαάδ· ex quibus eorum verbis expreſſa ſunt Latina, quae in verſione vulgata leguntur, *ac ſepultus in ciuitate ſua Galaad*. Gen. 19, 29. אֶת־הֶעָרִים אֲשֶׁר יָשַׁב בָּהֵן לוט, hoc eſt, Abeneſra interprete, באחת מהן. Conf. Bochartus Hieroz. P. 1, 2. 17. p. 212. To. 1. Leid. et Monachius ad Varr. SS. p. 37. ſ.

5. Il. κ', 513. 529.: quos locos eandem in rem laudauit Clericus A. C. 2, 1. 10. 7.

τῶν, non ad pallia, vt Beza, aliique, post Theophylactum [6], repugnante omni loquendi vsu, censuere, verum ad pullum asininum, referenda esse, ita, vt idem declarent, quod verba ἐπ' αὐτῷ, vel ἐπ' αὐτὸ, in euangelio Marci [7], et Iohannis [8], atque adeo scripturam ἐπάνω αὐτοῦ, quam idem Beza ostendit a se in codice suo vetustissimo inuentam esse, ex interpretamento pronominis pluralis extitisse. Quo quidem ex fonte etiam eas lectiones fluxisse euidentissimum est, quas ab interprete Syro expressas videmus [9]. Sed verbum ἐπικαθίσαι, quod, posita verbi actiui persona, fere verbi medii partes suscipit, etiam a Matthaeo, interpretum Veteris Testamenti Alexandrinorum exemplo [10], ita est vsurpatum, vt potestate par esset verbo Hebraeo רָכַב, hoc est, significaret *conscendisse*, siue sponte, siue manibus aliorum subleuatum. Nam verbum simplex ἐκάθισεν, quod in codicibus nonnullis inuenitur,

6. ad Matth. d. l. p. 87. Rom.: Ὁ μὲν Λουκᾶς, καὶ ὁ Μάρκος, ὑποζύγιον μόνον εἶπον, Ματθαῖος δὲ ὄνον, καὶ πῶλον, οὐκ ἐναντία λέγοντες. Ἀγομένῳ γὰρ τῷ πώλῳ συνηκολούθει καὶ ἡ μήτηρ. Ἐκάθισε δὲ ἐπάνω αὐτῶν, οὐχὶ τῶν δύο ὑποζυγίων, ἀλλὰ τῶν ἱματίων· ἢ πρῶτον μὲν ἐκάθισεν ἐπὶ τῆς ὄνου, εἶτα καὶ ἐπὶ τοῦ πώλου· ἐπεὶ καὶ πρῶτον ἐπανεπαύσατο τῇ τῶν Ἰουδαίων συναγωγῇ, εἶτα τῷ ἐκ ἐθνῶν λαῷ. Quae quidem posterior verborum ἐπάνω αὐτῶν interpretatio, ratioque eius, quam ineptae sint, et per se apparet, et ex supra dictis intellegi potest.

7. C. 11, 7.

8. C. 12, 14.

9. Verba Matthaei, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω αὐτῶν τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν, vertit sic,
ܘܣܡܘ ܥܠ ܥܝܠܐ ܢܚܬܝܗܘܢ
ܘܪܟܒ ܥܠܘܗܝ ܝܫܘܥ.

10. Vid. 2. Sam. 13, 29.: vbi Complut. habet ἐπέβησαν, ex alia scilicet versione. vid. not. 12.

nitur, et ab Erasmo erat in exemplo primo in ordinem receptum, vix dubitari posse puto [11], quin translatum illuc a librariis fuerit e margine librorum, in quo esset a grammaticis ex euangelio Marci, Iohannisue, enotatum. Bezae autem, etiam Erasmo in exemplo tertio, Curcellaeo item, Gregorio, et aliis, visum est in locum singularis ἐπεκάθισεν pluralem ἐπεκάθισαν sufficere, in quem numerum mutassent alterum manus eorum, qui apud Lucam [12] legi vidissent ἐπεβίβασαν τὸν Ἰησοῦν, ita, vt verbum ἐπικαθίσαι, quod, vt verbum ἐπιβιβάσαι, Hebraeo verbo הִרְכִּיב responderet, *intulisse* significaret. At non cogitarunt isti homines, leges linguae, vsumque loquendi, vt Graecorum, ita etiam Hebraeorum, vetare verbum actiuum ἐπεκάθισαν simpliciter poni, immo casum illi quartum personae, tanquam necessarium socium, adiungi iubere [13]. Quod quidem quum animaduertissent alii, qui paulo sapientiores, diligentioresque, essent: ausi sunt orationem Matthaei ita diffingere, καὶ ἐπεκάθισαν αὐτὸν ἐπάνω. Certe quum in

11. Vid. Prolusſ. nostrarum in V. et N. T. 5, 4. p. 123.

12. C. 19, 35. Sic 1. Regg. 1, 44. in plerisque exemplis vers. Alex. est, καὶ ἐπεκάθισαν αὐτὸν ἐπὶ ἡμίονον τοῦ βασιλέως· sed in exemplo Complutensi legitur, καὶ ἐπεβίβασαν αὐτὸν ἐ. ἡμ. τοῦ βασιλ.: scilicet verbum ἐπεβίβασαν videtur sumtum esse ex Aqu., aut Symmachi, versione. Certe Aquila Ps. 68, 34. verbum Hebr. רֹכֵב reddidit Graeco ἐπιβεβηκέναι, sed 2. Sam. 13, 29. verba καὶ ἐπέβησαν ἕκαστος ἐπὶ τὴν ἡμίονον αὐτοῦ, quae Montefalconius in cod. reg. primo reperit pro Hebr. וַיִּרְכְּבוּ אִישׁ עַל־פִּרְדּוֹ, Symmachum puto auctorem habere. Hic enim interpres etiam Numerr. 2, 17. nomen אִישׁ pro nomine ἕκαστος explicauit.

13. Vid. 1. Regg. 1, 33. 38. 44.

in verſione Latina vetere legantur verba, *et eum deſuper ſedere fecerunt:* auctorem eius neceſſe eſt adhibuiſſe codicem, in quo oratio Euangeliſtae ita, vti oſtendimus, ſcripta reperiretur. Interpres enim Matthaei Hebraeus, cuius verſionem Seb. Munſterus edidit, vt alibi, ita hic [14] quoque, interpretis Latini veteris, tanquam optimi ducis, veſtigia eſt ſequutus. Etſi igitur ex iis, quae breuiter a nobis de iſto Euangeliſtae loco diſputata ſunt, ſatis iudicari poſſe ſperamus, eum ἐπεκάθισεν ſcripſiſſe, non ἐπεκάθισαν: tamen Stocquius, Suartius, et Schoetgenivs, verbum ἐπικαθίζειν in Lexica ſua ſic coniecere, vt illud verbis Latinis *collocare*, et *imponere*, interpretati ſint. At enim debebant, primo verbum Graecum potius Latino verbo *inferre* [15] explicare, deinde alteram quoque lectionem commemorare, eiuſque interpretationem ita addere, vt tirones, qui exemplis Noui Teſtamenti vterentur, in quibus ἐπεκάθισεν legeretur, haerere ne cogerentur, immo docerentur ipſi exiſtimare, vtra ſcriptura eſſet, per leges grammaticas, ſincera, et germana, ponenda. Neque vero tantum in explicandis verbis ſingulis ita neglegentes fuere Lexicographi, vt ne admonuerint quidem lectores, ſi qua forte ſcripturae eorum diuerſitas non contemnenda in exemplis idoneis, ſiue ſcriptis, ſiue editis, inueniretur, nedum ea attulerint, quae ad lectiones veras a falſis diiudicandas valerent, ſed etiam in laudandis verbis iunctis ita verſati ſunt, vt eiuſdem incuriae documenta dederint aeque multa, et

14. Vertit enim verba Matthaei ſic, וַיַּרְכִּיבוּ אוֹתוֹ מִמַּעַל.

15. Caeſar B. G. 6, 30. 4. *Iis pugnantibus, illum in equum quidam ex ſuis intulit.*

et magna. Namque verbum προσαναλίσκειν, quod in Lucae commentariis [16] legitur de muliercula, quae, quum duodecim annos in menstruis fuisset, totasque facultates suas in mercedem medicorum, sine vlla salutis spe, erogasset, tandem, apprehensis pallii Iesu oris, valetudinem recuperauit, Lexica omnia docent cum praepositione εἰς construi. Erasmus scilicet primo, deinde Beza, et post eos alii, pro ἰατροῖς προσαναλώσασα, quae est Complutensis exempli, optimorumque codicum, lectio, ediderunt εἰς ἰατροὺς προσαναλώσασα. Quam quidem constructionem verbi προσαναλίσκειν, cui facile appareat Euangelistam vim verbi ἀναλίσκειν, hoc est, δαπανᾷν [17], quod verbum apud Marcum [18] legitur, subiecisse, Graecam esse, atque elegantem [19], quis neget? Sed ea ipsa ex re iudicari recte posse videtur, manus grammaticorum inepte sedulas structuram verborum Hebraicam in Graecam mutasse. Neque enim vllo modo dubitandum opinor, quin Marcus, et Lucas, verbis Graecis προσαναλίσκειν, et δαπανᾷν, reddiderint Hebraeum verbum הוֹצִיא, vel Chaldaeum אַפֵּק, ab cuius vsu nec Syros abstinuisse nouimus. Nam quoniam ii, qui impensam in rem aliquam faciunt, qui pecunias in aliquos sumtus erogant, eas efferunt, et quasi exire iubent, ex aedibus: idcirco, cum vtrumque illud verbum eleganter, et ipsius rerum naturae inuitatu, ab Hebraeis [20], et Chaldaeis,

16. C. 8, 43.

17. Etymol. M., et ex eo Phauorinus: Ἀναλίσκω, τὸ πορθῶ, καὶ δαπανῶ.

18. C. 5, 26.

19. Cyrop. 2, 4. 8. Ὁπόσα δ' ἦν, τούτων πάνυ ὀλίγα λοιπὰ ἔχω· ἀνήλωκα δὲ, ἔφη, εἰς τοὺς στρατιώτας. Atque eodem modo constructa verba τελεῖν, et δαπανᾷν, leguntur 8, 1. 4. 8, 3. 17.

20. 2. Regg. 12, 12.

daeis, atque Syris [21], ita vſurpatum eſt, vt idem declararet, quod verba Graeca ἀναλίσκειν, et δαπανᾷν, tum nomini נִפְקָא a Chaldaeis [22], Syriſque [23], eſt poteſtas Graecorum nominum ἀνάλωμα, et δαπάνη, tributa. Vnde etiam extitit iocus vrbanus Carionis ſerui in Ariſtophanis fabula, quae Plutus inſcribitur. Chremylus enim quum domum vna cum Pluto reuerſus diis ſacrificare inſtituiſſet, quod ex inope diues inopinanter factus erat: ſeruus, qui rebus domini proſperis totus immutatus eſſet, adeo, vt oculi eius nec fumum lignorum ferre poſſent, exiens foras, et ſpectatoribus oſtendens, Chremylum iam opulentum eſſe, Ὡς ἡδὺ, inquit [24], πράττειν, ὦ 'νδρες, ἐστ' εὐδαιμόνως, Καὶ ταῦτα μηδὲν ἐξενεγκόντ' οἴκοθεν, hoc eſt, *Quam ſuaue eſt, o ciues, atque iucundum, beatum, et diuitem, eſſe, Praeſertim ſine vllo impendio.* Vti autem poëta hanc ſententiam ab Carione iſtis potiſſimum exprimi verbis iuſſit, quo oratio eius reſponderet Pluti orationi, quem paulo ante ita loquentem feciſſet [25], οὐδὲν ἐκφέρειν Πρεπῶδές ἐστιν, ἀλλὰ μᾶλλον εἰσφέρειν, id eſt, *nihil erogare, neque impenſae quidquam facere, Conuenit, immo accipere aliquid, et redigere:* ita verbo ἐκφέρειν, et formula ἐξενεγκεῖν οἴκοθεν, ſatis euidens eſt, idem, quod verbo ἐξοδιάζειν, ſignificari. Hoc enim verbum dialectus Dorica [26] primo, deinde Macedonica [27], in primiſque Alexandrina [28], ad modum

21. Ionath. 2. Regg. d. I. Syr. Marc. 5, 26. Luc. 8, 43.

22. Eſr. 6, 4.

23. 1. Corr. 9, 7.

24. v. 802. ſ.

25. v. 792. ſ.

26. Vid. Hemſterhuſius ad Ariſtoph. Plut. 381. p. 111.

27. Nomen ἔξοδος de *expenſa*, et formula ἔξοδον ποιεῖν pro *impenſam facere*, leguntur ap. Polyb. 6, 11.: vt πρόσοδοι ſunt *reditus* ap. Xen. Cyrop. 8, 1. 3. ſ., vbi referuntur ad δαπανήματα.

28. Vid. not. 32.

modum verbi Hebraei הוציא, et Chaldaei אַפֵּקָה, vsurpasse, tandem communis Graecorum lingua [29] frequentasse, videtur, ita, vt potestatem haberet cum verbis δαπανᾷν, et ἀναλίσκειν, communem. Certe glossographi, et scholiastae, veteres, non modo nomina ἔξοδος, et ἐξοδιασμὸς, nomine Graeco ἀνάλωμα, vt hoc nomen vocabulo ἔξοδος, atque Latinis nominibus *erogatio*, et *expensus*, explicarunt [30], sed etiam verbum ἀναλίσκειν verbis ἐξοδιάζειν, et *erogare*, atque *expendere* [31], interpretati sunt. Itaque quum Alexandrini Iudaei verbum Hebraeum הוציא verbo Graeco ἐξοδιάζειν [32], et Chaldaicum nomen נִפְקָא Graeco nomine δαπάνη [33], reddiderint: quis dubitet, quin Lucas, cuius menti idem illud verbum Hebraeum, vel etiam Chaldaicum אַפֵּקָה, obuersaretur, verbo id Graeco προσαναλίσκειν expresserit, praesertim quum interpres Syrus commentariorum eius illo ipso verbo Chaldaico vsus sit? Vtriusque autem verbi, et Chaldaici, et Hebraei, comitem esse particulam ל constat [34]: quam quum Lucas non minus, quam septuaginta interpretes Veteris Testamenti, scirent fere casus tertii indicem esse: vti hi verbo ἐξοδιάζειν datiuum personae adiunxerunt [35], sic ille verbo προσαναλίσκειν eundem

29. Vid. Cangius Glossar. v. ἐξοδιάζειν.

30. Gloss. vett. Ἐξοδιασμὸς *Erogatio*. Ἔξοδος, ἀνάλωμα, *Erogatio*, *expensus*. Hesychius: Ἀνάλωμα· ἔξοδος· vbi v. Neocorus.

31. Schol. Doruil. Aristoph. ad Plut. 381. ἀναλώσας· ἐξοδιάσας. v. Prolus. 7, 2. 13. Gloss. vett. Ἐξοδιάζω *Erogo*, *expendo*.

32. 2. Regg. 12, 12. in edit. Complut.: vt ibid. v. 13. pro Hebr. יֵצֵא in omnibus libris eiusdem versionis legitur ἐξωδιάσθη, h. e. *expensa* Vulg. v. Prolus. 7, 2. 13.

33. Esr. 6, 4.

34. 2. Regg. 12, 12.

35. 2. Regg. d. *l.*

dem casum recte addi posse putauit, ita, vt, neglecta ratione Graeca, pro ἥτις εἰς ἰατρὲς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον, consuetudinem loquendi Hebraeorum sequutus, scripserit ἥτις ἰατροῖς προσαναλώσασα ὅλον τὸν βίον. Quae quum ita sint: quis non vehementer laudandam Bengelii, et Grisbachii, etiam Matthaei, sapientem diligentiam censeat, quod in illo Euangelistae loco veram scripturam restituerint? et cui non acriter vituperanda videatur temeraria Lexicographorum neglegentia, quod, allata lectione falsa, alteram verbi προσαναλίσκειν constructionem ne attigerint quidem?

III. Sed multo etiam magis notanda est haec eorum incuria, qua commiserunt, vt multa verborum interpretamenta, quae grammaticos haberent auctores, pro ipsis scriptorum diuinorum verbis ex editis, quae inspexissent, exemplis in Lexica transferrentur. Etenim in omnes huiusmodi libros e Matthaei [36], Marcique [37], euangelio aduerbium πεζῇ relatum, et ab conditoribus eorum verbis Latinis *pedestri*, *terrestri*, *itinere*, *pedibus* [38], explicatum, inuenitur. Iam etsi non nescio, in omnibus propemodum codicibus euangeliorum antiquis ita scriptum legi: tamen idem spero, adhibita legum criticarum, vsusque loquendi sacrorum scriptorum auctoritate, doceri facile posse, ipsum Matthaeum ἠκολέθησαν αὐτῷ πεζοὶ, et Marcum πεζοὶ συνέδραμον ἐκεῖ, scripsisse, sed grammaticos adiectiuum nomen πεζοὶ esse aduerbio πεζῇ interpretatos. Neque enim artis

36. C. 14, 13.
37. C. 6, 33.
38. Sueton. Calig. 47. Claud. 17.

artis criticae ſtudioſos fugit, quam mira, et conſtans, multis in locis auctorum vtriuſque ſermonis veterum reperiatur codicum omnino omnium, etiam eorum, quorum probitas ſit caeteroquin plane perſpecta, contra veras lectiones conſpiratio, et conſenſus; quam pauci ſaepe codices, nec raro ii, qui non in optimis numerentur, genuinam, incorruptamque, ſcripturam conſeruarint; ita, vt in diiudicandis lectionibus veris a falſis, non ſolus codicum antiquorum numerus ſpectandus ſit, immo ipſius maxime ſententiae, et conſuetudinis loquendi ſcriptoris cuiuſque, rationem haberi oporteat. Iam vero apud Matthaeum in codice Stephaniano octauo, qui nunc codicum bibliothecae regiae Pariſienſis ſecundus, et ſexageſimus, eſt, diſerte ſcriptum πεζοὶ, etiam Griſbachio auctore, qui ſumma eum denuo diligentia contulit, legitur, et apud Marcum eandem a ſe lectionem in duobus exemplaribus vetuſtis repertam eſſe Beza oſtendit. Qui quidem codices quanquam videri poſſint eſſe in numero eorum ponendi, quorum ſcripturam alienae manus immutarint, interpolarintque, e verſione Latina vetere: huius enim verſionis auctor quum in vtriuſque Euangeliſtae commentariis poſuerit *pedeſtres*, cui dubium ſit, quin ſuo in codice πεζοὶ, non πεζῇ, ſcriptum inuenerit? tamen, et grammaticorum veterum ſedulitatem improuidam, et verſionis librorum alterius Teſtamenti Alexandrinae auctoritatem, quam Euangeliſtas in primis ſequutos eſſe nouimus, alia omnia docere quemque poſſe putamus. Quemadmodum enim grammatici adiectiua nomina, quae viderent partes aduerbiorum agere, fere aduerbiis, vel inter verſus paginarum, vel in earum margine, explicarunt,

carunt, quae interpretamenta librariorum ſtultitia fere pro ipſis adiectiuis in ordinem recepit [39]: quo in numero ipſum aduerbium πεζῇ habetur [40]: ita ſeptuaginta interpretes Teſtamenti Veteris formulas Hebraeas בְּרַגְלָיו, et בְּרַגְלוֹ, Graeco adiectiuo πεζὸς eleganter ſane expreſſerunt [41], quum πεζὸς ſit, ipſis grammaticis Graecis auctoribus [42], ποσὶν ἁπλῶς βαίνων, hoc eſt, ὁ διὰ τῶν ἰδίων ποδῶν τὴν ὁδὸν ποιούμενος. Matthaei autem, et Marci, animo, quum vix dubitari poſſe videatur, quin obuerſata fuerit Hebraea formula בְּרַגְלֵיהֶם, quae eadem in verſione euangelii Matthaei a Munſtero vulgata legitur: nonne explo-

39. Xen. Cyrop. 2, 1. 14. ὅπως μήποτε ἀνίδρωτοι γενόμενοι ἐπὶ τὸ ἄριςον, καὶ τὸ δεῖπνον, εἰσίοιεν· ſed ap. Suidan v. ἀνιδιτὶ legitur ἀνιδρωτὶ, vt Brodaeum quoque legi iuſſiſſe video, quum tamen partic. γενόμενοι aduerbium nullo modo ferat: 5, 3. 19. πορεύεσθαι ἐκέλευεν ἡσύχως· ſed haud dubie e cod. Altorp., etiam aurium gratia, reſcribi ἥσυχον debet: ſequuntur enim deinceps verba ἕως ἄγγελος· 6, 2. 6. ἡσυχαίτεροι — διεφοίτων· ſed cod. Alt. habet ἡσυχαίτερον aeque male, ac 2, 1. 14. πρᾳότερον συνεςήκασι, pro πρᾳότεροι.

40. Xen. anab. 7, 1. 1. πεζοὶ ἐξιόντες· ſed in cod. Eton. ſcriptum legitur πεζῇ. add. Herodo. 5, 98. 6, 16.

41. 2. Sam. 15, 17.: vbi tamen in cod. Vatic. eſt πεζῇ pro πεζοὶ, cod. Alex. Complut. Ald. lectione: vt v. 18. in Complut. et Ald. legitur πεζοὶ, Vulg. *pedites*, quum cod. Vatic. habeat τοῖς ποσὶν αὐτῶν, quae videntur eſſe verba Aquilae, ita, vt pro αὐτῶν reponendum αὐτοῦ cenſeam. certe v. 16. verborum בְּרַגְלָיו in exemplo Complutenſi legitur duplex interpretatio, πεζοὶ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ. Quis vero dubitet, verba τοῖς ποσὶν αὐτοῦ Aquilae, nomen πεζοὶ ſeptuaginta interpretibus, tribuere? etſi non neſcio, Montefalconium in m. cod. regii primi inueniſſe πεζοί.

42. Vid. Euſtathius ad Il. δ' p. 471. Rom.: cuius verba deſcripſit Phauorinus v. πεζὸς· et Etymol. M. v. πέδη.

ratum satis ponatur, vtrumque Euangelistam, non πεζῇ, sed πεζοὶ, scripsisse? Itaque Lexicographi Noui Testamenti libros suos, non glossemate πεζῇ, sed glossa πεζοὶ, locupletare debuisse videntur, certe lectores eorum admonere, adverbium πεζῇ, quod in omnibus exemplis editis legeretur, speciem glossematis prae se ferre. Ab qua quidem suspicione etsi aduerbium πεζῇ ita vindicari posse videatur, vt in libris scriptorum Graecorum constare dicas a grammaticis saepenumero etiam adiectiua esse in locum aduerbiorum suffecta [43]: tamen hanc rationem puto propterea valere non posse, quod repugnet vsui loquendi septuaginta interpretum, quem Euangelistas manifestum sit esse etiam hoc in genere sequutos. Accedit, quod oratio tum incerta existeret, atque ambigua. Nam vocabulum πεζῇ quando refertur ad eos, qui iter faciunt nauibus, de terrestri fere itinere ponitur, siue pedibus illud, siue iumentis, siue vehiculis, fiat [44]. Iudaeos autem illos, qui Iesum, Apostolosque, persequuti perhibentur in solitudinem Bethsaidae, non vehiculis, non iumentis, sed pedibus, iter fecisse, non modo ipsa rei narratio, sed etiam inopia hominum, declarat, qui ne viaticum quidem secum tulissent, neque aegrotorum, quibus Iesus salutem tum restituisse legitur, eam fuisse infirmitatem apparet, quin pedibus iter facere valuerint, ita, vt mirer, Kypquium, et alios, verba Euangelistarum, praeeunte interprete

43. Vid. Iensius Lectt. Luciann. p. 212. s.

44. Herodo. 5, 112. 7, 110. 115. Xen. Cyrop. 8, 6. 9. Vid. Kypquius ad Matth. 14, 13. Sic etiam πεζὸς legitur ap. Pindar. Pythth. 10, 46. et Aeschyl. Perss. 721. Sed πεζῇ *pedibus* est ap. Herodo. 7, 40.

te Syro [45], omnino de terreſtri itinere accepiſſe. Quis enim neget, iter, quod pedibus fiat, quum ſit terreſtre, recte opponi itineri, quod nauibus fiat, poſſe? Atque eiuſdem generis vocabulum eſt nomen ἐλεημοσύνη, quo Lexica recte praecipiunt etiam *liberalitatem*, *et benignitatem*, *erga egenos*, *atque inopes*, ab ſcriptoribus diuinis ſignificari: ſed perperam hanc in rem laudant locum Matthaei iſtum [46], Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν, μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς. Etſi enim in pleriſque libris, et ſcriptis, et editis, legitur τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν· tamen certiſſimum eſt, etiam Beza, Grotio item, et Millio [47], viris eruditiſſimis, iudicibus, quicquid Calouius, aliique, contra dixerint, nomen ἐλεημοσύνη eſſe interpretamentum vocabuli δικαιοσύνη, quod in multis vetuſtiſſimis, optimiſque, codicibus, velut iis, quibus interpres Latinus vetus [48], atque Beza, vſi ſunt, extitit, profectum a grammaticis, qui ſibi perſuaſum habuerint, declarari illo, ſicut interdum Hebraico nomine צְדָקָה [49], *beneficientiam erga egenos*. Hanc vero nominis δικαιοσύνη interpretationem falſiſſimam eſſe, totius orationis Ieſu, quam Matthaeus literis conſignauit, ſeries ita docet, vt dubitari nullo modo poſſit. Etenim quum Chriſtus vindicaſſet leges quaſdam, et praecepta, diuina, audientibus diſcipulis, a calumnia, prauaque interpretatione, doctorum Iudaeorum, in primiſ-

45. Pro πεζῇ habet ܒܝܒܫܐ.

46. C. 6, 1.

47. in notis ad Matth. d. l. et Prolegg. ſ. 393. ſ.

48. Vertit enim verba Matthaei ſic, *Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.*

49. Vid. Vorſtius Philol. S. c. 2, 18. p. 58. ſſ. Lipſ.

que Pharisaeorum: finita hac disputatione, proponere instituit virtutes quasdam, atque ostendere disciplinae suae alumnis, quomodo versari deberent in iis colendis, et exercendis, ne forte leuitatem, peruersitatemque, vt aliorum principum ciuitatis Iudaicae illius aetatis, ita maxime Pharisaeorum, sequerentur, imitarenturque. Has igitur virtutes primum nominauit vniuerse, earumque depromendarum, declarandarumque, rationem, et modum, exposuit, ac demonstrauit [50]: deinde hoc ipsum praeceptum singulatim ad liberalitatem, quae indigentibus benigne facit pecunia [51], et ad preces [52], et ad ieiunia [53], transtulit. Cuius quidem rei index vel coniunctio ἐν videtur esse, qua praeceptum praecipuum primum cum praecepto communi copulatum cernitur [54]. Nam in tribus quoque istis virtutis generibus Pharisaei maxime omnia ad ostentationem, vanitatemque, nihil ad conscientiam, retulisse putandi sunt. Sic vero euidentissimum est, verbis Christi supra propositis sententiam contineri debere hanc, *Videte, ne virtutis, sanctitatisque, vestrae documenta detis, spectantibus aliis, vt admiratione ab iis afficiamini*, atque adeo Matthaeum vsum esse vocabulo, quo omnino *virtus*, eiusque documenta, significarentur, hoc est, nomine δικαιοσύνη, non ἐλεημοσύνη, ita, vt formula ποιεῖν δικαιοσύνην, quae ex Hebraea עֲשׂוֹת צְדָקָה expressa est [55], et in epistola Iohannis prima [56] formulae ποιεῖν τὴν ἁμαρτίαν opponitur, valeret *virtutem colere, et exercere*, virtutis, et sanctitatis,

50. v. 1.
51. v. 2. — 4.
52. v. 5. — 6.
53. v. 16. — 18.
54. v. 2.
55. Gen. 18, 19.
56. C. 3, 7. f.

tis, documenta dare. Nam verba τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν, quae Matthaeus, rationis Hebraicae admonitu [57], cum imperatiuo προσέχετε coniunxit, proprie cum verbis μὴ ποιεῖν cohaerere existimanda sunt. Neque vero offendi quenquam posse putamus pronomine ὑμῶν, et articulo τήν. Nam quia certa quaedam genera virtutis significantur, in quibus colendis, et exercendis, Christiani fugere omnem ostentationis speciem debeant: sane necesse erat, vt, et articulus, et pronomen, adderentur. Quae quidem omnia quum magnus ille Beza, pro doctrinae suae, sapientiaeque, copia, vidisset: in exemplo suo Noui Testamenti quinto in locum inepti glossematis τὴν ἐλεημοσύνην, quod in exemplis quatuor superioribus retinuisset, glossam τὴν δικαιοσύνην substituendam censuit. Atque hanc viri summi diligentiam ita imitari debebat Bengelius, vt Grisbachius nuper eam imitatus est. Sed de caeteris huius vitii Lexicorum Noui Testamenti partibus anno proximo a nobis, volente deo, exponetur.

IIII. Nunc enim significandum vobis, carissimi collegae, putaui, auditorem classicum, ERN. FRIDER. CRISPINVM, *Delitiensem*, bonae spei adulescentem, perendie, hora quinta vespertina, deo optimo maximo, nostro, et discipulorum nostrorum, nomine, pro beneficiis omnibus in nos hoc quoque anno liberalissime collatis, in auditorio scholae nostrae classico, gratias esse ita acturum, vt Latine diceret *de fructibus, atque commodis, multis, et magnis, quae capere omnibus liceret ex incommodis, calamitatibusque,*

57. Vid. Praefat. ad Velleri Gram. Gr. p. 10.

quas ignis, et aqua, afferunt, et publicis, et priuatis. Etsi enim moesti memineramus, quot, et quantas, clades, quot, quamque horribiles, vastationes, vt aliis Europae, Germaniaeque, partibus, ita etiam multis Saxoniae regionibus, intulisset, primis huius anni mensibus, vndarum maxime furor, et impetus: tamen nulla nobis oratio, neque perendini diei piae, laetaeque, solennitati conuenientior, neque incredibili, summaque, ipsius dei sapientia dignior, videbatur ea, quae ostenderet, quanta maximorum bonorum, vtilitatumque, vis, et copia, contineretur etiam illis rebus, quas malas temeritas vulgi, publiceque, et priuatim, pestiferas, poneret. Huic igitur discipuli nostri, neque a modestiae studio, neque ab cupiditate literarum, alieni oratiunculae ita intererimus, collegae optimi, vt etiam ardentissimis precibus commendemus curae, et tutelae, diuinae in proximum annum salutem, et incolumitatem, ordinis ciuitatis nostrae amplissimi, itemque eorum, qui, vel principis, vel senatus, nomine, et auctoritate, rebus scholae Thomanae praesunt, omnium denique gentium, et familiarum, Lipsiensium, quae fauore suo, et liberalitate, studia magistrorum, et discipulorum, ornant, et adiuuant, sed in primis tamen *Richteriae.* Recordamur enim grati, *Ioh. Frider. Richterum*, Ioh. Zachariae filium, honestissimum virum, et mercatorem primarium, qui ante paucos menses viuere eheu! desiit, nos quoque, pro amore erga literas, earumque doctores, suo, sortis luculentae heredes testamenti tabulis ita reliquisse, vt fructus illius annuos perciperemus. Hac vero viri optimi, et literarum amantissimi, benignitate, agite, ita vtamur, vt enitamur, et

con-

contendamus, iuuante deo, ſummum ſtudium, ſummam diligentiam, ſummam fidem, in erudiendis ingeniis, conformandiſque animis, puerorum, et aduleſcentium, ingenuorum probare patronis, et curatoribus, ſcholae noſtrae non minus, quam ciuibus bonis omnibus. Hac enim virtute noſtra, quid dubitemus, quin futurum ſit, praeſertim vbi etiam modeſtia, et humanitas, diſcipulorum acceſſerint, vt deus numine ſuo aliorum quoque ciuitatis Lipſienſis principum animos excitet ad edenda eadem, vel etiam maiora, liberalitatis in ſcholam Thomanam ſuae documenta? Nam, mihi credite, ſcholaſtica vita nec noſtra aetate adeo contemta iacet, ac deſpecta, quin a ciuibus recte ſentientibus, et ſapientibus, qui videant, quot, et quantas, vtilitates omnibus reip. partibus afferant opera ſua magiſtri idonei, ſuſpiciatur, atque diligatur. Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. IIII Kal. Ianuarias A. C. CIϽIϽCCLXXXV

PROLVSIO TERTIA ET VICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN RECEPTIS VERBIS ALIENIS ATQVE ADVENTICIIS ET MENDOSE SCRIPTIS

Q. B. V

Reprehendere nuper, atque caſtigare, inſtituimus inertiam, neglegentiamque, Lexicographorum Noui Teſtamenti eam, qua fieri paſſi ſunt, vt venirent ex editis librorum diuinorum exemplis non omnino probis in ipſorum Lexica, non ſolum verba ſingula male ſcripta, et alienae verborum conſtructiones, ſed gloſſemata quoque pro gloſſis, ita, vt ne admonuerint quidem lectores, inueniri in libris vulgatis melioribus alias lectiones, quibus, non plures, verum omnes, probitatis, et ſinceritatis, notae impreſſae cernerentur. Haec autem ipſa temeritas, atque incuria, quae iſtos homines componere Lexica iuſſit, neque adhibitis editionibus Noui Teſtamenti praeſtantioribus, neque varietate lectionis optimorum codicum inſpecta, eos etiam magis coëgit partes interpretum hoc quoque in genere male agere. Afferunt enim e multis

tis locis commentariorum Euangelistarum, epistolarumque Apostolorum, verba, quae facile appareat non esse ab ipsis scriptoribus diuinis profecta, immo a grammaticis, qui orationem eorum magis definire scilicet, aut illustrare, aut inter se conferre, voluissent, vel inter versus paginarum, vel in earum marginibus, adscripta, sed ab imperitis librariis in ordinem illata: neque de verbis illis, quorum scriptura dubia, aut suspecta, existimetur, ita differunt, vt coniecturas, vel proprias, vel alienas, in medio ponant, easque rationibus, et criticis, et grammaticis, sic adiuuent, vt etiam inexercitati lectores iudicium ipsi de vera, certaque, locorum, in quibus huiusmodi verba extent, lectione facere possint. Haec igitur nostra de isto Lexicorum Novi Testamenti vitio disputatiuncula vt perfecta reperiretur, suisque numeris absoluta: visum est harum quoque illius partium exempla nonnulla ita proponere, vt de iis paulo diligentius quaereremus.

II. Etenim grammatici veteres, qui in legendis auctorum vtriusque linguae libris studiosius versarentur, multis in locis suorum codicum inueniuntur adscripsisse verba, non modo singula, sed etiam plura, quibus oratio scriptorum, tanquam quibusdam terminis, circumscriberetur, vel illustraretur, et quasi perficeretur. Haec autem verba, quae grammatici, partim ex ingeniis propriis depromsissent [1], partim e locis aliorum [2], eorundemue [3], scriptorum similibus petiis-

1. Vid. defensio nostra locorum quorundam Platonicorum f. 9. p. 537. f.

2. Sic apud Curt. 4, 12. 22. in multis codicibus leguntur verba, *Mouebat etiam eum* — *suis*

petiissent, consarcinassentque, a librariis fere ex margine paginarum in ipsa orationis contexta esse trans-

suis cresceret. Hanc vero totam ῥῆσιν in libros Curtii ex Iustin. 11, 9. 2. s. translatam esse, recte animaduertit, post Modium, Freinshemius. Eodem modo 1. Sam. 2, 10. verba, μὴ καυχάσϑω ὁ Φρόνιμος — ἐν μέσω τῆς γῆς, quae in exemplo versionis Alexandrinae Complutensi non leguntur, neque ab interprete Latino vetere reddita sunt, in reliquos libros, librariorum temeritate, venerunt ex Ier. 9, 23. s. ab grammaticis adscripta.

3. Sic ap. Cic. Off. 1, 13. verba, *Secundo autem Punico bello — interitum cum scelere approbauit*, in libris scriptis plurimis, editisque antiquissimis, non leguntur. Plerique igitur grammatici dubitant de integritate eorum, eaque supposita esse arbitrantur. Certe nulla excogitari ratio idonea potest, qui factum sit, vt a tot librariis praetermitterentur. Neque tamen probandam puto eorum sententiam, qui haec verba propterea a Cicerone profecta esse negant, quod duo illa perfidiae in hostes, et iustitiae Romanorum, exempla ab eodem Off. 3, 22. et 32. commemorentur. Multa enim ab optimis, et diligentissimis, scriptoribus repetuntur diuersis in locis, etiam iisdem saepe verbis: v. Off. 3, 25. coll. 1, 20.: etsi non ignoro, verba, *cuicum tres optationes — in maximis fuit luctibus*, quae priore illo loco leguntur, Valquenario ad Eurip. Hippolyt. p. 258. insiticia visa esse etiam propterea, quod Cicero eandem rem posteriore iam attigisset loco: sed si haec ratio valeret, neque ea, quae de fide Reguli dicuntur Off. 1, 13., a Cicerone scripta videri deberent. Nam eadem disputantur ab eo Off. 3, 26. Immo potuit ista ῥῆσις ex illis ipsis locis [Off. 3, 22. et 32.] consarcinata esse, et in margine codicis alicuius posita, ab aliquo, qui existimarit, etiam eiusmodi exempla afferri a Cicerone debuisse, quibus doceretur, censores, et senatum Romanum, censuisse, promissa hosti ab singulis ciuibus data seruanda esse. Accedit, quod, cum in ipsis verbis reperiuntur nonnulla, quae ab elegantia, et ratione, Ciceroniana abhorrere videantur, tum in rebus, quae aduersentur, et aliorum historicorum fidei, et auctoritati, subtilitatique, ipsius Ciceronis.

tranflata, ita, vt auctorum veterum omnium paucissimi codices integri, multorum omnes verbis contaminati alienis, ad nostram peruenerint aetatem, quis nescit, aut negat? Iisdem vero fatis quum libros quoque Noui Testamenti diuinos vsos esse constet: facile intellegitur, primum in verbis eorum aduenticiis inuestigandis, et ab propriis verbis discernendis, non solam codicum veterum auctoritatem adhibendam esse, sed vel maxime vsus loquendi Euangelistae, Apostolique, cuiusque, et seriei, consiliique, orationis eorum, et naturae ipsarum rerum, quas exponant, et praecipiant, rationem oportere haberi, ita, vt, qui antiquorum tantummodo codicum numerum intueantur, neque ad reliqua indicia spectent, in conquirendis huius generis verbis, ii operam fere omnem perdant: deinde Lexicographos debuisse verba insitiua, aut omnino non referre in libros suos, aut certe tamen ita, vt docerent lectores, spuria illa esse, neque genuina. Cuius quidem legis, et praecepti, sane maxime necessarii, et vtilissimi, quam immemores fuerint isti homines, quamque neglegentes, quis ignorat? Lexica enim eorum ingentem quandam verborum suppositorum copiam continent, et ita continent, vt nullam notam suppositionis, nullum indicium insitionis, ostendant. Carminis quidem precationis, quo disciplinae Christianae alumni iubentur cotidie liberalitatem dei, et benignitatem, lacessere, clausula, quae in editis libris

nis. Scripsit de hoc loco, ante triginta annos, peculiarem libellum Theoph. Guil. Irmiscus, rector scholae Plauiensis eruditissimus: quo vindicare integritatem eius, et tueri, conatus est, post Anemoecium, et Pearcium, quibus nuper etiam Iac. Frider. Heusingerus assensus est.

libris euangelii Matthaei [4] fere omnibus legitur, haec est, Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. Haec autem verba omnia inueniuntur in Lexica Noui Testamenti ita relata, vt auctor eorum etiam Matthaeus laudetur, a quo tamen illa non profecta esse apertissime appareat. Namque primum, nec in codicibus Graecis, et versionibus antiquissimis, nec in libris doctorum ecclesiae veteris ante Chrysostomi quidem tempora, vlla eorum vestigia comparent [5]: deinde illa ipsa clausula est etiam a Luca [6] praetermissa: quod quis sibi persuadeat ab eo factum esse in hac solenni precationis formula, quae ab ipso familiae Christianorum duce praescripta esset, si istam eius particulam originis esse diuinae sciuisset? denique sententia huius appendiculae ipsa est eiusmodi, quae plane declaret, auctorem eius esse alium quemuis potius, quam Christum, ponendum. Neque enim laudes dei complectitur illa clausula, immo proponit, id quod Bengelius iam, aliique, praeclare viderunt, caussas, quae Christianos, non tam sperare, quam confidere, iubeant, se impetraturos semper a deo esse ea, quae ab eo rite petierint, ita, vt summa eius videatur haec esse, *Quippe tu rex hominum sedes maximus, et optimus* [7], idem-

4. C. 6, 13.

5. Vid. in primis Bengelius in apparatu crit. ad Matth. d. l.

6. C. 11, 4.

7. Nam nomen δόξα, vt Hebr. כָּבוֹד, ad deum ita referri constat, vt indicet, nunc virtutes eius omnino omnes, nunc certam earum quandam, quae indicio reliquae orationis reperiri debeat. vid. Prolus. 15, 2. Iam vt verba καὶ ἡ δύναμις ostendunt, cur Christiani precantes sperent, deum posse ipsis bona petita tribuere: ita verbis καὶ ἡ δόξα significari debet vir-

idemque aeternus, et immortalis. Atque huius fiduciae caussas Christus discipulos suos iam eo exponere iussit, quod precantes docuit deum ita compellare, Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς. Etenim vti deum ab iis patrem *caelestem* appellari voluit, vt intellegerent, se ferre ei preces recte posse vbique terrarum, atque adeo deponerent errorem grauem, quem mentes eorum, vt aliorum eius aetatis Iudaeorum [8], suscepisse sciret, ita quidem, vt putarent, preces a deo non audiri, nisi fierent in templo Hierosolymitano, sede eius, ac domicilio, certe ore precantis conuerso ad regionem, et plagam, caeli eam, in qua aedem positam esse constaret: sic Christiani deum, auctore Christo, nominant *patrem suum*, vt profiteantur, se ab eo vitam, omniaque, et corporis, et animi, bona, sic accepisse, vt etiam deberent ab illo, et petere, et confidere se impetraturos esse, omnia, quae ad salutem animi, corporisque, tuendam pertinerent. Quis vero tandem credat, talem clausulam ab ipso Christo additam esse illi carmini, cuius, tanquam legis, ex praescripto Christiani numen diuinum adirent eiusmodi precibus, ab quibus loquacitas omnis, garrulitasque, abesset? Huius enim vitii naturam vel maxime repetitione vnius, eiusdemque, sententiae non necessaria contineri, quis est, quem

virtus, quae eos confidere iubeat, deum etiam velle ipsis illa impertire, h. e. *benignitas.* Nam reges saluti ciuium prospicere, et possunt, et volunt. Caeterum verba *εἰς τȣ̀ς αἰῶνας* [לְעָלְמִין Dan. 6, 27.] pertinere ad nomina *ἡ βασιλεία, ἡ δύναμις, ἡ δόξα*, ita, vt habeant, e Graeca, Latinaque, ratione, vim adiectiui, quis non videt?

8. Vid. Godofr. Olearius obseruatt. ad h. l. p. 177. ss.

quem fugiat? Itaque non dubitamus assensu nostro comprobare opinionem eorum, quibus verba, quorum de auctore quaerimus, e libris liturgicis videntur in margines paginarum euangelii Matthaei a grammaticis, saeculo a Christo nato quarto, translata esse, sed a librariis inde in ipsum ordinem recepta: ex quo tamen illa nuper Grisbachius sapientissime sane eiecit [9]. Neque vero minorem sapientiam, et grauitatem, existimamus eundem illum virum doctissimum eo probasse, quod verba, *καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι*, et *καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε*, ex eo loco commentariorum Matthaei [10] sustulit, quo Salome [11], Zebedaei vxor, mater Iacobi maioris, et Iohannis, legitur Iesum adiisse his precibus, vt filios ipsius iuberet esse in regno suo ab se secundos. Etenim quum ostendisset Iesus [12], fore, vt ipse, vbi in caelum rediisset, rex ecclesiae sederet, ita quidem, vt Apostoli huic ipsius potestati vicarii succederent apud Iudaeos, hoc est, pro ipso praecepta doctrinae diuinae traderent Iudaeis, viderentque, vt omnes, quicunque illa probarent, moribus eadem, vitaque, exprimerent; quum Apostoli istam Iesu orationem accepissent in eam partem, vt sperarent, regnum aliquando iri Iudaeis restitutum [13], ita, vt ipse eorum rex esset, Apo-

9. Contra vero vindicare doxologiam ab suspicione suppositionis, post Ioh. Fricquium cur. canon. c. 4. pag. 140. — 161., nuper, praeter Matthaeium in notis ad Matth. 6, 13., conatus est Henr. Benzenbergius, cuius dissertatiuncula inserta extat symboll. literr. Duisburgg. To. 2. P. 1.

10. C. 20, 22. s.

11. Vid. Matth. 27, 56. coll. Marc. 15, 40.

12. Vid. Matth. 19, 28. et Prolus. 20, 4.

13. Vid. Act. 1, 6.

Apoſtoli amici eius, et familiares: Iacobus, et Iohannes, matri auctores extitere, vt rogaret magiſtrum, vellet ipſos conſtituere amicorum ſuorum, id eſt, caeterorum Apoſtolorum, principes. Ieſus autem, qui noſſet, matrem, non ſponte ſua, ſed filiorum hortatu, ipſis a ſe hos tantos petiiſſe honores, conuerſus ad Iohannem, et Iacobum, agere inſtituit cum iis ita, vt inconſideratam eorum temeritatem caſtigaret, Οὐκ οἴδατε, inquiens[14], τί αἰτεῖσθε. Cuius quidem vocis, atque obiurgationis, haec videtur eſſe ſententia, *Putatis, hanc dignitatem, atque poteſtatem, quam per matrem vobis veſtram petiiſtis, cum multis, magniſque, commodis, et bonis, fore coniunctam, ſed ſcitote, rem longe ſecus ſe habere, et dignitatis illius, poteſtatiſque, comites fore permulta, et permagna, incommoda, atque mala, quorum grauitatem non omnes ſuſtinere poſſint.* Quam ipſam ob rem deinceps interrogauit Ieſus vtrumque fratrem, Δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν; hoc eſt, *Poteſtis ſubire, et perferre, necem, aliaque incommoda, quae ego ſubiturus ſum, et perlaturus?* Nam Hebraeum nomen כּוֹס, quod primam, propriamque, notionem cum nomine Graeco ποτήριον communem habet, eleganter ponitur de vtraque hominum ſorte, et ſecunda, et aduerſa, ſed maxime tamen de aduerſa[15]: qua qui vtuntur, quam qui ſubeunt, perferuntque, ii dicuntur שְׁתוֹת הַכּוֹס[16], et πίνειν τὸ ποτήριον. Chriſti autem capiti impendebant fata haec, vt Hiero-

14. Matth. 20, 22.

15. Vid. Druſius Quaeſtt. Hebrr. 1, 63.: Stanleius ad Aeſchyl. Agamemn. 1406. p. 825. To. 2. Pau.: Schultenſius ad Harir. p. 65. ſ.: in primiſque Gataquerus Adverſſ. poſthh. c. 5. — 7.

16. Ier. 49, 12.

rosolymis necem indignissimam vna cum summis omnis generis iniuriis pateretur, ita, vt poculo, quod ab se exhaustum iri ait, significari intellegatur supplicium vitae vltimum, et saeuissimum, cum omni genere contumeliarum grauissimarum, acerbissimarumque [17]. Iam quum discipuli magistro quaerenti ita respondissent, vt affirmarint, se paratos esse eandem cum ipso sortem subire, ac perferre: hanc eorum fortitudinis professionem ille ita accepit, vt ostenderet, etsi non dubitaret, quin futurum esset, vt ipsi indignissimas iniurias, contumeliasque, perpeti cogerentur, atque adeo ad supplicium darentur, tamen se non posse proximam a se in ecclesia dignitatem vlli de ipsorum collegio tribuere, nisi iis, quibus illa a patre suo, habita scilicet virtutum mentis, animique, et felicis, ac fructuosae, industriae, ratione, destinata esset. Sic enim intellegenda esse verba Christi [18], *τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε· τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου, καὶ ἐξ εὐωνύμων μου, οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου*, quis non videt? Sed vt in libris editis euangelii Matthaei post verbum *πίεσθε* inserta extant verba, *καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε·* sic iidem libri ipsam interrogationem Iesu post verba, *ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν*, auctam exhibent verbis, *καὶ* [19] *τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι.* Haec vero verba, quorum sententiam facile appareat a sententia verborum *πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν*, et *τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε*, non discrepare, quum nomen *βάπτισμα*, ad modum nominis Hebraei

טבול,

17. Vid. Matth. 20, 18. f. 26, 39. Marc. 14, 36. Luc. 22, 42. Ioh. 18, 11.

18. Matth. 20, 23.

19. Matthaeius nuper pro *καὶ* edidit *ἢ*.

טִבּוּל, ſiue טְבִילָה, quod eſt in verſione Matthaei Hebraica a Seb. Munſtero edita, vel Syriaci ܡܥܡܘܕܝܬܐ, quo Syrus interpres vſus eſt, *ſortem aduerſam*, mala, et incommoda, quaeuis, ſignificet, et βαπτίζομαι [20], ex conſuetudine loquendi Hebraica, idem ſit, quod μέλλω βαπτίζεσθαι, aduenticia eſſe, et inſitiua, quae adeo in Lexicis Noui Teſtamenti ex hoc Euangeliſtae loco afferri non debuerint, ita euidens, et manifeſtum, videtur, vt dubitari nullo modo poſſit. Etenim verba iſta, neque in codicibus, neque in verſionibus, antiquis pleriſque leguntur, ſed qui factum ſit, vt ab tot librariis diligentibus diverſarum aetatum tanta conſenſione neglegerentur, nec a ſolertiſſimis, et exercitatione praeſtantiſſimis, criticis conſtitui facile poſſe arbitramur, quum tamen ratio, qua aliis in libris in ordinem migrauerint, iis, qui vel mediocri rerum huius generis vſu valeant, ſponte ſe offerre videatur. Conſtat enim inter omnes, Matthaei maxime euangelio hoc accidiſſe, vt grammatici in illud e locis commentariorum Marci ſimilibus huius Euangeliſtae verba transferrent, ita quidem, vt ea, partim inter verſus paginarum, partim in earum margine, adſcriberent. Tales autem in codices quum incidiſſent librarii imperiti: factum eſſe, quis non intellegit, vt ab iis, vel

20. Exempla notionis tralatae verbi βαπτίζεσθαι e libris ſcriptorum Graecorum, praeter alios, congeſſit Dreſigius V. M. 1, 33. At primum recentiores tantum ſcriptores eo ita vſi reperiuntur: deinde hi ipſi addiderunt tum verbo βαπτίζεσθαι alia verba, quibus durities metaphorae quodammodo molliretur: vt Achilles Tat. 3. p. 179. Salm., τί τηλικοῦτον ἠδικήσαμεν, ὡς ἐν ὀλίγαις ἡμέραις τοσούτῳ πλήθει καταβαπτισθῆναι κακῶν;

verba Marci pro Matthaei verbis ſubſtituerentur, vel verba vtriuſque Euangeliſtae deinceps iungerentur [21]? Atque hoc quidem Matthaei loco, cuius de ſcripturae integritate quaerimus, verbis eius ſupra propoſitis ſic addita eſſe verba, καὶ, vel ἢ, τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι, et καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε, ex euangelio Marci [22], vel ex eo euidentiſſime apparet, quod in omnibus eius codicibus, verſionibuſque, antiquis leguntur. Accedit, quod, ſi verba illa ſtylum Matthaei auctorem haberent, is concinnitatem membrorum fuiſſet ita perſequuturus, vt pro ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, et καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, ſcriberet ὃ ἐγὼ μέλλω βαπτίζεσθαι, et καὶ τὸ βάπτισμά μου. Sed hoc in genere verborum, quae nobis inſitiua, et aduenticia, appellare placuit, non pauca ſunt, quae ab grammaticis, non aliunde petita, verum e propriis ipſorum ingeniis prolata, deprehendantur. Loco quidem euangelii Matthaei eo [23], quo Chriſtus refertur legem diuinam de homicidio, quod doctores Iudaeorum committi tantum ab eo contenderent, qui alterum prudens, et ſciens, occideret, ita interpretatus eſſe, vt docuerit, vim iſtius criminis aliquanto latius patere, atque adeo reum eius iudicari debere etiam eum, qui inimicus alteri, et ita infenſus, eſſet, vt ei nocere geſtiret, eo igitur loco in multis melioris notae codicibus haec leguntur verba, ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, id eſt, *ego vero praecipio vobis, quicunque iratus alteri,*

21. Vid. Proluſſ. in V. et N. T. 5, 5. p. 123.

22. C. 10, 38. ſ.

23. C. 5, 22.

ri, atque infenſus, ſit, ab eo committi delictum, de quo ſtatuere Septemuiri iuri dicundo [24] *debeant.* Hoc autem praeceptum, haec legis diuinae interpretatio, quum interpretibus nonnullis ab humanitate, et aequitate, abhorrere videretur: auſi ſunt poſt verba τῷ ἀδελφῷ αὐτȣ̃ addere aduerbium εἰκῆ, ſed non meminerant, Chriſtum diſciplinae ſuae alumnos eodem tempore cohortatum eſſe, vt inimicos ſuos, aduerſarioſque, omnino omnes amore, et beniuolentia, ſtudiis, et officiis, omnibus, complecterentur [25]. Talem vero praeceptorem, et magiſtrum, quis putet fuiſſe adeo inconſtantem, vt diſcipulis ſuis permiſerit iraſci aliis, cauſſa iraſcendi data, et ita iraſci, vt iis nocere ſtuderent? Recte igitur poterat Griſbachius, et ſine vlla dubitatione, aduerbium εἰκῆ, etiam Hieronymo auctore [26], ex ordine eiicere, neque Lexicographi illud ex iſto euangelii Matthaei loco in libros ſuos transferre debebant. Sed indagationem, et diiudicationem, omnium huius generis verborum, quibus ſcripta Euangeliſtarum, et Apoſtolorum, interpolata ſunt, facile

24. Vid. Careinus obſervatt. Flaun. ad h. l.

25. Matth. 5, 44.

26. ad Matth. 5, 22. pag. 9. a To. 9. opp. Froben.: *In quibuſdam codicibus additur* ſine cauſſa. *Caeterum in veris definita ſententia eſt: et ira penitus tollitur, dicente ſcriptura,* Qui iraſcitur fratri ſuo. *Si enim iubemur verberanti alteram praebere maxillam, et inimicos noſtros amare, et orare pro perſequentibus: omnis irae occaſio tollitur. Radendum eſt ergo* ſine cauſſa: *quia ira viri iuſtitiam dei non operatur.* Idem adverſus Pelagianos lib. 2. p. 128. b D To. 3. opp.: *Et in eodem euangelio legimus,* Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſſa, reus erit iudicio: *licet in pleriſque codicibus antiquis* ſine cauſſa *additum non ſit: vt ſcilicet ne cum cauſſa quidem debeamus iraſci.*

cile intellegimus tantis esse cum difficultatibus coniunctam, vt, non vnius, non paucorum, sed multorum, virorum doctrina, et diligentia, grauitate, et religione, praestantissimorum opera, non vnius, non paucorum, sed multorum, annorum spatio, fieri recte, perficique, posse videatur. Quis enim speret, vnum, paucosue, tantum valere industria, et laboris patientia, vt tot codices librorum Noui Testamenti calamo scriptos, tot versiones eorum varii generis antiquas, tot, et tanta, volumina doctorum ecclesiae veteris, inspiciant, atque inter se conferant, breui tempore? Quis eos existimet tantum pollere solertia, et diligentia, vt tantae, et tam infinitae, scripturae, lectionisque, multorum locorum varietatis delectum ita habeant, vt genuina verba a suppositiciis discernant, praesertim quum indoles orationis, ratioque narrandi, ac differendi, qua Euangelistae, atque Apostoli, vsi sunt, ab forma sermonis, et narrationis, et disputationis, barbarorum scriptorum tantopere discrepet? Et quis in vno, paucisue, hominibus etiam doctissimis confidat tantam grauitatem, religionemque, sitam esse, vt veritatis, doctrinaeque, vocem hoc in genere audiant semper, neque interdum se vanitatis studio, et cupiditatis impetu, auferri patiantur, vt ex ordine eiicienda censeant verba vel maxime germana?

III. Etenim quam promta fuerint, nostro maxime saeculo, atque parata, multorum grammaticorum, Britannicorum in primis, ingenia ad immutandam, et diffingendam, quouis modo Euangelistarum, Apostolorumque, orationem, vel ex sylloga illa coniecturarum criticarum

rum perſpici facile poteſt, quae Londini nuper [27] iterum multis partibus aucta quaternis emiſſa eſt. Iam etſi maximum iſtarum coniecturarum numerum ſcimus ab eo, qui recenſum earum ita agere voluerit, vt in iudicio de iis faciundo auctoritatem, ſeueritatemque, legum iuſtae interpretationis adhibeat, vel ſuperuacaneum, neque neceſſarium, vel inanem, vanumque, deprehenſum iri: tamen negari nullo modo poteſt, multos locos librorum Noui Teſtamenti in omnibus codicibus antiquis, etiam in iis, quos auctores verſionum veterum, et priſcorum Chriſtianorum doctores, inſpexerint, adeo praue ſcriptos extare, vt, niſi ſolerter correcti fuerint, ſenſus ex iis commodus, non modo elici, ſed ne exprimi quidem, poſſit. Tales vero emendationes coniecturales quin ab Lexicographis ex ingenii proprii theſauris depromi, certe ab aliis excogitatae, ac prolatae, commemorari, debuerint, quis dubitet? In epiſtola quidem ad Hebraeos, quo loco Paulus attigit varia vitae ſupplicia, quibus Iudaei, Antiochi Epiphanis maxime, Syrorum regis, ſaeculo, affici maluerint, quam auitam reli-

27. A. C. 1782. Index operis eſt, *Critical coniectures — on the New Teſtament.* Conferri etiam poteſt *Specimen annotationum criticarum in loca quaedam librorum SS. Noui Foederis*, ſubiectum orationibus Tib. Hemſterhuſii et L. C. Valquenarii, quae A. C. 1784. L. B. editae ſunt octonis. Harum emendationum Valquenarii examen ab ſe inſtitutum edidit nuper A C. 1790. 8. Cloſius, Halis Sax., vna cum oratione eiuſdem viri doctiſſimi *de critica emendatrice, in libris ſacris N. F. a literatoribus, quos vocant, non adhibenda*, habita Franequerae A. C. 1745. Sed Car. Segarius Traiecti ad Rhenum emiſit A. C. 1772. orationem *de critica in diuinis N. T. libris aeque, ac in humanis, ſed circumſpecte, et modeſte, etiamnunc exercenda.*

religionem deſerere, leguntur etiam haec verba [28], ἐλιθάσθησαν, ἐπρίσθησαν, ἐπειράσθησαν, ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον. Sed quum verbum ἐπειράσθησαν hoc loco doctiſſimi grammatici ita poſitum eſſe animaduertiſſent, vt poteſtas tribui illi apta, et verbis vicinis conueniens, non poſſet, Selenio [29], aliiſque, fruſtra, ac ſine cauſſa, contra diſputantibus: Heinſius pater [30] difficultates omnes ita tolli poſſe putabat, vt verba ἐν φόνῳ μαχαίρας cum verbo ἐπειράσθησαν coniungerentur. Hae vero ambages, haec orationis inſolentia, quam aliena ſit a conſuetudine, et conſilio, Apoſtoli, quis non videt? Et quum verba ἐν φόνῳ μαχαίρας expreſſa ſint e verbis Hebraicis לְפִי חָרֶב [31], ac verbum ἀπέθανον idem valeat, quod verbum ἀνῃρέθησαν, vel ἀπεκτάνθησαν· quis haec verba tam arcte copulata inter ſe ſeiungere audeat? Itaque reperti ſunt, qui verbum ἐπειράσθησαν, vt ſubrepticium, inducendum, tollendumque, cenſerent: quo in numero, praeter Eraſmum, Grotium, et alios, ipſe Ioh. Tupius [32] eſt: praeſertim quum in codicibus quibuſdam vetuſtis non legeretur, et ab nonnullis Noui Teſtamenti interpretibus antiquis, qui tales ſcilicet in codices incidiſſent, praetermiſſum inueniretur. At haec tamen ſententia perpaucos ſemper, et recte quidem, nacta eſt aſſenſores. Nam verbum ἐπειράσθησαν in codicibus, et

28. C. 11, 37.

29. Ioh. Henr. Selenius proluſionem peculiarem *de integritate vocis ἐπειράσθησαν Hebr.* 11, 37. ſcripſit, quae inſerta extat meditationibus eius exegeticis [Lubec. a. 1730. 8.] p. 1. — 24.

30. exercitatt. SS. ad ep. ad Hebrr. d. l. p. 578.

31. Vid. Deut. 13, 16.

32. opuſcc. critt. p. 149. To. 2. Lipſ.

et pluribus, et melioribus, legitur, nemoque facile, qui ſit hoc literarum in genere vel mediocriter verſatus, reperietur, qui neſciat, in membris orationis, quae conſtarent inciſis multis ſimiliter deſinentibus, saepenumero a librariis vnum [33], pluraue [34], inciſa eſſe neglecta. Quae quidem librariorum neglegentia quum non fugeret grammaticos exercitatiores: pro verbo ἐπειράσθησαν aliud ſubſtituendum iudicarunt. Albertius [35] enim, interpres librorum Noui Teſtamenti haud ignobilis, Apoſtolum ſcripſiſſe puta-

33. Sic ap. Plat. Parmenid. 13. καὶ περιττὰ περιττάκις, καὶ ἄρτια περιττάκις, καὶ περιττὰ ἀρτιάκις, verba καὶ ἄρτια περιττάκις in cod. Tub. omiſſa ſunt. Apud Xen. Cyrop. 6, 4. 5. πῶς ἅμα δυνήσεται ἱππομαχεῖν τε, καὶ φαλαγγομαχεῖν, καὶ πυργομαχεῖν, verba καὶ πυργομαχεῖν afuere ab cod. Philelph., atque abſunt ab cod. Guelf. in ordine, adſcripta in m.: et 7, 1. 1. οἱ δὲ ἵπποι προμετωπιδίοις, καὶ προστερνιδίοις, καὶ παραπλευριδίοις, χαλκοῖς, in eodem cod. Guelf. verba καὶ παραπλευριδίοις ab ipſo librario praetermiſſa ſunt, ſed ab alio in m. reſtituta. Atque haec ipſa librariorum neglegentia peperit in eodem epiſtolae ad Hebraeos loco lectiones has, ἐλιθάσθησαν, ἐπειράσθησαν, ἐν φ. μ. ἀπ., et ἐλιθάσθησαν, ἐπειράσθησαν, ἐπρίσθησαν, ἐν φ. μ. ἀπέθ., quae ſunt in codicibus nonnullis. Nam librarii, qui paulo diligentiores eſſent, verbum ἐπρίσθησαν, quod a ſe praeteritum vidiſſent, verbo ἐπειράσθησαν poſtponere maluerunt, quam omnino neglegentes videri.

34. Sic ap. Xen. Cyrop. 6, 2. 3. legitur, ὅπως αὐτοὶ ἕκαστοι φανοῦνται, καὶ εὐοπλότατοι, καὶ ἱππικώτατοι, καὶ ἀκοντιστικώτατοι, καὶ τοξικώτατοι, καὶ φιλοπονώτατοι, vt Stephanus primus edidit, admonitu Brodaei: quam lectionem confirmat auctoritas cod. Phil Guelferb. Bodl. Altorp. Sed in codicibus, quos Iunta, Aldus, et Gabrielius, adhibuerant, verba καὶ ἀκοντιστικώτατοι, καὶ τοξικώτατοι, non legebantur.

35. obſeruatt. philologg. ad ep. ad Hebrr. d. l. et obſeruatt. miſcell. p. 285. ſ. Vol. 2.

bat ἐσπειράσθησαν, aut ἐσπειράθησαν, hoc eſt, *rota contuſi*, vel potius *radiis rotarum diſtricti ad necem vſque torti, ſunt*, aut *ſtrangulati ſunt.* Quae coniectura etſi non eſt longe petita, neque conſilio ſcriptoris, vt paulo poſt demonſtrabimus, contraria: tamen ob inſolentem verbi σπειρᾶσθαι vſum nobis quidem non placet, praeſertim quum nulla excogitari cauſſa idonea poſſit, quare Paulus tum verbum hoc in genere inuſitatum verbis vſitatis, τροχίζεσθαι, et ἀπάγχεσθαι, vel ἀπαγχονίζεσθαι, praeferre voluerit. Neque vero magis probandae videntur emendationes ab aliis grammaticis propoſitae. Nam Beza, in animaduerſionibus ad exempla Noui Teſtamenti tria poſteriora, ἐπειράσθησαν mutandum in ἐπυρώθησαν, Franc. Iunius [36] in ἐπυράσθησαν, Gataquerus [37] denique in ἐπρήσθησαν, exiſtimabant: ſed Taneguidus Faber [38] pro eo reponendum opinabatur ἐπηρώθησαν, Steph. Monachius [39] ἐπράθησαν, et Ioh. Iac. Reiſquius, auctore Vetſtenio [40], ἐπηρεάσθησαν, non ἐπειρεάσθησαν, vt Vetſtenius edidit, neque ἐπηρειάσθησαν, vt Griſbachius ſcripſit: denique Matthaeius [41] nuper, et vir doctus quidam alius [42], hic Apoſtolum ſcripſiſſe putabant ἐκρεμάσθησαν, ille ἐταριχεύθησαν. At

36. ſacr. Parallel. 3. pag. 553.

37. aduerſſ. poſthh. c. 44. p. 897. ſ. Add. Suicerus theſ. eccleſ. v. πειράζω.

38. epp. lib. 2. ep. 14. extr. p. 47.

39. Vid. eius ep. ad Iac. Gronouium de oraculo Dodon., inſerta To. 7. theſ. AA. Grr., p. 299.

40. Vetſtenio coniecturas Reiſquii in quoſdam N. T. locos indicauit Ioh. Steph. Bernardius. v. eius epp. ad Reiſquium in huius vita p. 433.

41. in notis ad Hebrr. d. l.

42. in commentarr. rei literar. Gotingenſibus a. 1785. p. 140.

At vt haec verba duo a verbo ἐπειράσθησαν, qua literas, et ſonum, nimis diuerſa ſunt, neque adeo ignota, vt tot librarii ea praue ſcribere potuiſſe videantur: ita coniecturas illas ſuperiores ad vnam omnes vel orationis Paulianae ſeries vanitatis conuincit. Haec enim Apoſtolum ſatis docet vſum eſſe verbo, quo ſignificaretur genus ſupplicii, quod eſſet ſectione corporis, quae ſerra fit, minus crudele, et atrox, ſed atrocius, crudeliusque, occiſione, capitiſque detruncatione, quae fit acie ferri. Huiuſmodi autem ſupplicium quum facile intellegatur fuiſſe id, quod ciuitatibus barbaris haud inuſitatum fuiſſe legitur [43], vt, vel ſtipites, paloſque, praeacutos per medios homines adegerint, vel eos per pectora tranſfixerint haſtarum, lancearumue, aut gladiorum, mucronibus [44]: non dubito aſſentiri Nortono Cnatbullo, qui in animaduerſionibus in libros Noui Teſtamenti Paulum ſcripſiſſe ἐπάρθησαν, non ἐπέρθησαν, acute coniecit, ita, vt admodum mirer, Bezam hanc coniecturam, in quam ipſe primus in notis ad exempla Noui Teſtamenti duo priora incidiſſet, poſtea ſponte repudiaſſe. Nam vt perquam probabile eſt, aoriſtum illum verbi πείρεσθαι, cuius vſus eſſet paulo rarior, quem tamen ſermo tum communis alteri

43. Vid. Sen. conſol. ad Marc. c. 20. p. 284. To. 1. Gron. ep. 14. p. 48. To. 2. Eſai. 13, 15.: quo loco verbo הִדָּקֵר, quod Sym. Aqu. Theodot. verbo ἐκκεντεῖσθαι reddiderunt, iuncta leguntur verba בָּחֶרֶב נָפוֹל, ita, vt hac quoque re confirmari videatur noſtra loci Pauliani interpretatio. Conf. Gallonius de cruciatibus martyrum c. 9. p. 176. Pariſ.

44. 2. Macc. 12, 22.: vbi legitur verbum compoſitum ἀναπείρεσθαι, vt ap. Herodo. 4, 94.

teri aoristo praetulisse, vt in aliis verbis, videtur [45], ab grammaticis, librariisue, esse in ἐπειράσθησαν mutatum: ita vix dubitari posse arbitramur, quin Paulus verbo πείρεσθαι verbum Hebraeum דָּקַר reddiderit [46]. Hic enim ipse Apostolus quum alibi

45. Schol. Sophoclis ad Aiac. 842. Ῥιφθῶ· ἀντὶ τοῦ ῥιφῶ· ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ὅτε εἰσὶν οἱ εἰς ην παθητικοὶ δεύτεροι ἀόριστοι ἐν χρήσει, οἱ παθητικοὶ πρῶτοι ἀόριστοι ἄχρηστοί εἰσιν, εἰ μὴ παρὰ τοῖς ποιηταῖς· οἷον ῥίπτω, ῥίψω, ἔῤῥιψα, ἐῤῥίφην, ἐῤῥίφθην· φαίνω, ἐφάνην, ἐφάνθην.

46. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Ἐπάρη· ἐκεντήθη. Ἔπειρεν· — ἐκέντησεν. Sed verbis compositis ἀποκεντεῖν, ἐκκεντεῖν, et κατακεντεῖν, Alexandrini Iudaei interpretati sunt verbum Hebraicum דָּקַר. vid. Numerr. 25, 8. 1. Sam. 31, 4. Iudd. 9, 54. 1. Chronn. 10, 4. Ier. 37, 10. 51, 4. Threnn. 4, 9. Etiam Iohannes c. 19, 37. et Apoc. 1, 7., respiciens ad locum Zachariae c. 12, 10., pro verbo Hebraico דָּקַר vsus est Graeco ἐκκεντεῖν, vt post eum Aquila, et Theodotio. Nam e Symmachi quidem versione laudatur ἐπεξεκέντησαν in m. cod. Barberin. versionis Alexandrinae: qui codex in ordine ipso habet, vt Ald., εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. At haec lectio videtur in codd. nonnullos mature venisse e loco Iohannis c. 19, 37. pro ἀνθ᾽ ὧν κατωρχήσαντο, vel ἀνθ᾽ ὧν ἐνωρχήσαντο, vt Hieronymi aetate legebatur apud septuaginta interpretes, qui pro דָּקְרוּ legerunt רָקְדוּ. Hieronymus ep. ad Pammachium de optimo genere interpretandi p. 167. b c To. 3. opp.: *Veniamus ad aliud eiusdem Zachariae testimonium, quod Iohannes euangelista assumit iuxta Hebraicam veritatem*, Videbunt, in quem compunxerunt: *pro quo in septuaginta legimus*, καὶ ἐπιβλέψονται πρός με, ἀνθ᾽ ὧν ἐνωρχήσαντο, *quod interpretati sunt Latini*, et adspicient ad me pro his, quae illuserunt, siue insultauerunt. *Discrepat euangelistae septuaginta interpretum, nostraque, translatio: et tamen sermonum varietas spiritus vnitate concordat.* In nostris vero hodie versionis septuagintaviralis exemplaribus pro ἐνωρχήσαντο extat κατωρχήσαντο, ita, vt ex isto Zachariae loco sumta videatur

alibi verbo composito περιπείρειν vsus [47] inueniatur: quis credat, eum verbum πειράζεσθαι a verbo πείρεσθαι non distinxisse, atque adeo illi vim huius

tur glossa apud Hesychium, Κατωρχήσαντο· κατεχάρησαν· et apud Suidan, Κατωρχήσαντο· κατεχάρησαν, ἔπαιξαν, vel, vt in Phauorini Lexico, et quidem rectius, legitur, Κατωρχήσαντο· ἐνέπαιξαν, κατεχάρησαν. Idem Hieronymus ad Zachar. 12, 10. p. 123. b s. To. 6. opp.: *Hebraicae literae* ר *et* ד, *hoc est* d *et* r, *similes sunt, et paruo tantum apice distinguuntur. Ex quo euenit, vt idem verbum diuerse legentes aliter, atque aliter, transferant. Intelligentiae gratia vnum demus exemplum.* Et vestitus, *inquit*, erat Samuel אֵפוֹד בַּד, *id est*, indumento lineo: בַּד *enim* linum *appellatur: vnde et* בַּדִּים lina *dicuntur: pro quo Hebraico, Graeco, Latinoque, sermone male quidam legunt*, Ephod bar: *siquidem* בַּר, *aut* filius *appellatur, aut* frumenti manipulus, *aut* electus, *aut* ὅλος, *id est*, crispus. *Quod ibi errore interpretationis accidit, etiam hic factum deprehendimus. Si enim legatur* דָּקְרוּ, ἐξεκέντησαν, *id est*, compunxerunt, *siue* confixerunt, *accipitur: sin autem contrario ordine, literis commutatis*, רָקְדוּ, ὠρχήσαντο, *i.* saltauerunt, *intelligitur: et ob similitudinem literarum error est natus. Ioannes autem euangelista, qui de pectore domini hausit sapientiam, Hebraeus ex Hebraeis, quem saluator amauit plurimum, non magnopere curauit, quid Graecae literae continerent, sed verbum interpretatus e verbo est, vt in Hebraeo legerat, et tempore dominicae passionis dixit esse completum. Quod si quis non recipit: det testimonium, de quo sanctarum scripturarum loco Ioannes ista protulerit: et cum non repererit, cogetur ingratis suscipere veritatem.*

47. 1. Tim. 6, 10.: ad quem locum viris doctis referenda videtur glossa apud Hesychium haec: Περιέπειραν· ἔπηξαν· quam in Lexicon suum transtulit Phauorinus, additis verbis, πείρω γὰρ τὸ σουβλίζω, quae ipsa addita leguntur in Lexico MS. apud Matthaeium ad 1. Tim. d. l. v. Cangius Glossar. Gr. v. σουβλίζειν· vbi tamen legi debet πείρω, πειρόμενος, παρῆναι, pro πηρῶ, πειρώμενος, περῆναι. Hesychius, et Phauorinus: Ἔπειραν· ἔπηξαν.

huius tribuisse, aut consuetudinem loquendi illius aetatis verbum πειράζεσθαι vsurpasse pro verbo πείρεσθαι? Huc vero confugiant necesse est ii, qui scripturae ἐπειράσθησαν integritatem asserere velint. Certe hac in opinione videtur fuisse, praeter Lutherum [48], Seb. Munsterus, vel quicunque versionis Hebraicae ab eo editae auctor est, ita tamen, vt, nec verbum ἀπέθανον, nec nomen φόνῳ, reddiderit [49]. Hanc vero interpretandi rationem quis ferendam putet? Atque hic finis esto disputationis de vitiorum Lexicorum Noui Testamenti posterioris generis septimo.

IIII. Nunc reliquum est, vt patronos, et curatorem, et fautores, scholae Thomanae ea, qua quemque decet, pietate, atque humanitate, rogemus, velint collegio nostro hoc honoris habere, vt perendie, hora nona matutina, frequentes, fauentesque, adsint alumnis disciplinae nostrae quinque, spei bonae adulescentibus, his: IOH. CHRISTO. ALB. BERNHARDIO, *Glauchauiensi*: HENR. CHRISTO. STROEFERO, *Lipsiensi*: IOH. AENOTHEO SCHRECQVENBERGERO, *Belicio Misnico*: IOH. FRIDER. SCHMIDIO, *Ileburgensi*: et CHRISTO. ASARIAE GERSDORFIO, *Ricobacensi*: Latine verba facturis *de ratione, qua Ioh. Gerhardus, clarissimus theologus, versatus est in studiis theologiae colendis.* Nostra enim

48. In versione Lutheri vernacula est, *zerstochen*. Quare Er. Schmidius existimabat, eum iam legisse ἐπάρθησαν.

49. Nam verba Apostoli, ἐπειράσθησαν, ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀπέθανον, interpretatus est iste homo ita, וַנִּדְקְרוּ בֶּחָרֶב׃

enim aetate, qua consuetudo maiorum hoc quoque in genere de spatio, curriculoque, tantum deflexit, vel maxime opus esse videtur, proponere summorum theologorum exempla, quorum auctoritate excitati adulescentes studio theologiae se dedentes videant, non modo, quae literarum copiae, quae doctrinae liberalis ornamenta, comparari debeant, sed etiam, quibus modis omnia illa industriae, et diligentiae, adiumenta collegi, et in tractandis omnibus theologiae partibus adhiberi, possint, ab eo, qui clari theologi nomen, ac laudem, consequi, et obtinere, velit. Nostrum vero collegium humanitati, et benignitati, eorum, qui oratores, quos ante nominauimus, praesentia sua ornauerint, summo omnis generis cultu, et obseruantia, respondere omni tempore, locoque, studebit. Scripsimus Lipsiae, in Schola Thomana, prid. Idus Apriles A. C. CIƆIƆCCLXXXV

PROLVSIO QVARTA ET VICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN COPIIS VARIANTIVM LECTIONVM AD PATEFACIVNDAM ORATIONIS SCRIPTORVM DIVINORVM NATVRAM INPRIMISQVE AD EXPLICANDAM NOMINVM SVBSTANTIVORVM VIM NON ADHIBITIS

Q. B. V

Etsi opera, et diligentia, theologorum, aliorumque doctorum hominum, qui inde ab sexto decimo post Christum natum saeculo vsque ad nostram aetatem, grammaticorum Latinorum, et Graecorum, atque adeo ipsorum ecclesiae antiquae doctorum, Origenis maxime, atque Hieronymi, exemplo, et auctoritate, adducti, varietatem lectionis librorum Noui Testamenti ex ingenti quodam codicum manu scriptorum numero collectam ediderunt, vehementer probanda est, gratisque laudibus extollenda, quum in confesso sit, neque Euangelistarum commentarios, neque Apostolorum epistolas, intellegi multis in locis, et explicari, vllo modo posse,

posse, nisi scriptura eorum vera, et genuina, cognita sit, quam saepenumero inuestigari sine indicio, adiumentoque, bonorum librorum vix liceat: tamen quum variantes lectiones non sint, neque dicantur, nisi eae, quae in mente lectoris excitent aliarum rerum notiones, quae alias imaginum rerum partes, alia quasi latera, et lineamenta, alium cogitationum ordinem, seriemque, ostendant, omninoque aliam pariant sententiam, si quis, inspecta lectionum sylua, quae a Millio, Neocoro, Bengelio, Vetstenio, Grisbachio, Matthaeio, et aliis, e codicibus diuersarum aetatum congesta est, recensum earum agere velit, eum facile reperturum esse speramus, paucissimas esse variarum lectionum nomine dignas. Maxima enim illarum pars, in libris maxime historicis, glossematis continetur, et interpretamentis verborum scriptorum diuinorum: quae quum grammatici, aliique lectores, vel ex ingenio proprio depromta [1], vel e locis librorum sacrorum similibus translata [2], vel e scriptis theologorum veterum, Chrysostomi maxime, et Theodoreti, petita [3], in marginibus suorum codicum collocassent, aut etiam inter versus paginarum adscripsissent, librarii imperiti, nimisue dili-

1. Vid. Prolusio II, 2.

2. Vid. Prolusio de linguae Gr. interioris scientia, interpretationis librorum N T. adiumento maxime necessario, quae est Prolusſ. in V. et N. T. quinta, s. 5. p. 123.

3. Vid. Ioh. Saubertius, filius, in prolegomm. ad varias lectt. textus Graeci euangelii Matthaei, Helmaep. a. 1672. 4. editas, et Ioh. Guil. Baierus in diss. de variantium lectt. N. T. vsu et abusu, Altorp. a. 1712. 4. proposita.

diligentes, illis ipſum ordinem ita auxerunt, vt gloſſemata, vel pro gloſſis ſubſtituerint, vel verbis Euangeliſtarum, Apoſtolorumque, deinceps iunxerint. Horum autem gloſſematum quum ſit ea fere elegantia, atque perſpicuitas, vt ſtudia lectorum Noui Teſtamenti non ſatis exercitatorum ita regere, et adiuuare, in quaerenda, indagandaque, vi, ac poteſtate, gloſſarum poſſint, vt facillime eam, et ſine vllo erroris periculo, inueniant: quis non vehementer miretur, Lexicographos, qui debebant conſultoribus ſuis omnia intellegentiae orationis ſcriptorum diuinorum adminicula, et firmamenta, exponere, atque tradere, ad vnum omnes his partibus ſuis, et officio, adeo non ſatiſfeciſſe, vt egregio illo interpretationis adiumento, neque ipſi in componendis Lexicis vſi ſint, neque alios in legendis libris ſacris vti iuſſerint? Huius enim adiumenti vtilitatem ego quidem ſentio eſſe tantam, vt ſaepius admirer, venererque, gratus prouidentiam dei ſingularem, quae ſiuerit tot codices Noui Teſtamenti ita contaminatos, interpolatoſque, ad noſtra peruenire tempora. Itaque vt excellens huius vtilitatis magnitudo non minus, quam inutilis Lexicographorum hoc quoque in genere neglegentia, appareat omnibus: age, proponamus, pro inſtituti noſtri ratione, exempla nonnulla gloſſematum vtriuſque generis, quibus fidem iudicii noſtri faciamus.

II. Moeris enim Atticiſta [4] auctor eſt, futura prima verborum, quae grammatici contracta

4. Moeris: Ἐλῶ, Ἀττικῶς· ἐλάσω, Ἑλληνικῶς· item: Καλῶ, καὶ ἐπὶ τȣ̃ καλέσω, Ἀττικῶς· ἐπὶ δὲ τȣ̃ Ἐνεστῶτος μόνων τῶν Ἑλλήνων τὸ λεγόμενον καλῶ.

cta appellant, ab Atticis eſſe ita formata, vt praeſentibus ſimilia eſſent. Quam quidem hominis obſeruationem vt ipſa loquendi conſuetudo, et poëtarum [5], et aliorum ſcriptorum [6], Atticorum ita confirmat, vt de veritate eius, atque elegantia, dubitari a nemine vllo modo poſſit: ſic Ricardus Daueſius in praeclaro illo miſcellaneorum criticorum libro [7] cauſſam huius diligentiae Atticae videbatur ſibi in eo reperiſſe, quod Athenienſes delectati eſſent metro iambico maxime, et trochaico, cuius natura, et leges, eos abſtinere vſu formae perfectae, ac plenae, illorum futurorum iuſſiſſent, quorum ſyllabae ab vltima poſt contractionem ſecundae exiſterent breues, non item horum, quorum penultima longa eſſet. Hanc vero viri ſane acutiſſimi ſententiam etſi non ignoro aſſenſorem nactam eſſe Ioh. Pierſonium [8], eruditiſſimum iuuenem: ego tamen eam ita diuidendam eſſe cenſeo, vt, et poëtae Attici, et ſoluti ſermonis auctores, futuris poſterioris quoque generis contractis vſi dicantur. Etenim apud Platonem in Euthyphrone [9] ἐπανορθώμεθα ita poſitum extat, vt, niſi futurum, eſſe non poſſit, et in Phaedone [10] leguntur haec verba,

 Ἔρχο-

λῶ. Add. Tho. Magiſter v. ἐλάω, cuius obſeruatione Lexicon ſuum auxit Phauorinus v. ἐλάω.

5. Ariſtoph. Plut. 222. Nubb. 694. δρῶ· Plut. 312. κρεμῶμεν· v. 1072. ἐῶ· Nubb. 632. καλῶ· Eurip. Phoenn. 620. ἐξελῶν· Ariſtoph. Nubb. 100. ἐξελῶ. Conf. Villoiſonius ad Long. p. 247. ſ.

6. Plato Apol. 27. ἐξελῶσι· Phaedon. 40. ξυνδιατελεῖ. Xen. Cyrop. 2, 3. 10. καλεῖς· ibid. ſ. 11. καλῶ· 1, 4. 13. ἀποδρῶ· ibid. ſ. 16. γαμεῖν, et ἐξελᾶν· et ſ. 20. ἐλῶ.

7. p. 74. ſ. 80. ſ. edit. pr.

8. ad Moer. p. 124. ſ.

9. C. 11.

10. C. 49.

Ἔρχομαι γὰρ δὴ ἐπιχειρῶν σοι ἐπιδείξασθαι τῆς αἰτίας τὸ εἶδος· sed quum verbo ἔρχομαι sic, ipsius rerum naturae auctoritate, futura participiorum, non praesentia, addi soleant [11]: sane in promtu est, ἐπιχειρῶν esse formam futuri Atticam. Et in voce aniculae in Aristophanis Pluto [12] ista, Ἐγὼ δὲ τί ποιῶ; quum praesens coniunctiui Latinorum a Graecis, in tali verborum compositione, non eodem tempore, immo futuro indicatiui, exprimatur, quis non intellegit, scholiasten Leidensem glossam ποιῶ recte accepisse de futuro Attico, eamque eleganter futuro communi ποιήσω explicasse? Fuit enim haec grammaticorum veterum ferme omnium consuetudo haud inutilis, vt, non tantum vocabula Attica communibus interpretarentur, sed etiam Atticas verborum formas vulgaribus indicarent, atque adeo illud futurorum Atticorum genus futuris communibus [13] explanarent. Quae quidem interpretamenta quum lectores, et enarratores, scriptorum antiquorum apposuissent ad glossas: accidit, vt librarii in primis ii, qui libros soluta oratione compositos describerent, pro stultitia sua, duas illas futurorum formas inter se permutarent.

11. Herodo. 1, 194. ἔρχομαι φράσων· 2, 99. τὸ δὲ ἀπὸ τοῦδε Αἰγυπτίους ἔρχομαι λόγους ἐρέων· Eurip. Phoenn. 620. καὶ γὰρ ἦλθες ἐξελῶν. v. ad Plat. Euthyphron. 2, 7.

12. V. 1198.

13. Hesychius: Ἐλῶ· — ἐλάσω. Photius Lex. MS. ap. Albertium ad Hesych. p. 1293. To. 2. Καλοῦμεν, ἀντὶ τοῦ καλέσομεν. Schol. Doruil. Aristoph. ad Plut. 1072. οὐκ ἐῶ· οὐκ ἐάσω. Schol. vetus Eurip. ad Phoenn. 620. ἐξελῶν· ἐξελάσων. Schol. Aeschyli ad Eumenn. v. 75. ἐλῶσι· ἀντὶ τοῦ ἐλάσουσι. Schol. Leid. Aristoph. ad Plut. 1077. οὐ μαχοῦμαι· οὐ μαχέσομαι.

rent [14]. Hac autem grammaticorum veterum doctrina, et diligentia, quis non putet admoneri potuiſſe, et vero debuiſſe, recentiores grammaticos omnes, ne errarent hoc in genere, et laberentur? Nihilo tamen minus reperti ſunt noſtro, et ſuperiore, ſaeculo enarratores ſcriptorum barbarorum non pauci, iidemque doctiſſimi, et exercitatiſſimi, et omnibus artis criticae copiis inſtructiſſimi, qui perſuadere eorum lectoribus conarentur, futura illa Atticorum prima eſſe praeſentia [15], aut futura ſecunda [16]. Itaque mirandum omnium minime eſt, vt alios librorum Noui Teſtamenti interpretes recentiores, ita etiam Lexicographos omnino omnes, qui, vel abeſſent ab vſu, et exercitatione, artis criticae, vel ſubſidia eius in explicandis libris diuinis crederent non eſſe adhibenda, in eundem incidiſſe errorem: quem tamen effugere facile potuiſſent, dummodo verſionem alterius Teſtamenti ſeptuagintaviralem, eiuſque exemplaria varia, diligenter conſuluiſſent, atque inter ſeſe contuliſſent. Huius enim operae diligentia docere iſtos homines ſatis potuiſſet, Macedonicam quoque, et Alexandrinam, dialectum formas illas futurorum ex Atticorum lingua adſcitas, et acceptas, vſurpaſſe, ſed haec futura Attica ab grammaticis, et librariis, in codicibus verſionis

 Ale-

14. Sic apud Xen. Cyrop. 1, 4. 20. in cod. Brem. Bodl. Guelf. pro ἐλῶ ſcriptum legitur ἐλάσω· quam formam futuri communem Velſius non debebat pro Attica ſubſtituere.

15. Vt Neocorus ad Ariſtoph. Plut. v. 48.: Spanhemius ad Ariſtoph. Plut. d. l. et ad Callim. h. in Del. v. 204.: Berglerus ad Ariſtoph. Nubb. 692.: Albertius ad Heſych. p. 1293. To. 2.: Palaretus ad 1. Corr. 15, 29. p. 412.

16. Vt Abreſchius auctar. dilucidatt. Thucydd. p. 242.

Alexandrinae itidem esse in communia transformata [17]. Et si varietatem lectionis codicum Novi Testamenti inspexissent in condendis Lexicis: doctrina grammaticorum veterum adiuti facile vidissent, tempora illa, quae speciem praesentium prae se ferrent, futura esse Atticorum contracta [18], non praesentia, neque praecepta sua de permutatione temporum huiusmodi exemplis confirmare ausi essent.

III. Sed aeque facile iidem homines eodem modo defendere a libris suis multos alios errores similes potuissent, in his eum, quo capti tradunt, nominibus pluralis numeri, et verbis e praepositionibus compositis, in omnibus Noui Testamenti locis vim, nescio quam, abscunditam contineri. Haec enim praecepta quam vana sint, quibus omnis loquendi vsus, vt scriptorum barbarorum, ita etiam Alexandrinorum Testamenti Veteris interpretum, atque adeo ipsorum Euangelistarum, Apostolorumque, prorsus repugnet, et sponte vident homines Graece, Hebraiceque, docti, et nos aliis iam in locis huius dispu-

17. V. c. Esai. 38, 14. μελετῶ· sed cod. Alex. et Complut. μελετήσω· Hebr. אֶהְגֶּה. Ier. 25, 16. ἐξεμοῦνται· Ald. ἐξεμήσονται, vel, vt Kircherus, et Trommius, laudant, ἐξεμέσονται· Hebr. וְהִתְגֹּעֲשׁוּ. Deut. 2, 5. δῶ, a praesenti δόω· sed in cod. Alex. scriptum est δώσω· Hebr. אֶתֵּן. Hos. 2, 14. πλανῶ.

18. V. c. Matth. 26, 18. ποιῶ· cod. Bezae Cantabrig. ποιήσω. 1. Corr. 15, 50. κληρονομεῖ· cod. Borner. et alii κληρονομήσει. Ioh. 16, 17. θεωρεῖτε. Matth. 11, 3. προσδοκῶμεν. Luc. 13, 32. ἐπιτελῶ. Atque huc referenda esse putamus, ἐκχεῖται Matth. 9, 17., h. e. ἐκχυθήσεται Luc. 5, 37.: τελειοῦμαι Luc. 13, 32.: ἐρημοῦται Matth. 12, 25.: γεννᾶται Matth. 2, 4. Videntur enim esse futura media contracta, quae vim futurorum passiuorum habeant.

disputationis [19] accurate docuisse speramus. Et profecto grammatici veteres etiam hoc in genere multo maiorem sapientiam, sermonisque, et Graeci, et Hebraici, scientiam, probarunt, quam plerique recentiorum grammaticorum. Nam, iis auctoribus, nomina pluralia οἰκτιρμοὶ [20], ὅρκοι [21], κόλποι [22], ἱμάτια [23], in libris Noui Testamenti idem significant, quod singularia, et composita verba ἀνευρίσκειν [24], διασώζεσθαι [25],

 ἐκ-

19. Vid. Prolus. 5. et 6.

20. Col. 3, 12. σπλάγχνα οἰκτιρμῶν· sed in multis codd. legitur οἰκτιρμȣ̃· quod Grisbachius nuper, et Matthaeius, in ordinem receperunt. Sic testam. XII patriarchch. 9, 2. ἥπατα ἐλέȣς, ap. Grabium spicileg. patrr. p. 219. To. 1.

21. Matth. 14, 9. διὰ τȣ̀ς ὅρκȣς· sed cod. Cantabrig. Bezae habet διὰ τὸν ὅρκον.

22. Luc. 16, 23. ἐν τοῖς κόλποις αὐτȣ̃· sed in cod. Cantabrig. Bezae scriptum est ἐν τῷ κόλπῳ αὐτȣ̃.

23. Matth. 24, 18. τὰ ἱμάτια αὐτȣ̃· sed multi codices legunt τὸ ἱμάτιον αὐτȣ̃· quo numero ipse Marcus c. 13, 16. vsus est. Itaque Millius Prolegg. §. 1099. non debebat scribere, singulare ἱμάτιον fugae ibi memoratae magis conuenire.

24. Luc. 2, 16. ἀνεῦρον· vbi codd. nonnulli habent εὗρον· vt ap. Xen. Cyrop. 1, 6. 19. p. 51. Lips. pro ἀνευρίσκον in cod. Guelf. legitur εὕρισκον, et 2, 1. 7. in cod. Alt. ἔλαβον pro ἀνέλαβον.

25. Matth. 14, 36. διεσώθησαν· sed codd. quidam legunt ἐσώθησαν· vt ap. Marcum c. 6, 56. est ἐσώζοντο. Sic ap. Xen. Cyrop. 1, 3. 13. pro διηρώτα cod. Altorp. habet ἠρώτα· ap. Aristoph. Plut. 448. glossam διαμαχȣ́μεθα scholiastes Leid. interpretatus est verbo simplici μαχεσόμεθα· v. Hemsterhusius p. 398.: et pro verbo μάχεσθαι Act. 7, 26. in reliquiis Aqu. et Sym. Ex. 2, 13. legitur verbum διαμάχεσθαι, vt in versione septuagintauirali verbum διαπληκτίζεσθαι.

ἐκλάμπειν [26], ἐκπειράζειν [27], ἐπιζητεῖν [28], qua vim, et poteſtatem, nihil a verbis ſimplicibus diſcrepant. Haec igitur gloſſemata ſi adhibuiſſent, eorumque elegantiam ſimplicem ſequuti eſſent, Lexicographi in explicando vtroque illo verborum genere: ſane, et doctrinae ſuae exiſtimationi conſuluiſſent, et cupiditati lectorum Noui Teſtamenti liberalium ita ſatiſfeciſſent, vt adiumenta intellegentiae huiuſmodi verborum aliunde petere ne cogerentur. Etenim eam eſſe veri naturam conſtat, vt paucis oſtendi verbis poſſit, et homines docti, verique amantes, breuiloquentes eſſe, neque loquaces, ſolent: inſcitia, et vanitatis libido, turpitudinem ſuam occultare inuolucris loquacitatis, atque integumentis, ſtudet.

IIII. Sed vt adulefcentes ingenui, cognita gloſſematum pro gloſſis ſubſtitutorum vtilitate in libris ſcriptorum diuinorum intellegendis, eo vehementius excitentur, vt varietatem lectionis ex antiquis codicibus prolatam ab editoribus Novi Teſtamenti ſtudioſe inſpiciant, atque operam ab doctiſſimis hominibus ea in re collocatam grati

26. Matth. 13, 43. ἐκλάμψουσιν· cod. Cantabrig. Bezae λάμψουσιν· vt Dan. 12, 3. pro verbo Hebr. יַזְהִירוּ in cod Vatic. verſionis Theodot legitur λάμψουσιν, ſed in Alex. et Complut. ἐκλάμψουσιν· οἱ ό habent Φανοῦσιν. Sic Cicero Lael. c. 16. haud dubie ſcripſit *edixero*: *diſſero*, quod nonnulli codd. habent, i. e. *dixero*, gloſſema eſt.

27. Luc. 10, 25. ἐκπειράζων· ſed codd. nonnulli habent πειράζων· quod verbum eſt Matth. 22, 35.

28. Marc. 8, 12. ἐπιζητεῖ· ſed in cod. Cantabrig. Bezae et Colb. 8. legitur ζητεῖ· quo verbo ipſe Marcus d. l. v. 11. vſus eſt. Sic ap. Xen. Cyrop. 2, 1. 2. p. 55. Lipſ. pro οἰκοῦντας in cod. Altorp. ſcriptum eſt ἐποικοῦντας· quae vera fortaſſe ſcriptura eſt.

grati laudent: age, interpretamenta ſingulorum verborum nonnulla, per varias orationis partes eundo, ita perſequamur, vt elegantiam eorum paucis demonſtremus, ſubiungamuſque exempla quaedam interpretamentorum verborum iunctorum non minus, quam eorum, quae ipſis gloſſis in ordine addita in vno, et altero, codice inueniuntur.

V. Numi enim illi triginta, quos principes ſacerdotum Iudaeorum, caeterique ſynedri Hieroſolymitani, numeraſſe Iudae Carioteníi [29] perhibentur, a Matthaeo [30] ἀργύρια dicuntur. Hoc vocabulo multi Lexicographi, in his ipſe Suartius, ſignificari *numos argenteos*, praeeuntibus, vt videtur, Caſtalione, et Beza, tradunt. Hanc vero verborum ambiguitatem in eo, qui interpretis perſonam ſuſceperit, quis ferat? quis eam legentibus Matthaei commentarios prodeſſe quidquam poſſe putet? Maiorem certe prouidentiam, et maius perſpicuitatis ſtudium, grammaticorum veterum loquuntur gloſſemata ϛατῆρας, et ϛατῆρας ἀργυρίȣ, quorum hoc in codice Baſileenſi Capnionis, illud in codice Cantabrigienſi Bezae [31], in ordinem receptum extat. Nam verba Matthaei [32] τριάκοντα ἀργύρια ſunt Zachariae vatis [33] verba שְׁלֹשִׁים כָּסֶף, hoc eſt, שְׁלֹשִׁים שֶׁקֶל כֶּסֶף [34],

Mm 5 ſed

29. Nam Ioh. 13, 2. pro Ἰσκαριώτȣ in cod. Bezae Cantabrig. legitur ἀπὸ Καρυώτȣ. vid. Relandus differtt. miſcell. 3, 1. p. 123. P. I. et Palaeſt. 3. p. 700. Trai.

30. C. 26, 15. 27, 3. 5. 6. 9.

31. Sic ap. Euſeb. Ἀποδ. lib. 10. c. 1. p. 468. C Colon. legitur, οἱ δὲ ἔϛησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια· ſed ibid. c. 4. p. 479. D eſt, οἱ δὲ ἔϛησαν αὐτῷ τριάκοντα ϛατῆρας.

32. C. 26, 15.

33. C. 11, 12. f.

34. Sic Gen. 20, 16. eſt אֶלֶף

ſed numi argentei, qui ab Hebraeis שְׁקָלִים dicuntur, reſpondent, ipſo Matthaeo auctore [35], iis, qui ab ſcriptoribus Graecis, etiam ab Aquila, et Symmacho, interpretibus Teſtamenti Veteris [36], ςατῆρες appellantur. Vtriusque autem generis numorum pondus, et pretium, par fuiſſe apud Graecos, et Iudaeos, pretio, et ponderi, quatuor Atticarum drachmarum, vel duarum Alexandrinarum, quis neſcit [37]? Alexandrini enim librorum Hebraeorum interpretes ſiclos Iudaeorum nuſquam ςατῆρας, vbique σίκλȣς, vel δίδραχμα, nominarunt, ciuitatis ſcilicet ſuae moribus, et inſtitutis, coacti, quum ςατὴρ Alexandrinus drachmis Atticis octo, quatuor domeſticis, aeſtimatus inueniatur [38]. Et quan-

אֶלֶף כֶּסֶף: quae verba Onquelosus recte vertit, addito nomine אֲלַף סִלְעִין, הַכֶּסֶף סִלְעִין. nam nomen שֶׁקֶל nonnunquam ab ipſis Hebraeis ita adiectum legitur. vid. Gen. 23, 15. ſ. Ioſu. 7, 21.

35. Vid. c. 17, 27. coll. v. 24.

36. Vid. Proluſ. 3, 2.

37. Vid. Proluſ. 3, 2.

38. Epiphanius de menſuris, et ponderr., p. 542. Baſil. p. 486. Monach. Ἡ δὲ ȣ̓γγία ἔχει ςατῆρας δύο, ὁ δὲ ςατὴρ ἥμισυ μὲν ȣ̓γγίας, ἔχων δὲ δίδραχμα. — Σίκλος, ὃ λέγεται καὶ κοδράντης, τέταρτον μέν ἐςι τῆς ȣ̓γγίας, ἥμισυ δὲ τȣ̃ ςατῆρος, δύο δραχμὰς ἔχον. Loquitur enim Epiphanius de vncia, et ſtatere, Alexandrino, ita, vt δραχμαὶ ipſae ſint drachmae Alexandrinae, atque adeo pro ἔχων δὲ δίδραχμα legi debeat ἔχων δὲ δύο δίδραχμα. Sed δύο δίδραχμα Alexandrina ſunt drachmae Atticae octo. Schol. ad Gen. 23, 15. ap. Montefalconium Hexapll. pag. 35. To. 1. Στατὴρ ἐςιν, ὥς φησιν Ὠριγένης, τὸ ἥμισυ τῆς ȣ̓γγίας, ἔχει δὲ δραχμὰς δύο. Intell. vncia, et ſtater, Atticus, ſed drachma Alexandrina. Vnde Gen. 24, 22. et Ex. 38, 26. pro Hebr. בֶּקַע Aqu., vt videtur, habet δίδραχμον· οἱ ό δραχμή. Heſychius: Στατὴρ· τετράγραμμος· ſed viri docti pro τετράγραμμος reponi τετρά-

quanquam ingenium glossematis στατῆρας est eiusmodi, vt non necesse fuerit genitiuum nominis ἀργύριον addi: tamen additamentum hoc per se iudicari ineptum nec propterea debet, quia, et Hebraei, et Graeci, aureis quoque numis vsi leguntur, qui שִׁקְלֵי זָהָב [39], et στατῆρες χρυσοῖ, vel στατῆρες χρυσοῦ [40], vocarentur, et quorum quisque valeret drachmas Atticas aureas binas, hoc est, vicenas argenteas [41]. Semina porro illa, quae sparsa a patre quodam familias in solum glareosum cecidisse Iesus ostendit, quum, nec obruta satis humo iacerent, nec agere radices altius possent, mox surrexisse, sed ita, leguntur, vt herbescens eorum viriditas aestu solis laesa, et adusta, exaruerit, quod radices non descendissent altius. Hanc enim esse sententiam verborum διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, quibus Matthaeus [42], et Marcus [43], vsi sunt, cum res ipsa declarat, tum glossema βάθος ῥίζης docet, quod apud Matthaeum in codice bibliothecae Parisiensis regiae, qui ab Neocoro sextus nominatur, pro glossa ῥίζαν in ordine comparet. Neque vero fugit facile quenquam, et Lexicographi recte praecipiunt, Ἕλληνας in libris Noui Testamenti, maxime-

τράδραχμος iubent. At etiam Phauorinus, nesciebam vnde, habet, Στατὴρ· τετράγραμμον, ἤγουν ἥμισυ οὐγγίας. Hesychius, et ex eo Phauorinus, v. σίγλον· δύναται δὲ ὁ σίγλος δύο δραχμὰς Ἀττικάς. Pro δύο rescribi debet haud dubie τέσσαρας.

39. Vid. 1. Chronn. 21, 25.

40. Vid. Pollux 4, 173. 9, 58. Ab Herodoto 7, 28. f. dicuntur, et χρυσοῖ στατῆρες Δαρεικοί· v. Pollux 9, 59.: et simpliciter στατῆρες.

41. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Δραχμὴ χρυσοῦ· ὁλκὴ νομίσματος εἰς ἀργυρίου λόγον διδράχμων δέκα· leg. δραχμῶν δέκα.

42. C. 13, 6.

43. C. 4, 6.

ximeque in Pauli epiſtolis, ad Ἰουδαίους ita referri, vt nomine iſto ſignificentur omnes, praeter Iudaeos, ciuitates, quae fuerint ab religione Iudaeorum, et ſacris, alienae [44]. Sed vt cauſſam huius earum appellationis afferre hanc debebant, quod barbari fere omnes tum ore loqui Graecorum conſueuiſſent [45]: ita interpretationem illam vocabuli ipſam recte poterant etiam gloſſemate ἔθνεσι confirmare, quod pro gloſſa Ἕλλησι, in priore Pauli ad Corinthios epiſtola [46] in multis notae bonae codicibus ſubſtitutum, et in verſionibus antiquis non paucis redditum, inuenitur. Hoc enim interpretamentum quam verum, atque elegans, ſit, vel vſus loquendi Lucae, et ipſius Pauli, oſtendit, quippe quos nomina Ἕλληνες, et ἔθνη, tanquam vocabula idem valentia, in Apoſtolorum actibus [47], et ad Romanos epiſtola [48], permutaſſe inter ſe conſtet: ſed nomen ἔθνη, exemplo Hebraei vocabuli גּוֹיִם, ad Iudaeos ita referri, vt complectatur ciuitates barbaras, et a vera, caſtaque, religione alienas, omnes, quis neſcit [49]? Et quum periti artis criticae non neſciant, gloſſemata ſaepenumero in multis, iiſque antiquis, et bonis, codicibus loca gloſſarum, librariorum culpa, occupaſſe, atque adeo in conſtituenda loci cuiuſque lectione auctoritatem, ac fidem, plurium codicum ita eſſe ſequendam, vt etiam

44. Gloſſ. vett. Ἕλλην τὴν θρησκείαν *Paganus.*

45. Vid. Salmaſius commentar. de Helleniſt. p. 218. ſſ.: quo ex libro fere ad verbum exſcripta ſunt ea, quae Suicerus in theſ. eccleſ. pag. 1089. ſ. edit. pr. de hac poteſtate nominis Ἕλλην diſputauit: et fun. Helleniſt. pag. 108. ſſ.

46. C. 1, 23.

47. C. 14, 1. 18, 4. 19, 10. 20, 21. coll. c. 14, 2. 5.

48. C. 1, 16. 2, 9. ſ. 3, 9. 10, 12. coll. c. 3, 29. 9, 24.

49. Vid. Vorſtius Philol. S. c. 2. ſ. 15.

etiam orationis, qua ſcriptor quiſque in libro quoque vſus ſit, audiatur vox, quum Paulus in locis epiſtolae illius ad Corinthios omnibus [50] oppoſuerit Iudaeis Ἕλληνας, non ἔθνη· Griſbachius nobis quidem videtur non debuiſſe in loco epiſtolae Paulianae ſupra laudato ἔθνεσι pro Ἕλλησι in ordinem recipere. Idem Apoſtolus in eadem epiſtola, quo loco [51] oſtendit, viros, et maritos, conuentibus, qui ſacrorum cauſſa celebrentur, intereſſe debere capitibus apertis, et nudis, mulierculas, vxoreſque, tectis, et opertis, vſus eſt his verbis, ὀφείλει ἐξϛσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Iam Lexicographi fere omnes cum optimo quoque librorum diuinorum interprete, et aetatis noſtrae, et ſuperiorum ſaeculorum, vocabulo ἐξϛσία ſignificari praecipiunt, et recte praecipiunt, *tegumentum*, *operimentum*, *opertorium*. Sed debebant etiam ingenii conſultorum ſuorum imbecillitati ita ſuccurrere, eorumque cupiditati, quae cognoſcere vellet cuiuſque rei hoc quoque in genere rationes, ita ſatiſfacere, vt afferrent, certe breuiter, et quaſi digito demonſtrarent, ea, e quibus veritas, et elegantia, iſtius interpretationis eluceret: praeſertim quum noſtra maxime, patrumque noſtrorum, memoria exorti ſint homines docti non pauci [52], qui nomini ἐξϛσία longe aliam, diuerſamque, vim, et poteſtatem, non tam attribuere, quam affingere, auderent. Neque enim Pe. Faxardus tantum, marchio Veleſius, pro ἐξϛσίαν in antiquis codicibus ſcriptum inuenit περιβόλαιον, ſed etiam Ire-

50. C. 1, 22. 24. 10, 32. 12, 13.

51. 1. Corr. 11, 10.

52. Vid. omnino Heumanus ad 1. Corr. d. l. p. 411. — 428. To. 10.

53. Vid. v. 15.

Irenaeus [54] locum illum Pauli ita laudauit, vt pro ἐξουσίαν ſubſtituerit κάλυμμα. Haec vero interpretamenta ſatis loquuntur, primos iam, et antiquiſſimos, eccleſiae doctores nomen ἐξουσία de capitis *tegumento*, et opertorio [55], accipiendum vidiſſe [56]: quam eorum auctoritatem inſequutorum quoque temporum interpretes Noui Teſtamenti excellentiſſimi [57] recte, ſapienterque, ſequuti inueniuntur. Neque enim ignorant ingenii linguarum veterum gnari, vocabula rerum poni non raro pro notarum, ſignorumque, earum vocabulis. Certe velamentum oris, quod Abimelecus, rex Gerarenſis, Abrahamum Sarae, vxori ſuae, quam ipſe ſororem ſuam eſſe ſimulauerat, comparare iuſſit, quo eam omnibus appareret maritam eſſe, neque virginem, ab

54. c. haereſes lib. I. c. 8, 2. p. 37. Maſſuet. Δεῖ τὴν γυναῖκα κάλυμμα ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους.

55. Gloſſ. vett. Κάλυμμα *Velum, velamen, tegimentum.* Περιβόλαιον *Amictorium, opertorium, amictus.*

56. Vid. Adam. Rechenbergius exercitatt. in N. T p. 68. ſſ.

57. Schol. cod. Moſquenſ. A ad I. Corr. II, 10. apud Matthaeium p. 232., Ἐξουσίαν λέγει τὸ κάλυμμα. Oecumenius ad I. Corr. d. l. p. 450. Veron. Διὰ τοῦτο ὀφείλει· διὰ τὰς εἰρημένας, φησὶν, αἰτίας ὀφείλει ἐξουσίαν ἔχειν, τουτέστι κάλυμμα, ἵνα φαίνηται, ὅτι ὑπὸ ἐξουσίαν τυγχάνει. Τὸ γὰρ κάλυμμα κάτω νεύειν καὶ κεκυφέναι ποιεῖ, ὅπερ σύμβολόν ἐστι καὶ δεικτικὸν τοῦ ἄρχεσθαι αὐτήν. Ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν· τουτέστι τὴν τοῦ ἀνδρὸς ἐξουσίαν καὶ κυριότητα, ἧπερ ὑπόκειται, ὀφείλει ἔχειν, καὶ ἐπιδείκνυσθαι ἐπ' αὐτῆς τῆς κεφαλῆς. Τοῦτο δὲ πῶς κατορθοῦται; διὰ τοῦ κατακαλύπτεσθαι. Διὸ καὶ αὐτὸ τὸ κατακάλυμμα εἰκότως ἂν ἐξουσία κληθείη, ὡς τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἐξουσίας καὶ κυριότητος ἐνδεικτικὸν ὑπάρχον καὶ παραστατικόν. add. Theophylactus ad I. Corr. d. l. p. 253. Londin.

ab ipso Mose [58] כְּסוּת עֵינַיִם, sed ab septuaginta librorum eius interpretibus eleganter ἡ τιμὴ τȣ̃ προσώπȣ vocatur, vt ab Onqueloso כְּסוּת דִּיקָר, non quidem propterea, quod ornet faciem, vt sertum Syluani a Virgilio [59] *honor capitis* dicitur: quomodo enim velamentum oris ornare illud putetur? quomodo os, caputque, obnuptum apparere venustum, et pulchrum, possit? sed quia erat honoris insigne, atque argumentum, quum conditio nuptarum apud priscas quoque ciuitates poneretur innuptarum fortuna honestior. Iam vero, neque in Graeca lingua, neque in Hebraica, vllum, quod sciam, habetur verbum, quod proprie de potestate ita vsurpatum sit, vt etiam ad insignia eius transferretur. Miror enim non parum, in Schoetgeniano quoque Lexico ad tollendam insolentiam vsus istius vocabuli ἐξȣσία adhibitam esse Dauidis auctoritatem, qui in hymno sexagesimo [60] *tegumentum capitis* dixerit מָעוֹז רֹאשׁ: quippe quum nominis ἐξȣσία notio, quod fere nomini Hebraeo מֶמְשָׁלָה, et Chaldaeo שָׁלְטָן, respondet, a notione vocabuli מָעוֹז, quod Alexandrini interpretes verbis ἰσχὺς, δύναμις, κράτος, aliisque similibus, reddidere, tota diuersa sit, ita, vt מָעוֹז רֹאשׁ intellegatur esse *praesidium, et custodia, capitis*, custos, et praeses, salutis. Nihilo tamen minus ex iis, quae ante a nobis dicta sunt, iudicari a quoque posse putamus, Apostolo, per leges vsus bene, recteque, loquendi, licuisse tegumentum capitis vxorum nominare ἐξȣσίαν, quod esset insigne potestatis maritorum, sub qua deus ipsas, et natura, esse vellent. Hanc enim vim tributam ab Paulo esse

58. Gen. 20, 16.
59. Eclog. 10, 24.
60. v. 9.

esse isti vocabulo ob eam, quam attulimus, caussam, tota eius disputatio, legitimaeque interpretationis praecepta, ita docent, vt dubitari vix posse videatur. Nam maritum Apostolus ostendit [61] esse κεφαλὴν γυναικὸς, quae potestas, et dignitas, eum, in sacris quidem publicis, quibus etiam mulierculae intersint, prohibeat κατὰ κεφαλῆς ἔχειν [62], quod simpliciter dictum esse omnes vident pro κατὰ κεφαλῆς ἔχειν κάλυμμα [63], quo nomine a grammaticis adscripto aucta est, librariorum temeritate, in codicibus quibusdam vetustis ipsa Apostoli oratio: et quemadmodum maritos vetat [64] in conuentibus religiosis κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλὴν, quod sint vxorum domini, ita vxores iubet [65] κατακαλύπτεσθαι, neque

61. v. 3.

62. v. 4.

63. Vid. Salmasius epist. de caesarie virorum, et mulierum coma, p. 671. ss.: qui formulam κατὰ κεφαλῆς ἔχειν scienter contulit cum formula κατὰ γαστρὸς ἔχειν· cui similes sunt formulae ἔχειν ἐν γαστρὶ apud Herodo. 3, 32. et apud Hippocrat. aphorr. 5, 60. s.: et λαμβάνειν ἐν γαστρὶ ap. Hippocrat. d. l. 5, 59. Sed huius formae loquendi vestigia etiam in versione septuagintauirali V. T. comparent: id quod iam ab aliis obseruatum esse scimus, nominatim a Lamb. Bosio in exercc. philologg. ad 1. Corr. d. l. Nam Esth. 6, 12. verba Hebrr. אָבֵל וַחֲפוּי רֹאשׁ, quae Chaldaeus interpres vertit אָבֵל עַל בְּרַתֵּיהּ וּמִתְעַטֵּף עַל רֵישֵׁיהּ, οἱ ὁ interpretati sunt verbis λυπούμενος κατὰ κεφαλῆς. Haec autem verba si integra sunt, non possunt explicari aliter, quam sic, vt plena oratio dicatur debere esse λυπούμενος, καὶ ἔχων κατὰ κεφαλῆς. Certe in exemplo hexaplari historiae Estherae, quod Iac. Vsserius ex Arundeliano codice edidit, legitur, λυπούμενος, καὶ κατακεκαλυμμένος τὴν κεφαλὴν, h. e. *lugens, et operto capite*, quae sunt verba interpretis Latini veteris.

64. v. 7.

65. v. 6.

ἰque esse *ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ* [66], quod sint arbitrio maritorum, et potestati, subiectae.

VI. Atque vel pauca haec interpretamentorum nominum, quae ab grammaticis substantiua appellantur, exempla docere quemque posse speramus, recte a nobis in numero vitiorum Lexicorum Noui Testamenti etiam hoc poni, quod auctores eorum non inspexerint varietatem lectionis codicum veterum, neque tirones iusserint inde intellegentiae, atque explanationis, verborum rariorum, notionumque eorum reconditarum, adiumenta, et firmamenta, petere, atque conquirere. Quo quidem in genere quantam curam, quantam diligentiam, adhibere soleant interpretes librorum barbarorum vtriusque orationis omnes non sine magna lectorum vtilitate, quis nescit? Sed ista Lexicographorum Noui Testamenti incuria, et neglegentia, quantopere vituperanda sit, etiam magis elucebit e reliquis propositae disputationis partibus, quae hanc proxime, volente deo, sequentur.

VII. Nunc enim restat, vt ego vos, collegae amantissimi, vehementer rogem, velitis mecum perendie, hora quinta vespertina, conuenire libentes in auditorium scholae nostrae classicum, et

66. v. 5. Clemens Alex. Paedagog. 3. p. 255. f. Colon. Ἐπὶ δὲ τὴν ἐκκλησίαν ἀκτέον τὴν γυναῖκα, καὶ τὸν ἄνδρα, ἐστολισμένους κοσμίως, ἀπλάστῳ βαδίσματι, ἐχεμυθίαν ἀσπαζομένους, ἀγάπην ἀνυπόκριτον κεκτημένους, ἁγνοὺς τὰ σώματα, ἁγνοὺς τὰς καρδίας, ἐπιτηδείους προσεύξασθαι τῷ θεῷ. Πλεῖον τοῦτο ἐχέτω ἡ γυνή· κεκαλύφθω τὰ πάντα, πλὴν εἰ μὴ οἴκοι τύχοι· σεμνὸν γὰρ τὸ σχῆμα, καὶ ἀκατάσκοπον· καὶ οὔποτε αὐτὴ σφαλήσεται, πρὸ τῶν ὀμμάτων τὴν αἰδῶ, καὶ τὴν ἀμπεχόνην, θεμένη, οὔτε ἄλλον εἰς ὄλιθον ἁμαρτίας ἐκκαλέσεται, τὸ πρόσωπον ἀπογυμνουμένη.

et grati celebrare laudes dei optimi maximi, qui etiam hoc anno, cuius ad finem, et terminum, salui peruenimus, res nostras omnes cura sua, et prouidentia, ita complexus est, vt benignitas eius omnem spem nostram, cogitationemque, longissime superarit. Praeire autem nobis ea in re iussimus ingenii praeclari, neque mediocris spei, adulescentem, IOH. IRENO THEVM RICHTERVM, *Tauchauiensem:* qui, memor casus grauissimi, quo res, et ecclesiastica, et scholastica, Lipsiensis nuper tantopere afflicta erat, verba breuiter, audientibus nobis, faciet *de fructibus, et commodis, quae adulescentes literarum studiosi capere ex obitu virorum clarorum inopinato possint*, quo appareat, nulla incommoda, nullas molestias, quae mortalibus accidant, esse tantas, tamque acerbas, quae non existant sapientibus, diligentibusque, earum spectatoribus vtilissimae, maximeque salutares. Hanc igitur optimi adulescentis oratiunculam, agite, ita audiamus, vt imploremus numen diuinum ardentissimis precibus, velit porro tueri, bonisque omnibus summis cumulare, ordinem ciuitatis amplissimum, atque eos, quorum ad peculiarem curam res scholae nostrae pertinent; velit disciplinam nostram anno proximo omni in genere fructuosissimam esse iubere; velit denique animos discipulorum nostrorum omnium eo sapientiae, et virtutis, amore incendere, atque adeo inflammare, qui eos se ita gerere tempore quoque, ac loco, cogat, vt liberalitate, et publica, et priuata, non indigni reperiantur. Scripsi Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Ianuarias A. C. CIↃIↃCCLXXXVI

PROLV

PROLVSIO QVINTA ET VICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN COPIIS VARIANTT. LECTIONVM AD EXPLICANDAM NOMINVM ADIECTIVORVM PRONOMINVM ET VERBORVM VIM NON ADHIBITIS

Q. B. V

Etsi interpretationis librorum veterum omnivm, et humanorum, et diuinorum, veritas, atque grauitas, consensu praeceptorum linguae cuiusque, et vsus loquendi, et mentis ipsorum auctorum, vnice continetur, adeo, vt, qui locum aliquem scripti cuiusdam, siue diuini, siue humani, ita explicet, vt vocem consuetudinis sermonis, legumque grammaticarum, addicere, neque orationem scriptoris reliquam reclamare, appareat, is recte eum, neque perperam, interpretari existimetur: tamen fit, nescio quomodo, vt interpretatio eorum maxime locorum, in quibus verba recondita, exquisitaque quadam potestate praedita, legantur, tum demum perfecta, omnibusque numeris absoluta, etiam ab doctis hominibus, non tantum ab indoctis, ponatur,

 vbi

vbi auctoritate grammatici alicuius veteris, cui omnem naturam, ingeniumque, omnes dotes, et virtutes, omnes copias, et opes, linguae ciuitatis suae planissime cognitas, perspectasque, fuisse constet, fuerit confirmata. Itaque praestantissimos scriptorum vtriusque linguae interpretes nostrae quoque aetatis videmus studiosissime hoc agere, vt, collectis intellegentiae verborum, et singulorum, et iunctorum, adiumentis reliquis, conquirant e grammaticorum veterum libris omnia, quibus sua de vi, et potestate, verborum, rariorum praesertim, neque vulgarium, praecepta perficiant quasi, atque absoluant, imitantes scilicet prouidam iureconsultorum curam, qui decreta sua, et responsa, quamuis aequa, et legitima, tamen aliorum iuris prudentium sententiis, qui iisdem in caussis eodem modo responderint, legumque scientia accurata, et promta, in primis praestitisse ferantur, communienda censent. Atque hanc interpretum librorum humanorum diligentiam sequi, vt omnes diuinorum librorum Noui Testamenti enarratores recentiores, ita etiam Lexicographi, sic debebant, vt conquirerent summo studio omnia interpretationis eorum auxilia, quae ab antiquis grammaticis profecta vspiam inuenirentur; praesertim quum hos libros cuncti sciant verbis raris, et interioribus, quae nouam, insolentemque, potestatem habeant, esse refertos. Quo quidem in numero ponenda esse glossemata, quae multis in locis pro glossis substituta a librariis, non sine numine diuino, in codicibus, qui nostram attigissent aetatem, omnino omnibus conspicerentur, docere superiore libello ita conati sumus, vt nomina nonnulla, quae a grammaticis substan-

ſtantiua appellantur, attulerimus, quae appareret eſſe ab antiquis grammaticis ita explicata, vt nec ab doctiſſimis noſtrorum temporum grammaticis rectius, meliuſque, explicari poſſent. Haec autem ipſa diligentia, et ſolertia, eorundem hominum elucet in aliarum quoque orationis partium interpretamentis, quae in quibuſdam codicibus ipſa ſcriptorum diuinorum verba e ſedibus eiecere ſuis. Vt igitur horum etiam gloſſematum elegantia vtilis non minus, quam inutilis Lexicographorum neglegentia, qui nullam prorſus eorum rationem in libris ſuis habuerint, cognoſcatur: exemplum cuiuſque generis vnum, et item alterum, proponemus, de quo ita quaeramus, vt videant aduleſcentes literarum ſtudioſi, aliique, in ſylloga illa variantium lectionum, quas doctiſſimi homines ex tot codicibus Noui Teſtamenti protulerunt, et permulta, et certiſſima, intellegentiae orationis ſcriptorum diuinorum adiumenta inueniri, atque adeo excitentur ad ſtudium diligenter eam inſpiciendi, copiiſque eius in legendis Euangeliſtarum commentariis, Apoſtolorumque epiſtolis, recte vtendi.

II. Ieſus enim, Matthaeo auctore [1], homini aliquando cuidam caeco, et muto, cuius corpus inuaſiſſet geniorum malorum aliquis, ſalutem ita reſtituit, vt aegrotus, exacto genio malo [2], linguae vſum, luminaque oculorum, receperit. Cuius quidem facti nouitate, atque inſolentia, incredibili, nec opinata, Iudaeorum multitudo perhibetur ita attonita obſtupuiſſe, vt omnes ſint vno ore, animoque, profeſſi, Ieſum eſſe Meſ-

1. C. 12, 22. 2. Luc. 11, 14.

ſiam, atque adeo deum [3]. Phariſaei vero, qui eidem ſpectaculo intereſſent, hunc opinionis, vt ferebant, errorem ex animis vulgi ita euellere auſi ſunt, vt ei perſuadere conarentur, Ieſum ex hominum corporibus genios malos, magiſtri eorum, principiſque, auxilio, exigere [4]. Huius igitur vocis amentiam impiam, ſingularemque, quum refutaſſet Ieſus [5]; quum docuiſſet, quanta, et quam grauia, et quam irreparabilia, damna, ac detrimenta, ſequerentur iſtam inſaniam, quam atroces, et quam dirae, et quam horribiles, poenae, ac ſupplicia, manerent iſtum furorem [6]; quum leuitatem aduerſariorum inſignem ita notaſſet, vt oſtenderit, quorum ſenſus recti eſſent, et pii, eorum etiam orationem rectam ſolere eſſe, et piam, ſed quorum animi praui eſſent, atque impii, eorum quoque ex ore voces prauas, impiaſque, exire [7]: tandem, vt deterreret omnes ab ſtudio orationis nefariae, aliiſque pernicioſae, vocem addidit hanc [8], Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πᾶν ῥῆμα ἀργὸν, ὃ ἐὰν λαλήσωσιν οἱ ἄνθρωποι, ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, id eſt, *Mihi credite, homines rationem reddere oportebit aliquando de dictis, et vocibus, inutilibus, quas emiſerint, omnibus.* Hic autem diſputationis Ieſu ordo, atque ſeries, docere quemque, vt opinor, poteſt, verbis ῥῆμα ἀργὸν ſignificari genus vocum illud, cui, tanquam forma quaedam, ac ſpecies, ſubiecta ſit vox a Phariſaeis emiſſa, qua vulgus leue adduci facile potuerit, vt Ieſum, non Meſſiam, deumque, ſed homi-

3. Matth. 12, 23.

4. Matth. 12, 24.

5. Matth. 12, 25. — 29.

6. Matth. 12, 31. f.

7. Matth. 12, 33. ff.

8. Matth. 12, 36.

minem, et magum, esse crederet, ita, vt intellegi necesse sit *voces inutiles*, hoc est, *in primis perniciosas*, quae aliis vehementer, atque ita, obsint, vt amore, studioque, impietatis, et aliorum vitiorum, incensi pereant. Solent enim diuini quoque scriptores [9], auctorum vtriusque linguae exemplo [10], eo deminutionis, attenuationisque, genere vti, vt ponant verba contraria eorum, quae declarare velint, iisque adiungant particulas, quae vim negandi habeant. Atque hanc interpretationem glossae ἀργὸν Lexicographi recte poterant adiuuare, atque adeo confirmare, glossemate πονηρὸν, quod in codicibus

9. Sic. ep. ad Philem. v. 11. Onesimus vocatur ἄχρηστος, quia Philemoni multum nocuerat, eumque laeserat: vid. v. 18.: et ἀλυσιτελὲς Hebrr. 13, 17. est *vehementer damnosum, et perniciosum.* v. Hammondius ad Matth. 12, 20. 36. et Erh. Andreas Fromanus, popularis meus, opuscc. philologg. p. 346. 352. To. I.

10. Hom. Il. β', 269. ἀχρεῖον ἰδὼν, h. e., Hesychio interprete, σκυθρωπάσας, καὶ διατρέψας τὴν ὄψιν· vbi v. Clarquius. Apud Xen. Cyrop. 1, 3. 8. μὴ λυσιτελεῖν est *perniciosum esse, exitium afferre:* si quidem verba τοῦ δὴ — αὐτοῖς genuina sunt, neque supposita: vid. vindicc. locc. quorr. Plat. p. 537. f.: ibid. 5, 2. 11. ἀσύμφορον *valde damnosum:* et ἀλυσιτελῶς *magno cum damno* ap. Theophrast. charr. 8, 4. Sic *inutile* legitur de eo, quod *detrimentosum* est, ap. Cic. Off. 1, 10. 3, 13. v. Raphelius ad Matth. 12, 36. Eiusdem generis voces sunt ἀμέμπτως *libenter* ap. Xen. Cyrop. 4, 2. 18. et *honeste, gloriose,* καλῶς, ibid. 7, 3. 3.: οὐδὲν ὤνησαν, h. e. *plurimum mihi aegritudinis attulerunt, ingenti me moerore, et dolore, affecerunt,* 7, 2. 7.: μὴ σύμφορα *perniciosa, inutilia,* et τὰ μὴ σύμφορα βασιλεῖ *persona regis indigna, ea, quibus maiestas regis violetur, quibus vita, mores, facta, instituta, regis carpantur,* 8, 2. 7.: μὴ εὐκαταφρόνητον *in primis suspiciendum, admirabile, venerabile,* 8, 3. 1.: οὐκ ἀμελεῖν *studiosissime agere* aliquid, 8, 3. 3.

nonnullis in ordinem relatum extat, elegantius ſane, atque verius, iis, quae in libris Chryſoſtomi [11] leguntur, a Theophylacto [12] inde repetita. Quaeri autem ab hominibus doctis ſolere nouimus, vtrum illa vocabuli notio Graeca, an Hebraica, in Matthaei quidem commentariis, ponenda ſit. Alii enim, vt Georgius [13], Euangeliſtam ea in re ſequutum eſſe aiunt vſum loquendi Graecorum: alii, vt Druſius [14], et Vorſtius [15], eum conſuetudinem ſermonis Hebraeorum ſpectaſſe contendunt. Quae quidem poſterior ſententia nobis propius accedere ad veritatem, quam ſuperior illa, videtur. Etenim norunt omnes, vocabulum ἀργὸς hac praeditum eſſe poteſtate, vt primum, et proprie, vſurpetur de hominibus *deſidioſis*, et *otioſis*, qui non faciunt opus,

11. Homil. 43. in Matth. p. 479 E To. I. Francof.: Ἀργὸν δὲ τὸ μὴ κατὰ πράγματος κείμενον, τὸ ψευδὲς, τὸ συκοφαντίαν ἔχον, [ἐστί]· τινὲς δέ φασιν, ὅτι καὶ τὸ μάταιον· [οἷον] τὸ γέλωτα κινοῦν ἄτακτον, ἢ τὸ αἰσχρὸν, καὶ ἀνελεύθερον.

12. ad Matth. d. l. p. 50. Rom. Ἐκφοβεῖ ἐνταῦθα ἡμᾶς, ὅτι καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀργοῦ λόγου δώσομεν λόγον, τουτέστι, τοῦ ψευδοῦς, τοῦ συκοφαντικοῦ, ἢ καὶ τοῦ ἀτάκτου, καὶ γελοιώδους. Theodorus Mopſueſtenus ad Matth. d. l. Ἐμοὶ δοκεῖ λόγον ἀργὸν εἰρῆσθαι παρὰ τοῦ Κυρίου τὸν ἄπρακτον, καὶ μόνοις ῥήμασι προφερόμενον, οὐ μὴν καὶ ἐν τοῖς ἔργοις δεικνύμενον. Ἐὰν γὰρ λέγων τις τὰ καλὰ, καὶ πράττῃ, ἔμπρακτος ὁ λόγος τούτου, καὶ οὐκ ἀργός· εἰ δὲ ἐν μόνοις κεῖται τοῖς ῥήμασιν, ἀργός ἐστι τῷ ὄντι, καὶ ἄκαρπος κ. τ. λ. Edidit hoc ſcholion nuper Matthaeius ad Matth. 12, 36. p. 176.

13. Hierocrit. P. I. pag. 194. ſſ.

14. Praeterr. lib. I. ad Matth. d. l. p. 31.

15. Philol. S. c. 3. n. 6. p. 80. ſſ.

opus [16], atque adeo *ἐργάτῃ operario*, et *operoso*, ei, qui opus facit [17], opponatur: sed deinde eleganter transferatur, non modo ad *pecuniam otiosam*, quae non datur foenori [18], sed etiam ad *dies* otiosos, et *feriatos* [19], qui homines ab faciundo opere auocant, atque ad *genus* quoddam *sophismatis* [20], cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Neque vero ignorant Graece docti, idem hoc vocabulum non raro, vt passiuum, positum inueniri de *rebus inelaboratis*, *infectis*, *incultis*, *rudibus*, velut de metallis, agris, saxis [21], etiam capillis [22]. Sed harum rerum omnium notionibus quum facile intellegatur notio inutilitatis contineri: mirandum sane non est, Graecis visum esse huic ipsi nomini eam tribuere vim, vt significaret res *inutiles* [23], vanas, inanes, etiam *perniciosas* [24], damnosas, detrimentosas, quo in nu-

16. Vid. Hesiod. Ἔργ. 302. coll. v. 299.: v. 303. 310. 312. Aristoph. Plut. 516. Xen. Cyrop. 1, 6. 14. 8, 3. 15. Matth. 20, 3. 6.

17. Vid. Herodo. 5, 6. Xen. Memorr. 1, 2. 57. Sic ap. Sophoclem Philoctet. 96. χεὶρ ἐργάτις, et γλῶσσα ἀργὸς, inter se referuntur.

18. Vid. Budaeus commentarr. L. Gr. p. 236. Ascens. Salmasius de foen. trapezit. p. 480.

19. Tho. Magister: Ἀργὸς ἡμέρα — κρεῖττον, ἢ ἀργή· quibus verbis Lexicon suum auxit Phauorinus, sed post ἀργὴ addidit Ἀττικῶς. Phrynichus p. 38. Pau.: Ἀργὴ ἡμέρα — μὴ λέγε, ἀλλ' ἀργὸς ἡμέρα κ. τ. λ.

20. Vid. Cicero Fat. c. 12.

21. Vid. Georgius Hierocrit. P. 1. p. 195. f. Sic Sym. Gen. 1, 2. *terram*, quam Moses ait fuisse תהו, vocat ἀργόν.

22. Vid. Philostratus Iconn. 1, 21. p. 795. Olear.

23. Sic victima, quae frustra fit, nec deo probatur, Leu. 19, 7. vocatur a Symmacho ἀργόν· quam Aqu. ἀπόβλητον, οἱ ό ἄθυτον, Moses ipse פגול, appellant: et oratio inanis, cui non habetur fides, Aesop. fab. 135. dicitur λόγος ἀργός.

24. Pythagoras apud Stobaeum

numero esset sermo, et oratio, dicta, et voces. Hic tamen vocabuli significatus quum reperiatur paulo rarior fuisse, atque exquisitior: quis credat, et persuadere aliis conetur, Matthaeum, vel euangelii eius interpretem, quos scientia linguae Graecae interioris caruisse constet, vocem inutilem, et pestiferam, ῥῆμα ἀργὸν ita dixisse, vt consuetudinis loquendi Graecorum rationem habuerint? Sed si quis didicerit, hominem otiosum, et desidem, ab Hebraeis illorum temporum appellatum esse בָּטֵל [25], quod nomen cotidianus sermo de vana quoque, et inutili, oratione vsurpauerit [26]; si quis item cognouerit, scriptores diuinos, quorum aetas in Christi tempora incidisset, hanc tenere rationem consueuisse, vt verbis Graecis, quae primas, propriasque, notiones cum Hebraicis verbis communes haberent, horum notiones etiam caeteras, siue Graecae essent, siue barbarae, subiecerint: eum speramus esse facile assensurum iis, qui docent, Matthaeum in tribuenda vocabulo ἀργὸς inutilitatis notione vsum loquendi Hebraeorum suae aetatis, non Graecorum, esse sequutum. Certe haec doctissimorum hominum sententia, non tam adiu-

baeum Eclogg. Ethth. c. 34. p. 215. Turic. Αἱρετώτερόν σοι ἔσω λίθον εἰκῇ βάλλειν, ἢ λόγον ἀργόν· quem locum, post Hammondium, laudarunt Vetstenius, Palaretus, et Kypquius, ad Matth. 12, 36.

25. Sic Matth. 25, 30. seruus *cessator*, qui numos domini non collocauit in foenore, immo in terram fodit, quem Euangelista ipse nominat ἀχρεῖον, h. e. ὀκνηρὸν v. 26., ab interprete commentariorum eius Syro vocatur ܒܛܝܠܐ, et ab Hebraeo בָּטֵל.

26. Ex. 5, 9. verba דִּבְרֵי שָׁקֶר Onquelosius interpretatus est verbis פִּתְגָּמִין בְּטֵלִין: et Eccles. 5, 2. pro בְּרֹב דְּבָרִים in versione Chaldaica est בְּסַגִיאוּת פִּתְגָּמִין בְּטֵלִין.

adiuuari, quum plane confirmari, videtur auctoritate interpretis, et Syri, et Hebraei, cuius versio commentariorum Matthaei a Seb. Munstero edita est. Etenim in hac quidem versione ῥῆμα ἀργὸν vocatur דְּבַר בִּיטּוּל, sed in Syriaca ܡܠܬܐ ܒܛܠܬܐ. Atque huius generis interpretamenta eorum nominum, quae a grammaticis adiectiua nominantur, plura alia in codicibus vetustis multis in ordinem recepta extant, quorum indicio, et adiumento, glossarum potestatem Lexicographi, vel ipsi inuenire poterant, vel consultoribus suis ita patefacere debebant, vt omnes eam cernerent, perspicerentque.

III. Sed nec in cognoscenda reliquarum orationis partium vi varietatem lectionis antiquorum codicum cupiditati lectoris librorum Noui Testamenti liberali deesse videmus. In Euangelistarum quidem commentariis [27] legitur vox Christi haec, πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν· quibus in verbis quum pronomini ἑαυτῶν verbum secundae personae adiunctum sit: pronomen personae tertiae satis apparet agere partes pronominis personae secundae. Huius enim talis pronominum permutationis exemplorum innumerabilem quandam copiam, vt in libris barbarorum scriptorum omnis generis, et aetatis [28], ita etiam in versione Veteris Testamenti septuagintauirali [29], legentibus occurrere, quis nescit? Sed vt huius versionis libri nonnulli pro glossa πρὸς ἑαυτοὺς alicubi [30] glossema

πρὸς

27. Matth. 26, 11. Marc. 14, 7. Ioh. 12, 8.

28. Vid. animaduerss. ad Gram. Vel. p. 172. s.

29. Vid. 1. Sam. 12, 17. 17, 8.

30. 1. Sam. 6, 21.

πρὸς ὑμᾶς a librariis ſubſtitutum exhibent, ita gloſſema μεθ' ὑμῶν in codice euangeliorum Cantabrigienſi Bezae, et Perroniano, gloſſae μεθ' ἑαυτῶν ſedem in commentariis Marci [31], per eorundem hominum neglegentiam, ſtultam illam quidem, ſed tamen vtilem, occupauit. Atque huius vtilitatis cogitatio admonere debebat, et Bengelium, et Griſbachium, ne hoc, aliaque eiuſmodi gloſſemata, quae iudicium lectoris tironis de vi, et poteſtate, gloſſarum, vel regere, ac gubernare, vel adiuuare, et confirmare, poſſent, e ſylua variantium lectionum eiicienda cenſerent. Filius porro ille, qui a patre opus facere in vinea iuſſus, oſtendiſſe quidem legitur, ſe paratum eſſe voluntati paternae obedire, et parere, ſed alia tamen omnia feciſſe, in euangelio Matthaei [32] ita agens cum parente inducitur, Ἐγὼ, κύριε. Huius autem vocis hanc facile apparet eſſe ſententiam, *Recte, pater* [33]. Etenim filii parentem, neque apud Latinos vnquam *dominum*, neque κύριον apud Graecos ipſos, dixiſſe reperiuntur, ſed Hebraei, qui, pro ſuo ſimplicitatis, ac veritatis, ſtudio, naturae rerum auctoritatem omni in genere ſequerentur, liberos genitorem appellare iuſſerunt אָדוֹן [34], vel רִבּוֹן, maximeque tum, quum poteſtas parentis, ſub qua liberi eſſent, ſpectaretur. Quis igitur dubitet, quin Matthaeus, vel commentariorum eius interpres, vſu

31. C. 14, 7.

32. C. 21, 30.

33. Iuuencus hiſt. euang. 3, 702. *Annuit bis iuuenis, nec dictis facta repenſat.*

34. Gen. 31, 35. Rahel Labanem patrem ita appellat, אַל־יִחַר בְּעֵינֵי אֲדֹנִי, hoc eſt, *μὴ βαρέως Φέρε, κύριε, noli grauiter ferre, pater,* vt οἱ ό interpretati ſunt verba iſta, eleganter ſane. Sed verſio Onqueloſi Chaldaica habet, לָא־יִתְקוֹף בְּעֵינֵי רִבּוֹנִי. Conf. Euſtath. ad Odyſ. p. 1754. 61. Rom.

vſu loquendi Hebraeorum inuitatus, patrem, ſeptuaginta alterius Teſtamenti interpretum exemplo, κύριον nominauerit? Aeque vero certum eſſe putamus cum Grotio, eundem Euangeliſtam pronomine ἐγὼ reddidiſſe vocem Hebraeorum הִנֵּנִי, ita, vt, nec particulam הִנֵּה expreſſerit, neque addiderit verbum, quo ſignificaretur id, quod filius, parentis iuſſu, facturus eſſet. Hebraei enim voce הִנֵּנִי vti iuſſerunt eum, qui oſtendere alteri vellet, ſe paratum eſſe ab eo mandata, quae exſequeretur, accipere, ſe velle accepta mandata peragere, vel ſimpliciter [35], vel additis verbis, quibus res peragenda indicaretur [37]. Itaque vocem ἐγὼ in illo Matthaei loco ſatis apertum eſt idem valere, quod verba καὶ δὴ ἀπέρχομαι, vt Ariſtophanes Carionem ſeruum, quem Chremylus iuſſerat arceſſere agricolas ſenes, hero fecit [37] ita reſpondentem, καὶ δὴ βαδίζω, quae Latino aduerbio *recte* exprimi commodiſſime poſſit. Quae quidem omnia veteres iam grammatici praeclare viderunt, quorum alii, vel poſt pronomen ἐγὼ, vel poſt nomen κύριε, addiderunt verbum ὑπάγω, alii, et hoc ipſum verbum, et verbum ἀπέρχομαι, pro eodem pronomine ſubſtituerunt, alii denique adſcripta particula ναὶ docere lectores voluerunt, pronomen ἐγὼ eſſe aientis vocem. Sed haec gloſſemata, quae in vno, et altero, codice pro gloſſa in ordinem relata extant, Lexicographi, et poterant, et debebant, ita inſpicere, vt, vi vocis ἐγὼ cognita, eam verbis exprimerent Latinis eiuſmodi, quae ab omnibus intellegerentur.

IIII.

35. Vid. 1. Sam. 3, 4. 16.
36. Vid. Numerr. 14, 40.
Conf. Noldius concordantt. particc. Hebrr. v. הִנֵּה n. 1. et 5.
37. Plut. 227. add. v. 414.

IIII. Iam in eo commentariorum Matthaei[38], et Lucae[39], loco, quo Iesus notasse perhibetur impiam temeritatem, et leuitatem, Pharisaeorum, reliquorumque primorum populi Iudaici, qui Iohannem Baptistam, quem victu, non communi, sed proprio, hoc est, tenui, asperoque, vti viderent, insanire, et furere, ferrent, sed ipsi, cuius victus non esset a victu caeterorum Iudaeorum diuersus, exprobrarent luxuriei, familiaritatisque portitorum, aliorumque sceleratorum hominum, studia, atque adeo praecepta, et ipsius, et Iohannis, vt vana, et leuia, reiicerent, repudiarentque, huic obiurgationi suae legitur seruator hominum optimus subiecisse laudes multitudinis Iudaeorum istas, καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων* αὐτῆς. Quorum quidem verborum de sensu, etsi non nescimus, quot, et quam variae, atque inter se dissidentes, ferantur interpretum, et veterum, et recentiorum, opiniones[40]: tamen vna nobis semper visa

38. C. 11, 19.

39. C. 7, 35.

40. Vid. Volfius curr. philologg. ad Matth. d. l. Sanctius Mineru. 3, 4. p. 401. Amstel. a. 1733. verba illa Euangelistarum interpretatus est ita, *doctrina non pertinet ad hanc generationem*: et Marclandus ad Lys. orat. 10. p. 556. ea putabat esse sic interpungenda, καὶ, ἐδικαιώθη κ. τ. λ., vt post καὶ intell. λέγουσιν, hoc sensu, *Talis secta est, quales et sectatores.* In Glossario Hesychiano legitur glossa, Ἐδικαιώθη· ἴσως ἐμερίσθη· quam Abreschius animaduerss. ad Aeschyl. p. 292. To. 1. putabat e loco Matthaei laudato sumtam esse. Non assentior: immo pro ἐδικαιώθη restitui videatur debere ἐδικραιώθη, vt sit glossa Hippocratea, ex eodem loco principis medicorum petita, ad quem pertinet glossa in Glossar. Erotiani haec, Ἐδικραιώθη· εἰς δύο διῃρέθη· v. Heringa. obseruatt. critt. c. 13. p. 106. Nam etsi in Pha-

ſa eſt omnes veritatis notas, numeroſque, habere ſententia Seb. Munſteri [41], Iac. Perizonii [42], aliorumque, qui vocem illam Ieſu oſtenderunt hoc ſonare, *At enim doctrina* diuina, quam, et Iohannes tradidit, et ego trado, quae a principibus ciuitatis Iudaeorum, vt leuis, et vana, mala, et inutilis, reprehenditur, atque repudiatur, *a vulgo, vt vtilis, et bona, vera, et grauis, probatur, ac laudatur.* Etenim primum omnes orationis Chriſti partes, et membra, ſic aptiſſime inter ſe cohaerere perſpicuum eſt, quum verba illa res ipſa loquatur eſſe ipſius Ieſu, neque Euangeliſtarum, verba. Deinde ſatis conſtat, particulam καὶ etiam in aliis Noui Teſtamenti locis [43] ita poſitam, ad modum coniunctionis copula-

Phauorini quoque Lexico eadem gloſſa ἐδικαιώθη legitur, additis verbis, neſciebam vnde ſumtis, τὸ εἰς δύο διαιρεθῆναι Ἴωνές φασιν· tamen certiſſimum eſt, etiam ibi pro ἐδικαιώθη reponi oportere ἐδικραιώθη. Albertius vero in notis ad Heſych. p. 1084. To. I. ſcripturam ἐδικαιώθη ita defendit, vt etiam ap. Erotianum ἐδικαιώθη reponendum pro ἐδικραιώθη cenſuerit. At vt haec quidem ratio haud dubie vana eſt: ita, quum δίκαιον interdum ſit *aequale*, ἴσον, interprete ipſo Heſychio, ſane fieri poteſt, vt gloſſa ἐδικαιώθη ſumta ſit e loco quodam ſcriptoris alicuius, in quo eſſet *in aequales partes diviſum eſt.*

41. Is in notis ad verſionem euangelii Matthaei Hebraicam pag. 205. Baſil. a. 1557. 8. verba illa Chriſti explicauit ita, *Tamen habet deus filios ſuos, qui ſapientiam ſuam non ſpernunt, ſed cum gaudio ſuſcipiunt, et iuſtam agnoſcunt.*

42. ad Sanctii Mineru. d. l.: vbi pro Sanctii interpretatione ſupra laudata ſubſtituit hanc, *Doctrina laudatur ab iis, qui eam receperunt, et cognouerunt.*

43. Vt Matth. 13, 14. 22. Luc. 20, 42. Vid. Gataquerus ad Antonin. 2, 7. p. 45. a Trai.

pulatiuae Hebraeorum [44], vt partes particulae adversatiuae agat, inueniri. Doctrina autem diuina, cuius copiae multitudini Iudaeorum ab Iohanne, et Christo, exponebantur, dubitari non potest, quin recte appelletur ἡ σοφία, quum ab ipsis Iudaeis hoc ornata nomine legatur [45], ita, vt fieri facile possit, vt Iesus etiam multitudinis caussa, quacum eo tempore ageret, ista potissimum euangelii appellatione vsus sit. Et quum nomen τέκνον, vt Hebraicum vocabulum בֵּן, aliis nominibus adiungatur etiam ita, vt significet eum, ad quem res illae, quae istis declarantur nominibus, quocunque modo pertinent [46]: cui dubium putemus esse vllo modo posse, quin *alumni*, *et sectatores*, *doctrinae diuinae*, id est, vulgus Iudaeorum, dici recte τὰ τέκνα τῆς σοφίας potuerint? Neque vero quenquam speramus facile negaturum esse, de doctrina ea, quam sectatores eius profiteantur veram esse, et grauem, bonam, et salutarem, verbum δικαιοῦσθαι poni, per leges vsus perspicue, diligenterque, loquendi, licere. Quum enim notiones iusti, et veri, et boni, ita inter se sint coniunctae, et copulatae, vt nihil iustum esse possit, quod non sit verum, nihil verum, quod idem non iudicetur iustum, nihil denique iustum, et verum, quod non reperiatur bonum, et vtile: ciuitates priscae omnes hanc naturae rerum auctoritatem ita sunt, pro sapientia sua, sequutae, vt in linguis suis iusti-

44. Vt Ps. 4, 5.: vbi pro וְאַל־תֶּחֱטָאוּ οἱ ὁ et Aqu. habent καὶ μὴ ἁμαρτάνετε, sed Sym. ἀλλὰ μὴ ἁμάρτητε. Vid. nos ad Plat. Criton. 10, 27.

45. Vid. Matth. 13, 54. Marc. 6, 2.

46. Vt Gal. 4, 28. ἐπαγγελίας τέκνα. Conf. Vorstius Philol. S. c. 24.

iustitiae maxime, et veritatis, verba inter se permutauerint [47], vt in Lucae commentariis [48] δικαιῶσαι τὸν θεὸν leguntur ii, qui deum, vt sapientissimum, atque optimum, laudarunt. Aoristum vero vtrumque a Graecis [49], sicut praeterita, etiam ab Hebraeis, et Latinis [50], omnes norunt ita vsurpari tum, quum continuatio rei alicuius significetur, vt, non tam praesentium, quam omnium potius temporum, vim habeant. Et quum praepositiones Hebraicas מ, et מן, מֵאֵת, et מֵעִם, ab iis, quibus ingenium linguae Graecae non satis cognitum esset, nunc praepositione ὑπὸ, nunc praepositione ἀπὸ, neglecta legum grammaticarum norma, reddi potuisse, sponte appareat: quis insolentia structurae verborum ἐδικαιώθη ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς magnopere offendatur? Iis igitur, quae hactenus de voce illa Christi disputata sunt, planum factum esse arbitramur, doctrinam diuinam δικαιοῦσθαι dici, quatenus probetur, ac laudetur, vt grauis, et vera,

47. Vid. index Theophrast. v. δίκαιος: Abreschius dilucc. Thucydd. p. 334.: Bielius ad Hesych. p. 227. To. 1.: Villoisonius ad Apollon. Soph. Lex. Homer. p. 118. f. Sic veri philosophi ap. Plat. Phaedon. 34. dicuntur οἱ δικαίως φιλομαθεῖς, sed Soph. 1. οἱ ὄντως φιλόσοφοι: ap. Eurip. Phoenn. 483. ἔνδικα sunt *vera*, et v. 484. ἄδικος λόγος *falsa, vana, oratio:* et ap. Iustin. M. Apol. 1, 8. μηδὲν ἀδικεῖν est *nihil falsi, vera, docere.* Contra vero *vera caussa* ap. Cic. Off. 3, 10. est caussa iusta, bona. v. Gronouius ad Sen. de ira 2, 29. p. 79. f. To. 1. et Schultingius ad Sen. controuu. 2. p. 135. a To. 3.

48. C. 7, 29.

49. Vid. animaduerss. ad gram. Vel. p. 173. f.

50. Vid. Horat. A. P. 343. 468. 1. ep. 2, 48. ep. 5. 19. 3. od. 23, 19.: vbi v. Bentleius.

ra, bona, et salutaris. Hanc autem verbi Graeci potestatem, et inuenire facile, et recte confirmare, potuissent Lexicographi indicio, et auctoritate, glossematis ἐτιμήθη, hoc est, *diligitur, magni aestimatur*, quod in locum glossae ἐδικαιώθη substitutum repererat [51] Ioh. Matthaeus Caryophilus in primo eorum codicum Romanorum, quos, Vrbani octaui, episcopi Romani, iussu, cum editione Antuerpiensi regia contulit. Theologi enim, atque interpretes librorum diuinorum, antiqui multi videntur verba illa Iesu ita interpretati esse, vti nos illa intellegi debere ostendimus. Certe Theophylactus, quem in explicandis libris diuinis constat esse Chrysostomum maxime ducem sequutum, etsi in commentariis in euangelium Matthaei nomine ἡ σοφία ipsum Christum significari docet [52], qua in sententia iam Hieronymum [53] fuisse videmus: tamen in enarratione commentariorum Lucae in alia omnia discessit, ita, vt verba ἐδικαιώθη ἡ σοφία, adiecto nomine τοῦ θεοῦ, verbis explicauerit his [54], τουτέστιν ἐτιμήθη, οὐχ ὑπὸ τῶν Φαρισαίων, ἀλλὰ

51. Vid. Caryophilus collat. Graeci contextus omnium librorum N. T. cum codd. MSS. Romm., quae est ad calcem catenae Graecorum Patrum in euang. Marci, a Pe. Possino Romae A. C. 1673. f. max. editae, p. 474. Nam Caryophili collationem vere factam esse cum codd. Vaticc. docuit nuper contra Grisbachium, et alios, Andreas Birchius in Prolegomm. ad euangelia Hafniae A. C. 1788. 4. edita, p. 36. ss.

52. p. 44. Rom. Τοῦτο φησὶν, ὅτι λοιπὸν, ἐπεὶ, οὔτε ὁ Ἰωάννου βίος, οὔτε ὁ ἐμὸς, ἀρέσκει ὑμῖν, ἀλλὰ πάντας τοὺς τρόπους τῆς σωτηρίας διαπτύετε, δίκαιος φαίνομαι ἐγὼ ἡ σοφία.

53. ad Matth. 11, 19. p. 16. b To. 9. Basil.: *Et ego, qui sum dei virtus, et sapientia dei, iuste fecisse ab Apostolis, meis filiis, comprobatus sum.*

54. p. 246. Rom. Et illa ipsa

λαὶ τῶν τέκνων αὐτῆς, τȣτέϛι τῶν παραδεξαμένων τὸν λόγον, τȣ͂ τε Ἰωάννȣ, καὶ τȣ͂ Ἰησȣ͂. In eiusdem Lucae euangelio [55] verbum εὐφραίνεσθαι de iis legitur, qui conuiuantur, atque epulantur. Etenim quum in conuiuiis, et epulis, gaudia, atque laetitiae, vel maxime regnent: Hebraei, qui in conformanda, adaugendaque, lingua sua vocem, et auctoritatem, naturae rerum, vitaeque cotidianae, sequerentur, instituerunt verbis laetitiam, et voluptatem, significantibus ita vti de conuiuantibus, epulantibusque, vt ea, vel subiungerent verbis cibi, et coenae, propriis [56], vel simpliciter [57] ponerent. Et vt hancce loquendi formam ab ciuitatibus orientalibus acceperunt Graeci veteres [58]: ita horum exemplum recentiores scriptores tanto studio imitati reperiuntur, vt verbum εὐφραίνεσθαι hoc in genere ipsi verbo εὐωχεῖσθαι praetulerint. Qua quidem ab assiduitate vsus istius verbi, quis dubitet, quin caussa ducenda sit, quare grammatici veteres [59], et glossographi [60], verbum εὐωχεῖσθαι verbo εὐ-

φραί-

ipsa verba, ἐδικαιώθη ἡ σοφία τȣ͂ θεȣ͂, τȣτέϛιν ἐτιμήθη, Matthaeius adscripta inuenit in cod. Mosqu. m.

55. C. 15, 24. 29. 32. 16, 19.

56. Vid. 1. Regg. 4, 20. Deut. 14, 26. 27, 7.: quibus posterioribus in locis pro verbo Hebr. שָׂמַח οἱ ό habent εὐφραίνεσθαι, Vulg. *epulari*.

57. Vid. Deut. 12, 12. 16, 11. 14. Iudd. 16, 23. 19, 22.: quo in loco formulam Hebr. הֵיטִיב אֶת - לִבָּם interpres Latinus reddidit verbis *epulari, et cibo et potu reficere corpora:* sed reliquis in locis verbum שָׂמַח explicauit verbo *epulari*.

58. Vid. Hom. Odys. β', 311. ά, 258. 310. coll. v. 26. Xen. anab. 4, 5. 21.

59. Hesychius: Ἐυωχηθέντα· εὐφρανθέντα. Εὐωχία· εὐφροσύνη.

60. Gloss. vett. Εὐφραίνω — *epulor*. Εὐφρασία *Epulatio*. Εὐφρασίαν *Visce- rationem*. vid. Salmasius exercitt. ad Solin. p. 9. b Trai.

φραίνεσθαι, nomen εὐωχία nomine εὐφροσύνη, explicarint, et verbum εὐφραίνειν verbo *epulari*, nomenque εὐφρασία nominibus *epulatio*, et *viſceratio*, interpretati ſint? Neque ſane aliter intellegi debere in promtu eſt gloſſema ἀριςήσω, quod pro gloſſa εὐφρανθῶ apud Lucam [61] in codice Cantabrigienſi Bezae legitur. Etſi enim nomen ἄριςον in Homeri quidem carminibus poſitum extat de cibo, qui mane capitur, qui a Graecis poſteriorum temporum ἀκρατισμὸς, et ἀκράτισμα, a Latinis *ientaculum*, dictus eſt [62]; etſi idem nomen non minus, quam verbum ἀριςᾷν, ab reliquis ſcriptoribus ita vſurpatur, vt hoc *prandere* [63], illud *prandium*, quod ab Homero δεῖπνον nominatur, ſignificet: tamen ex locis verſionis Veteris Teſtamenti ſeptuagintauiralis [64], euangeliorumque Matthaei, et Lucae [65], certiſſime collegi poſſe putamus, in dialecto Macedonica noua, atque adeo Alexandrina, non modo nomen ἄριςον hac quoque poteſtate fuiſſe praeditum, vt idem declararet, quod nomina δεῖπνον, et εὐωχία, et δοχὴ [66], ſed etiam verbum ἀριςᾷν hanc habuiſſe vim,

61. C. 15, 29. Vid. Proluſ. 8, 5.

62. Vid. Athen. 1, 9. ſ. p. 11. et Euſtathius ad Odyſ. π′ p. 1791. Rom.: Perizonius ad Aelian. V. H. 9, 19., et Politus ad Euſtath. commentarr. in Il. β′ p. 461. ſ. To. 1.

63. Hippocrates de vet. medic. ſ. 19. p. 23. To. 1. Lind.

64. Gen. 43, 25. 1. Regg. 4, 22. Hebr. 5, 2.: quo loco Complut. et cod. reg. Pariſ. habent ἄριςον.

65. Matth. 22, 4. coll. Luc. 14, 16.: nam quae Theophylactus ad Matth. d. l. p. 93. Rom. de differentia ἀρίςȣ, et δείπνȣ, praecipit, merae ſunt argutiae: Luc. 11, 37. ſ.: ſed c. 14, 12. nomina ἄριςον, et δεῖπνον, inter ſe diſcernuntur. Conf. Proluſ. 12, 1. et 13, 2.

66. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Δοχήν· ἄριςον. vid. οἱ ό Eſth. 1, 3. Luc. 5, 29. 14, 13.

vim, vt idem valeret, quod verba δειπνεῖν, et εὐωχεῖσθαι, et σιτεῖσθαι [67]. Cuius quidem rei si memores fuissent Lexicographi: videre indicio glossematis ἀριστήσω facile potuissent, verbum εὐφραίνεσθαι apud Lucam, non verbo *laetari*, sed, praeeunte interprete Latino vetere, verbo *epulari*, explicari debuisse.

V. Vt vero vel haec de vsu glossematum, quibus codices veteres Noui Testamenti pleni sunt, in potestate verborum eius singulorum, vel reperiunda, vel confirmanda, disputatiuncula, quae alio a nobis tempore, volente deo, absoluetur, docere quemque satis potest, quot, quantisque, doctrinae antiquae ornamentis instructus esse debeat is, qui personam, partesque, interpretis librorum diuinorum bene agere velit: ita, quum horum ornamentorum ea sit natura, ea praestantia, vt, quicunque non mature illa, et ab ineunte statim aetate, cognouerit, et comparare instituerit, is robustior factus illis vix potiri, certe non recte vti, posse videatur, vel ea ex re intellegi ab optimo quoque, et perspici, planissime licet, quantum praestet, quam longe anteponenda sit, grauitas disciplinae scholarum publicarum, quarum praeceptores rite spectati, et constituti, id vnice agant, vt discipulis, non modo adiumenta legitimae interpretationis oraculorum diuinorum omnia ostendant, sed etiam vias demonstrent, muniantque, omnes, quae ad eorum, et possessionem certam, et rectum vsum, ferant, leuitati doctrinae ludorum priuatorum, quorum magistri, qui sponte sibi has per-

67. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Σιτέσκοντο· — ἠρίστουν. vid. Hom. Odyss. ω', 208.

personas, amoris scilicet erga gentem humanam ardore quodam generoso coacti, imposuerint, tirones ex iis discedere animo aequo patiantur scientia linguarum veterum, legumque artis interpretandi, accurata omni carentes. Hac igitur istorum hominum ab leuitate quanta incredibilium, imparabiliumque, damnorum vis, et copia, ad omnes rei Christianae, publicaeque, partes, et profecta iam esset, et profectura esset porro, quum accepissent a nobis saepius alumni disciplinae nostrae quinque hi, IOH. IRENOTHEVS RICHTERVS, *Tauchauiensis*: CHRISTI. THEOPHILVS KVNOELIVS, *Lipsiensis*: IOH. FRIDER. et CAR CHRISTO. KINDII, fratres, *Lipsienses*: ERN. FRIDER. CRISPINVS, *Delitiensis*, optimae spei adulescentes: primus enim eorum tres ipsos annos, reliqui annos quatuor, rectori scholae auctores vtriusque linguae optimos enarranti, aliarumque doctrinae liberalis partium praecepta tradenti, non sine magna vtilitate sua operam dedere, ita, vt ille quidem, cuius nomen secundo loco posuimus, et nuper iam facultatis suae Latine scribendi, antiquorumque auctorum libros interpretandi, specimen idoneum dederit publice, et breui aliud aeque praeclarum daturus sit: vt gratum, piumque, aduersus patronos, et curatores, et magistros, scholae Thomanae declararent animum: constituerunt ante discessum ex illa suum oratiunculas [68] habere, audientibus accuratae doctrinae fautoribus, Latinas, quibus *disciplina scholarum publicarum, Graecarum, et Latinarum, antiqua cum noua ludorum pri-*

68. Hae oratiunculae editae sunt cura nostra, et sumtu Fritschii, Lipsiae A. C 1787. 8.

priuatorum nostrae aetatis disciplina ita conferretur, vt, vtra vtri vtilitate praeferenda videretur, diiudicari facile posset. Iam vero, et grauitas argumenti oratiuncularum, ingeniosaeque industriae, modestaeque pietatis in magistros, praestantia oratorum, et magnitudo, multitudoque, meritorum parentis Kindiorum, et Kunoelii, in ecclesiam, ciuitatemque, Lipsiensem, quibus deus eos quam diutissime seruet! nos, non sperare, sed confidere, iubent, non defuturos esse virtuti discipulorum nostrorum, praeter patronos, et curatores, scholae venerabiles, spectatores, et testes, graues alios, qui currentes, vt aiunt, fauore suo, et studiis, incitent. Quo quidem beneficio nullum maius, nullum honorificentius, nullum efficacius, tribui a principibus ciuitatum posse doctoribus scholarum publicarum liberalibus, quis est, qui non intellegat? Scripsimus Lipsiae, in Schola Thomana, ipsis Kal. Maiis A.C. CIↃIↃCCLXXXVI

PROLVSIO SEXTA ET VICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN COPIIS VARIANTT. LECTIONVM AD EXPLICANDAM PARTICIPIORVM AD VERBIORVM PRAEPOSITIONVM VERBORVMQVE IVNCTORVM VIM NON ADHIBITIS

Q. B. V

Profligauimus nuper disputatiunculam de vtilitate variantium lectionum in explicandis libris diuinis Noui Testamenti, a nobis propterea institutam, vt omnibus appareret inutilis neglegentia Lexicographorum, qui copias codicum veterum ab hominibus doctissimis multis productas in componendis Lexicis non ita inspexissent, vt ex iis auxilia potestatis verborum, et simplicium, et iunctorum, vel inueniendae, vel confirmandae, peterent: quo studio, atque opera, lectores Noui Testamenti omnes excitarentur, vt, et magni facerent syluam lectionum ex tot libris antiquis summa diligentia congestam, et bona eius in suos recte conuertere vsus studerent. Et quum superiore in libello proposuerimus

mus exempla nonnulla elegantiſſimorum interpretamentorum nominum, quae ab grammaticis adiectiua vocantur, pronominum item, et verborum: abſoluemus iam totam illam quaeſtionem, ita, vt primo aliarum orationis partium interpretamenta quaedam idonea ex vetuſtis codicibus afferamus, deinde aliquot exemplis doceamus, quam recte, quam intellegenter, grammatici antiqui verba iuncta multis in locis explicarint, quae gloſſemata librarii quidam pro ipſis ſcriptorum diuinorum verbis ſubſtituerint, denique locorum nonnullorum indicio planum faciamus, in libris ſcriptis multis, editiſque plurimis, gloſſemata ipſis gloſſis ſubiuncta extare.

II. Etenim verbum ἔχεσθαι conſtat proprie, ſequente caſu rei, vel perſonae, ſecundo, poni de *iis*, *qui*, *quae*, *aliquid*, *aliquem*, *attinent*, *attingunt*, *contingunt*, *retinent* [1], *alicui adhaerent*, *in re aliqua haereſcunt*: cuius proprii huius verbi vſus, et exempla idonea attulimus, et cauſſam veram, atque originem, aperuimus, nuper in indice Graecitatis Aeſchineae, a nobis multis partibus aucto, et locupletato. Neque vero harum literarum ſtudioſos fugere ſcimus, illud ipſum verbum exquiſite vſurpatum legi de *iis*, *qui rei alicuius*, *virtutis alicuius*, *tenaces ſunt*. Iobo quidem Ioua ipſe dicitur tribuiſſe pertinacis cuiuſdam ſanctitatis, innocentiaeque, ſtudii laudem verbis his [2], וְעֹדֶנּוּ מַחֲזִיק בְּתֻמָּתוֹ, hoc eſt, Iudaeis Alexandrinis interpretibus, ἔτι δὲ ἔχεται ἀκακίας· quae eorum verba ſatis apertum eſt ab

Oo 5 au-

1. Herodo. 7, 40. ὄπισθε δὲ τῶν ἵππων εἵπετο πεζῇ ἡνίοχος, ἐχόμενος τῶν χαλινῶν.

2. C. 2, 3.

auctore versionis Latinae veteris reddita esse verbis istis, *et adhuc retinens innocentiam.* Sed aeque certum esse, indubiumque, arbitramur, glossam in Glossario Hesychiano hanc, Ἔχεται· ἕπεται, ἀντιλαμβάνεται, qua Phauorini quoque Lexicon ditatum videmus, ex illo ipso loco versionis septuagintauiralis esse petitam. Etenim, et ratio, atque indoles, Glossarii Hesychiani hoc loquitur, et glossemata ipsa declarant [3]: quorum elegantiam etiam magis cognitum iri speramus ab iis, qui verba Hebraica vxoris Iobi [4] עֹדְךָ מַחֲזִיק בְּתֻמָּתֶךָ viderint ab Symmacho, diligentissimo interprete, esse ita conuersa, ἔτι ἐμμενεῖς τῇ ἁπλότητί σου; Sic enim, certe ἐμμένεις, legendum esse, non ἐμμένης, vt Montefalconius e codice Colbertino, et Parisiensi regio vno, edidit, quem vel verba interpretis Latini, *adhuc tu permanes in simplicitate tua?* e Symmachi scilicet verbis expressa, non doceant? Sed ἔχεσθαι dicuntur etiam *ea, quae ad aliquid, ad aliquem, quocunque modo pertinent, quae coniuncta alicui sunt, finitima, vicina, proxima* [5]. Christus quidem apud Marcum [6] cohortatur Petrum, aliosque Apostolos, vt ipsum sequantur εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις. Haec autem verba etsi Lexicographi recte, et vsui loquen-

3. Ipsi οἱ ό verbum Hebr. הֶחֱזִיק interpretati sunt verbo ἀντιλαμβάνεσθαι 1. Regg. 9, 9. 2. Chronn. 7, 22.: vtroque in loco oppositum est verbo ἐγκαταλείπειν, Hebr. עָזַב.

4. C. 2, 9.

5. Hippocrates aphorr. 3, 18. αἱ παῖδες, καὶ οἱ τούτων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν. Apud Herodo. 4, 172. 173. 176. verba ἔχονται, προσόμουροί εἰσι, et ἐχόμενοί εἰσιν, idem declarant. add. 1, 93. 134. 4, 169. 170. 171. et Xen. Cyrop. 7, 1. 5. 8, 5. 5.

6. C. 1, 38.

quendi, cum Graecorum ſcriptorum [7], tum ſeptuaginta interpretum Veteris Teſtamenti [8], convenienter, acceperunt de *vicis finitimis*, *et propinquis:* tamen poterant hanc eorum interpretationem confirmare lectione εἰς τὰς ἐγγὺς κώμας, καὶ εἰς τὰς πόλεις, quae in codice Cantabrigienſi Bezae extat, extititque in iis codicibus, quibus interpretes veteres, Latinus, et Syrus, vſi ſunt. Syriaca enim verſio habet, ܠܩܘܪܝܐ ܘܠܡܕܝܢܬܐ ܕܩܪܝܒܢ: ſed Latina, *in proximos vicos*, *et ciuitates.* Iam vero facile apparet, ἐγγὺς eſſe interpretamentum participii ἐχομένας [9], quod librarii pro gloſſa in ordinem receperint: ſed pro κώμας, καὶ εἰς τὰς πόλεις, ab grammaticis ſimpliciter κώμας, καὶ πόλεις, adſcribi debuiſſe, ex iis, quae alio loco [10] de illo vicorum genere, qui κωμοπόλεις dicti leguntur, diſputauimus, intellegi plane a quoque poſſe ſperamus. Neque ſane aliam vim participio ἐχόμενος ſubiectam eſſe nemo non videt iis in locis commentariorum Lucae de rebus Chriſti, et Apoſtolorum, quibus, non modo *poſterus dies* [11], ſed etiam *dies perendinus* [12], et *dies ab*

7. Vid. Raphelius, Kypquius, et Palaeretus, ad Marc. d. l.

8. Vid. Ezech. 43, 8.: omninoque Hammondius ad Marc. d. l.

9. Suidas: Ἐχόμενος· ἐγγύς.

10. Proluſ. 19, 2. Add. Grotius ad Marc. d. l.

11. Act. 21, 26.

12. Luc. 13, 33.: quo loco leguntur verba σήμερον, καὶ αὔριον, καὶ τῇ ἐχομένῃ, [v. 32. τῇ τρίτῃ], quae vim prouerbii habuiſſe apud Iudaeos videntur, quo ſpatium temporis futuri breue quoduis ſignificaretur, *poſthac:* ſicut formulae χθὲς ſ. ἐχθὲς, καὶ τρίτην ἡμέραν, et ἐχθὲς, καὶ τρίτην, quarum illa proprie poſita apud Xen. Cyrop. 6, 3. 5. extat, vt prouerbiales, ex Hebraicis formulis תְּמוֹל שִׁלְשׁוֹם, et אֶתְמוֹל

ab perendino secundus [13], ἡ ἐχομένη nominatur. Vt autem Lucas ipse *diem perendinum*, quem τὴν ἐχομένην dixit, eundem eodem loco τὴν τρίτην [14] vocat: ita in actibus Apostolorum, vbi τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ valet *postridie*, codex Bezae Cantabrigiensis pro τῇ ἐχομένῃ scriptum τῇ ἐπιούσῃ exhibet. Quae quidem scriptura quin librario debeatur, qui glossema, quod grammaticus aliquis in marginem codicis sui ex aliis eiusdem libri Lucae locis similibus [15] transtulisset, in ordinem inde pro glossa migrare iusserit, eo minus dubitari posse putamus, quo magis nos diligens codicis Bezae cum aliis codicibus comparatio docuit, eum esse innumerabilibus huius generis glossematis plenum [16]. Etenim ἡ ἐπιοῦσα quum refertur ad praecedentem diem ciuilem, qui apud Athenienses ab occasu solis ad occasum eiusdem astri

אֶתְמוֹל שִׁלְשׁוֹם expressae, in versione septuagintauirali V. T., etiam ap. Antonin. philos. 10, 7., leguntur, ita, vt indicent tempus praeteritum quoduis, *antea*, *nuper*. v. Proluss. de verss. Grr. V T. 4, 3. p. 115. s. et Gataquerus ad Antonin. d. l. p. 292. Trai.

13. Act. 20, 15.

14. C. 13, 32.

15. Vid. Act. 7, 26. 16, 11. 21, 18.

16. Sic Matth. 17, 2. pro ὡς τὸ φῶς codex Bezae habet ὡς χιὼν, e Marc. 9, 3.: Matth. 22, 16. πρὸς αὐτὸν pro αὐτῷ, e Marc. 12, 13.: Matth. 22, 16. ἐπ' ἀληθείας pro ἐν ἀληθείᾳ, e Marc. 12, 14. et Luc. 20, 21.: Matth. 23, 34. ἀποστελῶ pro ἀποστέλλω, e Luc. 11, 49.: Marc. 15, 11. ἔπεισαν pro ἀνέσεισαν, e Matth. 27, 20.: Luc. 18, 43. δόξαν pro αἶνον, e c. 17, 18.: c. 8, 20. ζητοῦντες pro θέλοντες, e Matth. 12, 46.: Matth. 24, 28. τὸ σῶμα pro τὸ πτῶμα, e Luc. 17, 37: Luc. 17, 37. τὸ πτῶμα pro τὸ σῶμα, e Matth. 24, 28. Vnde Lex. Photii MS. apud Audendorpium ad Thomam Magistrum pag. 766. Πτῶμα· σῶμα. Conf. Proluss. in V. et N. T 5, 5. p. 123.

aſtri pertinebat [17], ſemper idem eſt, quod ἡ ἐπαύριον [18], atque adeo *diem poſterum* ciuilem indicat, non *diem hodiernum:* id quod nuper quidam perſuadere aliis conatus eſt, qui ſibi in Critone Platonis [19] reperiſſe locum aliquem viſus eſſet, quo verbis τῆς ἐπιούσης ἡμέρας, et τήμερον, idem tempus ſignificaretur. At vero non cogitauit tum vir bonus, verba τῆς ἐπιούσης ἡμέρας ad ὄρθρον βαθὺν [20], atque adeo ad noctem, ſpectare, ita, vt complecterentur tantum partem diei ciuilis alteram, hoc eſt, diem naturalem, qui noctem illam ſequutus eſſet, ſed aduerbium τήμερον ad diem ciuilem totum referri oportere. Caeterum vt auctor libri Maccabaeorum ſecundi [21] pro τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ abſolute τῇ ἐχομένῃ ſcripſit, ita an primi Chronicorum libri interpres idem fecerit, dubitari non temere poſſe arbitramur. Etſi enim in codice Vaticano, et Alexandrino, verſionis ſeptuagintauiralis alicubi [22] pro verbis Hebraeis מִמָּחֳרָת legitur τῇ ἐχομένῃ· tamen in Complutenſi exemplo editum τῇ ἐπαύριον eſſe videmus. Quam quidem lectionem, facile intellego futuros eſſe non paucos, qui extitiſſe e gloſſemate credant, quod grammatici ex aliis locis verſionis illius Graecae petitum in marginibus ſuorum librorum poſuiſſent. At quum idem ille libri Chro-

17. Vid. Cenſorinus D. N. c. 23.

18, 1. Sam. 5, 4. in cod. Alex. verſionis Alex. eſt ὅτε ὤρθρισαν τοπρωῒ τῇ ἐπαύριον, et in exemplo Complut. ὡς ὤρθρισαν τῇ ἐπαύριον τὸ πρωΐ· ſed Ioſephus Archaeol. 6, 1. init. p. 150. Baſ. eandem rem verbis perſequutus eſt his, τῇ δ' ἐπιούσῃ πάντες ὑπὸ τὴν τῆς ἡμέρας ἀρχὴν εἰσιόντες εἰς τὸν ναὸν προσκυνῆσαι τὸν θεὸν αὐτῶν.

19. C. 2.

20. C. 1.

21. C. 12, 39.

22. 1. Chronn. 10, 8.

Chronicorum interpres verbis *τῇ ἐπαύριον τῆς πρώτης ἡμέρας* alio loco [23] verba Hebraica לְמָחֳרַת הַיּוֹם הַהוּא explicauerit: quis non ſuſpicetur potius, librariorum temeritate accidiſſe, vt verba alius cuiuſdam interpretis, quae propter verba auctoris veri collocata comparerent, ſedem eorum, et locum, occuparent, praeſertim quum orationem ſeptuaginta interpretum ſaepiſſime hoc iniuriae genere, iſtorum hominum culpa, affectam eſſe conſtet? Sed praeter participium illud; cuius de vſu a nobis hactenus diſputatum eſt, plura inueniuntur alia, quorum interpretamenta in variantibus codicum veterum lectionibus extent adeo elegantia, vt Lexicographi recentiores indicio eorum, atque auctoritate, praecepta de poteſtate gloſſarum huius generis ſua, vel confirmare, vel etiam corrigere, potuiſſent. Nunc, age, ad aduerbia, et praepoſitiones, veniamus.

III. Nam loco actuum Apoſtolorum eo [24], quo cuſtos carceris, in quem, magiſtratuum Philippenſium iuſſu, incluſi fuerant Paulus, et Silas, horum virorum hoſpitio, et occaſione, quam ipſe cum tota domo ſua nactus eſſet, doctrinae Chriſtianae, et accipiendae, et probandae, vehementer laetatus eſſe perhibetur, aduerbium *πανοικὶ* legitur. Cui quidem aduerbii formae etſi non ignoro ab grammaticis antiquis formam alteram, *πανοικεσίᾳ*, vel *πανοικησίᾳ*, adeo praeferri, vt Thomas Magiſter [25] ſcriptores probos

23. C. 29, 21.

24. C. 16, 34.

25. Thomas Magiſter p. 676.: Πανοικὶ, οὐδεὶς τῶν δοκίμων· πανοικεσίᾳ δὲ, καὶ πανοικησίᾳ. Moeris p. 320.: Πανοικησίᾳ, Ἀττικῶς· πανοικὶ, Ἑλληνικῶς. Sic enim Pier-

hos omnes vſu eius omnino abſtinuiſſe tradat: tamen illa, praeter auctores notae haud vltimae alios, non modo Philonem [26], Alexandrinoſque Veteris Teſtamenti interpretes [27], ſed etiam Eryxiae [28] auctorem, vſos eſſe ſcio: niſi forte in hoc dialogo librariorum recentiorum manus, quae fuit familiaris earum, et turpis, hoc in genere ſtultitia, pro forma aduerbii Attica, Alexandrinam, vel certe Macedonicam, ſubſtituerunt. Hoc igitur aduerbium Lexicographi recte quidem verbis *cum tota domo*, *cum tota familia*, interpretati ſunt: ſed poterant ad confirmandam hanc eius interpretationem recte vti gloſſemate σὺν τῷ οἴκῳ αὐτȣ̃, quod pro gloſſa in codice Bezae in ordinem receptum conſpicitur. Haec enim cura, et diligentia, ne ſuperuacanea, vt ſit, atque inepta, iudicetur, docta grammaticorum veterum, nominatim Heſychii [29], et Suidae,

Pierſonius edidit pro πανοικεσίᾳ. Certe in libris Thucydidis ita ſcriptum legitur 2, 16. et 3, 57.: ſed hoc tamen in loco codd. quidam habent πανοικεσίᾳ. vid. Ducquerus p. 203.

26. de Ioſepho p. 562. C Pariſ.: vbi tamen ſcriptum eſt πανοικεί. v. Weſſel. ad Diod. Sic. p. 729. To. I. et Loeſnerus V. C. obſeruatt. Philonn. ad Act. d. l.

27. Ex. I, I.: vbi in Ald. exemplo legitur παροικίᾳ, haud dubie pro πανοικίᾳ· quomodo in codd. Moeridis quibuſdam pro πανοικὶ ſcriptum extat, vt in cod. Leid. ſec. Thomae Magiſtri πανοικίοι. Certe apud Herodotum 7, 39. legitur πανοικίῃ· v. Portus Lex. Ion. h. v.

28. C. I.

29. Apud Heſychium vulgo legitur: Παννυχίς· ἑορτὴ νυκτερινὴ, σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ. At quum hoc poſterius gloſſema ab ipſa gloſſa totum diſcrepet; quum conſtet, in Gloſſario Heſychiano a librariis ſaepe duo gloſſemata diuerſa coniuncta eſſe, omiſſa alterius gloſſa: recte cenſuerunt homines docti, in his Pierſonius ad Moer.

dae [30], prouidentia prohibet, qui hanc ipſam gloſſam, haud dubie ex illo Lucae, Iudaeorumve Alexandrinorum verſionis, loco ſumtam, in Gloſſaria ſua, exquiſitae Graecitatis promtuaria ornatiſſima, ita tranſtulerunt, vt addiderint gloſſemata σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, et ὅλῳ οἴκῳ. Neque vero tantum aduerbiorum multorum interpretamenta idonea in codicibus vetuſtis Noui Teſtamenti ſeruata inueniuntur, ſed lectionis eorundem varietas etiam multarum praepoſitionum vſum rectum, et legitimam poteſtatem, praeclare demonſtrat. Synedri enim magni, quum interrogati a Chriſto, vtrum baptiſma Iohannis deum, an homines, auctores habuiſſet, neſcirent, quomodo hanc quaeſtionem, ſalua exiſtimatione, et ſalute, ſua, ſoluerent, apud Matthaeum [31] leguntur cogitaſſe παρ' ἑαυτοῖς. Haec verba ab Lexicographis quidem nonnullis, praeeunte interprete Latino vetere, quem ipſum auctor verſionis Hebraicae [32] ab Seb. Munſtero editae ducem ſequutus eſt, explicata videmus verbis *inter ſe:* ſed quanto melius, et doctrinae ſuae, et conſultorum rationibus, conſuluiſſent, ſi ea, admonitu gloſſematis ἐν ἑαυτοῖς, quod in nonnullis codicibus legitur, ſed ab Griſbachio, vt gloſſemata huius generis plura alia, temere ſane

Moer. p. 320., verbis Heſychii integritatem eſſe ita reſtituendam, vt legeretur, Παννυχίς· ἑορτὴ νυκτερινή. Πανοικί· σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ. Confirmat hanc emendationem iam per ſe euidentem Phauorinus, cuius in Lexico, quo omnes ſciunt maximam partem gloſſarum Heſychianarum contineri, gloſſa extat haec, Πανοικεί· σὺν ὅλῳ τῷ οἴκῳ.

30. Suidas: Πανοικί· ὅλῳ οἴκῳ.

31. C. 21, 25.

32. Vertit enim verba Matthaei, οἱ δὲ διελογίζοντο παρ' ἑαυτοῖς, ſic, וְהֵם חָשְׁבוּ בֵּינֵיהֶם׃

ſane praetermiſſum eſt, Latine conuertiſſent *ſecum*, ſ. *in animis*, ſ. *cum animis*, *ſuis*, ita, vt παρ' ἑαυτοῖς idem eſſe intellegeretur, quod ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν [33]. Nam Marcus [34], et Lucas [35], eandem ſententiam expreſſerunt verbis ἐλογίζοντο πρὸς ἑαυτὲς, et συνελογίσαντο πρὸς ἑαυτὲς, quae verba interpres ille Latinus ipſe explicauit verbis *cogitabant ſecum*, et *cogitabant intra ſe*: et quem Graecarum literarum ſcientem fugit, praepoſitionem παρὰ caſui perſonae tertio iunctam fere hac eſſe poteſtate praeditam, vt locum indicet, in quo res ea, cuius verbum additum legatur, ſit, fiat, accidat [36]?

IIII. Sed varietas lectionis codicum veterum Noui Teſtamenti praebet, et ſuppeditat, lectoribus eius, atque interpretibus, adiumenta multa, et certa, intellegentiae, et interpretationis, verborum, non modo ſingulorum, ſed etiam iunctorum. Et quum de vtilitate gloſſematum prioris generis ſatis expoſitum, pro conſilio noſtro, videatur: inſtituti ratio poſtulat, vt poſterioris quoque generis interpretamentorum exempla aliquot, quibus fides orationi noſtrae fiat, afferamus. Qui enim in opido aliquo, vel natus eſt, et educatus, vel ſedes ſuas, et domicilium, collocatum habet, is opidum illud legitur dixiſſe, in Hebraica quidem lingua עִירוֹ [37], ſed

33. Marc. 2, 6. διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν· ſed ibid. v. 8. eſt διαλογίζονται ἐν ἑαυτοῖς, vt Matth. 16, 7. ſ.

34. C. 11, 31.

35. C. 20, 5.

36. Vid. Proluſ. 13, 2. Sic ap. Herodo. 1, 86. eſt, τὲς παρὰ σφίσι αὐτοῖσι δοκέοντας ὀλβίες εἶναι.

37. Vid. 1. Sam. 20, 6. 1. Regg. 2, 10.

ſed in Graeca ἰδίαν πόλιν [38], hoc eſt, πόλιν αὐτȢ. Neque ſane aliter haec verba ab auctoribus librorum Noui Teſtamenti vſurpata apparet. Etenim Chriſtus a Matthaeo [39] perhibetur veniſſe εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, hoc eſt, Capernauma, quo in opido tum habitabat: et Bethſaida ab Iohanne [40] ἡ πόλις Ἀνδρέȣ, καὶ Πέτρȣ, vocatur, quia fuit vicus [41] horum Apoſtolorum natalis. Sed a Luca [42] ἡ ἰδία πόλις etiam illud opidum, ille vicus, nominatur, qui maioribus, populo, genti, familiae, cuiuſque Iudaeorum erat antiquitus aſſignatus, eo loco, quo cenſum refert, imperatoris Augusti iuſſu, per vniuerſam Iudaeam [43] actum eſſe. Etenim quum relationem nominum ciuium in tabulas apud Iudaeos factam eſſe per tribus, et populos, atque adeo per gentes populi cuiuſque, et per gentium ſingularum familias, conſtet [44]: manifeſtum eſſe putamus, ſententiam verborum Euangeliſtae, καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι, ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, hanc eſſe, vt quiſque Iudaeorum exiſtimetur nomen ſuum in tabulas referendum curaſſe in eo opido, et vico, qui genti ſuae, et familiae, eſſet antiquitus attributus. Ioſephus enim, Mariae, matris Chriſti, ſponſus, conceſſiſſe tum in Iudaeam, et quidem Bethlehemum, ex inferiore Galilaea dicitur [45], quod fuiſſet de gente, familiaque, Dauidis. Atque hoc praeclare vidiſſe videtur ille grammaticus, qui verba Lucae, εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, interpre-

38. Vid. Raphelius ad Matth. 9, 1.

39. C. 9, 1. coll. Marc. 2, 1.

40. C. 1, 45.

41. Vid. Proluſ. 19, 2.

42. C. 2, 3.

43. Vid. Proluſ. 3, 2.

44. Vid. Grotius ad Luc. 2, 3.

45. Luc. 2, 4.

pretatus eſt verbis εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα, quod gloſſema nunc in codice Bezae pro gloſſa ſubſtitutum extat, ita, vt verba ἐπορεύοντο ἕκαστος εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα eo acciperentur ſenſu, quo verba ἕκαστος εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ ἀπελεύσεσθε in codice Alexandrino, et Aldino exemplo, verſionis ſeptuagintauiralis libri Moſis tertii [46] pro verbis Hebraicis אִישׁ אֶל־מִשְׁפַּחְתּוֹ תָּשֻׁבוּ leguntur. Sed aeque elegans interpretamentum verborum Pauli [47] κατὰ μίαν σαββάτων margines codicis Bodleiani ſecundi, qui eſt inter Baroccianos codices vndetriceſimus, ſeruarunt. Etenim vocabula σάββατα, et μία, in libris Noui Teſtamenti, ad modum Hebraeorum, vel potius Chaldaeorum [48], nominum שַׁבָּת, atque חַד, ita poſita inueniuntur, vt hoc quidem *primum*, illud totam *hebdomada*, ſignificet, adeo, vt μία σαββάτων ſit *primus hebdomadis dies*, qui a Marco [49] πρώτη σαββάτου appellatur, ſed ab Chriſtia-

nis

46. C. 25, 10.: codex Vatic., aliique libri, pro πατρίδα habent πατριάν· vt 1. Chronn. 5, 7. cod. Vatic., et Aldinus liber, legunt τῇ πατρίδι, ſed Alex. codex τῇ πατριᾷ. Notauit hunc vſum vocabuli πατρὶς Suidas v. πάτρης, Πατρὶς δὲ, inquiens, ἡ φυλή· ſed φυλὴ accipi debet, ex vſu loquendi Alexandrino, pro πατριά. v. Salmaſius obſeruatt. ad I. A. et R. p. 120. ſ. Heſychius, Πάτρις· φυλῆς, πατρίδος· leg. πατριᾶς· nam gloſſa ſumta videtur e Luc. 2, 4. Theophylactus ad Luc. 2, 3. p. 219. Rom.: Διὰ τοῦτο γίνεται ἀπογραφὴ, ἵνα, πάντων ἐλθόντων εἰς τὰς οἰκείας πατρίδας, ἀνέλθῃ καὶ ἡ παρθένος εἰς τὴν Βηθλεὲμ, ὡς οἰκείαν πατρίδα.

47. 1. Corr. 16, 2.

48. Eſth. 2, 9. in paraphraſi Chaldaica haec leguntur verba, וְיַת שְׁבַע עוּלֵמְתָא לְשַׁמָּשׁוּתָהּ שְׁבַע יוֹמֵי דְשַׁבְּתָא חוּלְתָא הֲוַת מְשַׁמְּשָׁא קַדְמָאָה בְּחַד בְּשַׁבְּתָא. v. Buxtorfius Lex. Chald. et Talmud. v. שַׁבַּת.

49. C. 16, 9. coll. v. 2. Etiam Actt. 20, 7. pro ἐν τῇ μιᾷ

nis post reditum Christi ad superos, in memoriam reditus eius ab inferis, ἡ κυριακὴ ἡμέρα [50] dici coeptus est. Hoc vero docere lectores, interpretesque, epistolarum Pauli glossema τὴν Κυριακὴν potest, quod in margine codicis Bodleiani ante laudati verbis Apostoli κατὰ μίαν σαββάτων appositum extat [51], sed in aliis libris in ipsum ordinem, post eadem illa verba, relatum inuenitur.

V. Librariorum enim multorum, qui libros auctorum vtriusque linguae descripserunt, ea fuit sedulitas, vtilis sane saepenumero, atque salutaris, vt verbis ipsorum scriptorum glossemata, quae ab grammaticis adscripta, vel in marginibus codicum, vel inter versus paginarum, repperissent, adiunxerint, ita quidem, vt illa, nunc praeire, nunc subsequi, iusserint. Nam sicut apud Cornelium Nepotem in vita Eumenis [52] codex Axenianus habet *fidos certos mittit homines*, pro *certos mittit homines*, et apud Ciceronem in oratione ad Quirites post reditum [53] in editione omnium prima legitur *sed sicut tanquam*, pro *sed tanquam*: ita in Sallustii Catilina [54] Cortius pro *mul-*

μιᾷ τῶν σαββάτων in cod. Bezae legitur ἐν τῇ μιᾷ πρώτῃ τῶν σαββάτων. Scilicet glossema ipsi glossae additum est: quae ratio infra a nobis exemplis aliquot illustrata est.

50. Apoc. 1, 10.

51. Chrysostomus homil. 43. ad 1. Corr. 16. p. 476. To. 4. Duc. Francof. κατὰ μίαν σαββάτου, τουτέστι, κυριακήν. Oecumenius ad 1. Corr. 16, 2. p. 492. Veron. μίαν σαββάτων, τὴν κυριακὴν λέγει. Λέξεις τῶν Ἀποσ. ἐπιστολῶν apud Matthaeium lectt. Mosquenss. p. 61. Vol. 2. Μίαν σαββάτων· κυριακὴν λέγει, τὴν ἁγίαν ἡμέραν· add. Glossar. N. T. Fabric. p. 138. et ibi Albertius.

52. C. 9, 3.

53. C. 1. extr.

54. C. 40, 6.

multos cuiusque generis innoxios in codice Guelferbytano nono scriptum inuenerat *multos cuiusque generis innoxios inscios coniurationis* [55]; et Morellius ostendit, in oratione tertia decima Dionis Chrysostomi alicubi [56] pro ὀυχ οἷά τε ἀπαλλαγῆναι, vt scribendum esse idem ille vir eruditissimus opinabatur, codicem Parisiensem regium exhibere ὀυχ οἷά τε δυνάμενα ἀπαλλαγῆναι. Quae quidem scriptura etiam demonstrare videtur originem lectionis editorum librorum prauae ὀυχ οἷα τὰ γενόμενα ἀπαλλαγῆναι, quam ita corrigi debere, vt pro οἷα τὰ rescriberetur οἷά τε, Casaubonus iam acute vidit. Scilicet Dio scripserat οἷά τε γενόμενα· haec verba explicauit grammaticus aliquis participio δυνάμενα [57]· sed librarius, qui putaret, hoc glossema pertinere tantum ad verbum γενόμενα, contulit illud in ordinem, omisso participio γενόμενα. Neque enim verisimile esse arbitrabamur, librarium sponte δυνάμενα pro γενόμενα scripsisse. Hanc autem eandem sedulitatem librarii multi etiam in describendis libris diuinis adhibuisse reperiuntur [58]. In Matthaei quidem euangelio [59] in multis codicibus pro ἵνα μό-

55. Sic ap. Cic. Off. 2, 21. codd. nonnulli habent, *Eorum autem ipsorum quaedam partim eiusmodi sunt*: sed *quaedam* glossema est: et ap. Hirtium B. Afr. c. 3, 4. in cod. Leid. pr. legitur *fortuita casu*: sed Hirtius haud dubie scripsit simpliciter *fortuitu*: vid. Cic. Off. 1, 29. Phil. 10, 2.: etsi non ignoro A. ad Heren. 1, 11. dixisse *casu et fortuitu*.

56. p. 222. C Paris.

57. Sic ap. Plat. Phaedon. 18. pro οἷοί τ' ἦσαν τοῦτο ποιεῖν cod. Aug. habet ἠδύναντο τοῦτο ποιεῖν. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Οἷόν τε, δυνατὸν λέγουσιν. add. Harpocratio v. οἷος εἶ, et Suidas v. οἷόν τε.

58. Vid. Prolus. 23, 2.

59. C. 14, 36.

μόνον ἅψωνται scriptum legitur ἵνα κἂν μόνον ἅψωνται· sed κἂν glossema esse, quod e loco Marci simili [60] petitum sit, vix docere attinet, quum particula κἂν, ita posita, vt particulis Latinis *vel*, et *saltem*, respondeat [61], facilius intellegi, certe a Graece doctis, quam particula μόνον, possit. Et quis non miretur, in libris editis omnibus apud Marcum [62] etiamnunc legi ἀνώγεον· Bengelius ἀνώγαιον ex antiquis codicibus rescripsit, et Grisbachius nuper ἀνάγαιον· ἐστρωμένον, ἕτοιμον? Etenim, cum vtriusque verbi natura, atque potestas, tum leges artis criticae omnes, vt alio iam loco [63] docuimus, nomen ἕτοιμον, vt interpretamentum participii ἐστρωμένον, ex ordine eiici iubent. Atque has legum criticarum voces, et iussa, non parum adiuuat ipse vsus loquendi Euangelistarum, Apostolorumque: quippe quum, neque Marcum, neque alios Noui Testamenti scriptores, hanc sequutos rationem esse videamus, vt, more, et exemplo, Homeri [64], caeterorumque Graecitatis auctorum [65], coniunxerint duo sine vllo vinculo vocabula, quorum alterum vim alterius definiret, atque explicaret: nisi forte quis huc referendum esse putet locum Petri [66] hunc παρὰ δὲ Θεῷ ἐκλεκτὸν, ἔντιμον· quae verba interpres Latinus vetus ita explicauit, *a deo*

60. C. 6, 56. Sic Matth. 23, 25. codd. nonnulli habent τῆς παροψίδος τȣ̃ πίνακος· sed τȣ̃ πίνακος est glossema, e Luc. 11, 39. petitum.

61. Vid. Act. 5, 15. 2. Corr. 11, 16.

62. C. 14, 15.

63. Prolus. 1, 5.

64. Vid. Il. ά, 99. Odys. ά, 148.

65. Vid. ad Plat. Phaedon. 59, 2. et 11.

66. 1. ep. 2, 4.

a deo autem electum, et honorificatum. Neque vero facile futurum esse speramus quenquam, qui reprehendendam censeat Grisbachii diligentiam, quod in Matthaei euangelio [67] pro ἄνθρωπός τις ἦν οἰκοδεσπότης ediderit, inducto pronomine τις, tanquam glossemate, ἄνθρωπος ἦν οἰκοδεσπότης. Etenim pronomen hoc a multis notae optimae codicibus abest, quo in numero fuit is, quem interpres Latinus vetus expressit [68], et Matthaeus aliis quoque in locis nominibus οἰκοδεσπότης [69], βασιλεὺς [70], ἔμπορος [71], ἐχθρὸς [72], adiunxit, admonitu, vt videtur, Hebraici vocabuli אִישׁ, nomen ἄνθρωπος simpliciter, ita, vt partes Graeci pronominis τις ageret. An vero recte fecerit idem vir doctus, quod apud eundem Euangelistam [73] cum aliis editoribus, et apud Lucam [74], Bengelii exemplo, pro ἄνθρωπός τις recepit tantum ἄνθρωπος, non parum dubito. Hanc enim rationem etsi me non praeterit consuetudini loquendi scriptorum diuinorum [75] neutiquam adversari: tamen fieri posse putabam, vt Euangelistae istis in locis verbis ἄνθρωπός τις nomen Hebraeum אִישׁ, articulum comitem habens, reddiderint, quem non ignorarent etiam vi pronomi-

67. C. 21, 33.

68. Vertit, *homo erat paterfamilias.*

69. C. 20, 1.

70. C. 18, 23. 22, 2.

71. C. 13, 45.

72. C. 13, 28.

73. C. 21, 28.

74. C. 20, 9.

75. Vid. Matth. 9, 9. 32. 12, 10. 13, 44.: vbi codex Bezae pro ἄνθρωπος habet τις· 22, 11. 25, 14. [vbi codd. nonnulli legunt ἄνθρωπός τις]· Marc. 12, 1. 13, 34 —. coll. Gen. 13, 16.: vbi *οἱ ό* pro אִישׁ habent τις, vt Vulg. *quis.* Sic ap. Xen. Cyrop. 7, 5. 20. est ἀνὴρ, vt 8, 2. 4. ἄνθρωπος, sed 2, 3. 3. ἀνήρ τις.

nis Graecorum indefiniti esse praeditum. Certe editores illi Noui Testamenti debebant hoc in genere ita constantes esse, ac graues, vt etiam in Lucae commentariis [76] pro ἄνθρωπός τις ἐποίησε δεῖπνον μέγα reponerent ἄνθρωπος ἐποίησε δεῖπνον μέγα, et ἄνθρωπος εὐγενὴς pro ἄνθρωπός τις εὐγενής.

VI. Haec igitur disputatiuncula de vtilitate varietatis lectionis librorum Noui Testamenti, cura, et opera, eruditissimorum hominum e magno codicum veterum numero collectae, et congestae, vel in indaganda, vel in confirmanda, glossarum potestate, quem non doceat, quam parum satisfecerint Lexicographi officio suo, qui non habuerint in adornandis Lexicis rationem glossematum in libris manu scriptis latentium? Nos quidem si, non tam ipsius praeceptionis nostrae veritate, quam exemplorum a nobis propositorum elegantia, animis lectorum Noui Testamenti liberalium cupiditatem quandam inspiciendi diligenter copias veterum codicum, earumque bonis recte vtendi, iniecerimus: vehementer, et ita, gaudebimus, vt, non promittamus, sed spondeamus, omnes esse huius studii, huius laboris, magnis sane, multisque, cum iucunditatibus coniuncti, fructus capturos, et maximos, et suauissimos.

VII. Vos vero, collegae amantissimi, conuenietis, pro amore erga nostros discipulos vestro, perendie, hora quinta vespertina, in auditorium scholae nostrae classicum libentes, faventesque audietis oratiunculam Latinam auditoris

76. C. 14, 16. 19, 12.

ris classici, IOH. CAR. THEOPHILI MANII, *Tauchauiensis*, adulescentis ab studio literarum bonarum sane non alieni, qui *veras*, *certasque*, *hominum diuitias omnes vna sapientia*, *et probitate*, *contineri* ita docere conabitur, vt etiam deo O. M. gratias, quantas maximas oratio complecti humana potest, agat pro omnibus bonis, quae scholae nostrae vniuersae hoc anno contigere, curaeque eius, ac tutelae, praecipuae salutem, et rationes, omnium, qui, vel rebus ludi nostri praesunt, vel liberalitate eum sua complectuntur, vel literas in eo bonas docent, et discunt, in proximum quoque annum quam diligentissime commendet. His igitur adulescentis optimi cum precibus vestras ita coniungetis, vt ego vos fortunatissimos semper omni in genere esse, non cupio, sed aueo. Scripsi Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Ianuarias A. C. CIↃIↃCCLXXXVII

PROLVSIO SEPTIMA ET VICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN COPIIS VERS V. T. ALEX. ET LIBRORVM DOCTORVM ECCLESIAE ANTIQVAE ET GLOSSARIORVM HESYCHII MAXIME ET SVIDAE AD EXPLICANDAM N. T. ORATIONEM NON ADHIBITIS

Q. B. V

Admiratus iam saepenumero sum gratus, piusque, neque fortassis vnquam vnice admirari desistam, prouidentiam dei singularem, planeque incredibilem, quod fieri iussit, vt ante Christi aetatem libri Mosis primo, deinde caeterorum quoque Prophetarum scripta, ex Hebraeo in Graecum ab Iudaeis vtriusque linguae apprime gnaris conuerterentur. Haec enim librorum diuinorum versio Graeca, quae vulgo septuagintauiralis appellatur, non modo Hebraicae orationis interpres fidissima reperitur, praesertim si reliquarum versionum Graecarum, orientaliumque linguarum, auxilia adhibeantur, sed etiam certissima index viarum, quibus perueniri

ad

ad cognitionem orationis Graecae librorum Novi Testamenti idoneam, firmamque, possit. Quorum quidem versionis istius bonorum magnitudine, et praestantia, allecti, captique, doctores ecclesiae antiquae nobilissimi, quorum plerique linguae Graecae scientiores, quam Hebraeae, essent, verba eius, et simplicia, et iuncta, diligenter interpretati sunt: quae glossarum interpretamenta nouimus, vel in commentariis illorum hominum in libros Veteris Testamenti integris, vel in excerptis commentariorum, maximam partem, aut omnino, deperditorum, eorundem, quae nunc catenae nominantur [1], extare. Sed praeter hos librorum sacrorum interpretes extiterunt alii, qui glossas eiusdem versionis e libris singulis, vel etiam pluribus [2], conge-

1. Numerum catenarum V T. auxit Nicephorus, edita catena LIII. commentatorum in octateuchum, et libros regum, Lipsiae a. 1772. et a. 1773. form. mai. Vsus est codicibus duobus membraneis: alterum integrum inuenerat in bibliotheca principis Valachiensis: alterum mutilum Constantinopoli acceperat ab Alexandro, protospathario. Sed extant eiusdem catenae plura alia exemplaria manu scripta in bibliothecis aliis, velut in Veneta S. Marci. v. Catal. Codd. MSS. Graecc. huius bibliothecae p. 16. cod. 15. et 16. Et excerpta catenae in Psalmos edita sunt e codice quodam Mosquensi in lect. Mosquenss. Vol. 2. p. 41. — 53. Lipsiae a. 1779. 8. ab Christi. Frider. Matthaeo, V. C., qui auctorem eius suspicabatur esse Euthymium Zigabenum: cuius catenae in psalmos codex chartaceus saec. 16. est in bibliotheca regii Taurinensis Athenaei. v. Catal. codd. MSS. eius p. 190. To. I.

2. Fabricius possedit codicem membraneum, continentem Glossaria librorum Mosis, aliorumque. Ex eo Λεξικὸν τῆς Ὀκτατεύχου, et Λέξεις τοῦ Τετραβασιλείου, edidit biblioth. Gr. 5, 40. 8. p. 62. — 69. Vol. 10. Hunc codicem Reimarus, gener Fabricii, donauit Ioh. Al-

gererent, iisque secundum ordinem capitum, literarumue, dispositis adiungerent glossemata, vel e thesauris ingenii proprii depromta, vel ex aliorum interpretum libris petita, vel e marginibus codicum veterum, versuumue paginarum interuallis, atque adeo ex aliis versionibus, collata. Horum autem Glossariorum copiis multis aucta esse videmus corpora glossarum barbararum, quae ab Hesychio [3], Suidaque, composita ad nostram peruenerunt aetatem, multoque etiam magis cerneremus, si omnia Veteris Testamenti Glossaria, quae etiamnunc in multis multarum ciuitatum bibliothecis abscondita latent, ex his latebris suis prolata ederentur. Iam etsi doctissimi librorum Prophetarum interpretes omnes

Albertio: vid. praefat. ad Hesych. p. 37. et notae p. 347. To. 1.: qui magna glossarum, glossematumque, parte animaduersiones ad Lexicon Hesychii suas auxit. Codex ipse, post mortem Albertii, transiisse videtur in bibliothecam Burmani iunioris. v. Catal. codd. MSS. Burmani pag. 14. n. 2362. Sunt autem eorundem Glossariorum multi alii in multis aliis bibliothecis codices, vt in Laurentiana: vid. Catal. codd. MSS. Grr. p. 44. To. 1.: in Coisliniana: v. Catal. codd. MSS. eius p. 494. 503. 602.: in Leidensi: vid. Catal. librorum eius p. 398. n. 63. Glossarium Psalmorum e cod. Taurinensi integrum editum est a Iosepho Pasino in Catal. codd. MSS. biblioth. Athenaei Taurinensis regii p. 190.—193. To. 1. Et Cyrilli Lexicon MS. in octateuchum laudatur, vt ab aliis, ita etiam ab Albertio in notis ad Hesych. p. 1165. To. 2.

3. Glossas V. et N. T., quae in Lexico Hesychiano sunt, ab grammatico quodam recentiore illuc coniectas esse, Ric. Bentleius in ep. ad Ioh. Christi. Bilium censuit, assensorem nuper nactus Valquenarium in schediasmate de epistola ad Eulogium, Hesychio praefixa, operisque inscriptione, p. 154.: quod adiectum est Vrsini Virgilio collatione scriptorum Grr. illustrato, Leouardiae a. 1747. 8. denuo edito.

omnes ſemper in iis explicandis, non ſine ſumma lectorum omnium vtilitate, auctoritatem verſionis ſeptuagintauiralis ita adhibuerunt, vt nec adiumenta intellegentiae verborum eius, ab eruditiſſimis grammaticis propoſita, neglexerint: nemo tamen maiorem hoc in genere curam, diligentiamque, probauit Ioh. Chriſtiano Bilio, theologo, et ſanctitatis, et doctrinae, laude florentiſſimo. Is enim primis iam huius ſaeculi annis conſtituerat gloſſas Lexici Heſychiani, quas, vel e verſione Alexandrina Veteris Teſtamenti, vel ex Euangeliſtarum commentariis, Apoſtolorumque epiſtolis, ſumtas eſſe appareret, annotamentis ab ſe illuſtratas in peculiarem coniicere librum, qui eſſet Heſychius ſacer inſcriptus [4]: ſed abieciſſe edendi huius libri conſilium duabus maxime de cauſſis videtur. Etenim quum apud Batauos cognouiſſet Ioh. Albertium eſſe in adornanda Gloſſarii Heſychiani editione noua, eaque abſolutiſſima, occupatum: copias huius generis ſuas editori eius tam docto, tamque diligenti, recte tradi poſſe exiſtimauit. Et quum ipſe in condendo Lexico verſionum Graecarum Veteris Teſtamenti omnium ſummo ſtudio elaboraret [5]: illud ſperabat ita inſtrui, et quaſi dotari, omnibus doctrinae theologorum, grammaticorumque, veterum opibus poſſe, vt lectores librorum diuinorum vſura peculiaris hoc in genere operis carere ſine vllo vllius detrimenti, im-

4. Vid. Acta eruditorum Lipſienſia a. 1712. p. 431. ſ.

5. Specimina huius Lexici ediderat Bilius iam A. C. 1740. 4. poſt exercitationem de lignis ex Libano ad templum Hieroſolymitanum aedificandum petitis: ſed Lexicon ipſum, cura Muzenbecheri, emitti coeptum eſt Hagae Comitum A. C. 1779. Voll. III. 8.

impedimentique, timore possent. Et profecto prodiit hoc Bilii Lexicon ante annos non multos ita paratum, ita ornatum, vt, si inspicere illud Lexicographis Noui Testamenti contigisset, hi cognoscere ex eius apparatu facillime potuissent, quibus antiquae doctrinae copiis locupletare libros suos ita debuissent, vt consultores omnes, maximeque nouelli, perspecta earum excellentia, atque vtilitate, mature discerent sapientiae veteris diligentiam modestam, et breuiloquentem, etiam hoc in genere, pluris facere, quam verbosam, et arrogantem, sophiae nouae neglegentiam.

II. Debebant enim in Lexicis Noui Testamenti ad origines multarum formularum demonstrandas, atque ad patefaciendos earum non minus, quam singulorum verborum, significatus, vel ex Hebraica lingua ductos, vel dialecti Macedonicae nouae, et Alexandrinae, proprios, si non multi loci, at certe nonnulli, ex Alexandrina alterius Testamenti versione afferri. Cuius quidem instituti quanta sit, et necessitas, et vtilitas, vel Pe. Keuchenii liber [6] docere quemque potest, in quo orationem Euangelistarum, et Apostolorum, cum septuaginta interpretum oratione ita comparauit vir doctissimus, vt hac opera sua vnus pluribus Noui Testamenti locis plus lucis affudisse iudicetur etiamnunc ab intellegentissimo quoque, quam omnes alii, qui eosdem libros

6. Keuchenii Annotatorum in N. T. Pars prior, quae est in euangelia, et acta Apostolorum, exiit Amstel. a. 1689. 4. vid. Acta eruditt. a. 1690. p. 514. ff. Haec eorum pars repetita est eadem in vrbe, ita, vt Annotata in epistolas Apostolicas, et Iohannis Apocalypsin, accesserint, a. 1708. 4.

libros ita illuſtrare inſtituerunt, vt locos eorum cum locis ſcriptorum barbarorum, et veterum, et recentiorum, contulerint. Et profecto optauimus ſemper valde, vt exiſteret aliquando vir quidam Graece, Hebraiceque, doctus, qui, et laboris patientia armatus, et rei Chriſtianae amore incenſus, e verſione ſeptuagintauirali copias reliquas omnes, quibus intellegentia orationis librorum Noui Teſtamenti adiuuaretur, Keuchenii exemplo, colligeret. Quis vero neſcit, quanta vis, et copia, egregiorum, veriſſimorumque, gloſſematum, ad gloſſas, et euangeliorum, et Apoſtolicarum epiſtolarum, pertinentium, contineatur commentariis Origenis, Chryſoſtomi, Theodoreti, aliorumque, et eorum excerptis, quae Theophylactus, Oecumenius, Nicetas, Euthymius Zigabenus, aliique, reliquerunt [7]? Horum igitur librorum opibus Lexicographos Noui Teſtamenti ita vti oportebat, vt earum auxilio poteſtatem verborum, formularumque, vel reconditam, et occultam, ſolerter recluderent, atque patefacerent, vel apertam, promtamque, magis comprobarent, et confirmarent. Qua quidem in re recte poterant, non modo praeeuntem ſequi Ioh. Gregorium, eccleſiae Gloceſtrienſis archidiaconum, qui libros

7. De catenis Patrum Graecorum in N. T. obſeruationes edidit Ioh. Frider. Sigem. Auguſtinus Halis a. 1762. 4. Ioh. Chriſto. Volfius Anecdotorum Graecorum To. 3. p. 92. — 195. et To. 4. p. 1. — 112. Excerpta e catena Patrum Graecorum in acta Apoſtolorum, et epiſtolas catholicas, cuius codex in bibliotheca Bodleiana eſt, inſeruit. Et catenam Victoris, preſbyteri Antiocheni, in Marci euangelium denuo emiſit, adhibitis codicibus Moſquenſibus quatuor, Chriſti. Frider. Matthaeius, V. C., Moſquae a. 1775. 8.

bros Noui Testamenti scholiis Graecis, e scriptis doctorum ecclesiae veteris eruditissimorum petitis, illustratos reliquit, cura filii eius, et Ioh. Ern. Grabii, editos [8], sed etiam Ioh. Casp. Suiceri doctrinam adhibere, qui quantum studii, et diligentiae, in oratione scriptorum ecclesiasticorum Graeca copiose, et ad intellegendos libros diuinos apte, explicanda collocauerit, studiosi harum literarum omnes ita sciunt, vt operam viri, et admirentur non parum, et vehementer laudent. Sed nec Glossariorum Noui Testamenti vsus praetermittendus ab Lexicographis erat, quae referta esse constat eiusmodi glossematis, quorum indicio vis multarum glossarum indagari facillime, et sine vllo erroris periculo, possit. Quae quidem horum Glossariorum vtilitas magis etiam cognita est ab eo tempore, quo Ioh. Albertius Glossarium euangeliorum, Apostolicarumque epistolarum, e codice membraneo, quem ab Ioh. Alb. Fabricio acceperat, et ex quo ab eodem Fabricio Glossaria librorum Veteris Testamenti quorundam euulgata esse supra diximus, cum vtilissimis, variaque doctrina plenissimis, obseruationibus edidit [9]. Et quis non grato omnium Christianae disciplinae sectatorum ore celebrandam censeat inusitatam industriam, diligentiamque singularem, Christi. Frider. Matthaeii, viri Graece doctissimi, qua sibi, et suae aetatis homines, et posteritatem humanam omnem, ita deuinxit, vt, et Glossaria Noui Testamenti similia, quorum exem-

8. Oxonii a. 1703. form. max.

9. Lugd. Batauorum a. 1735. 8. Vid. commentarii de libris nouis, qui inscripti sunt *bibliotheque raisonnée*, To. 15. P. 2. n. 5. p. 355. — 369.

exemplaria in bibliothecis Mosquensibus reperisset, emiserit [10], et plures alias eiusdem generis opes, quae ad intellegendos libros sacros valerent, in noua eorum, quam adornauit, editione exposuerit? Horum autem ipsorum Glossariorum, quorum numerum non mediocrem in multis aliis bibliothecis asseruari nouimus [11], particulae multae nunc in Hesychii, Suidaeque, Lexica translatae conspiciuntur. Qua quidem de re etsi editores, atque interpretes, vtriusque Lexici recentiores diligenter, et ita, admonuerunt consultores, vt etiam locos librorum Noui Testamenti, e quibus glossae petitae essent, laudarint: tamen mirandum non est, hanc eruditissimorum hominum operam adhuc perpaucis multum profuisse. Multi enim, qui non viderent, quid opis ferre libros diuinos intellegere cupientibus possent Glossaria, quae eo composita consilio essent, vt librorum humanorum intellegentia adiuuaretur, ea ne attigerunt quidem: alii; qui non nescirent, quot, quantosque, fructus capere ex his Glossariis liceret lectoribus Noui Testamenti diligentibus, illa propter exemplarium, et raritatem, et caritatem, consulere non potuerunt. Ab his vero, non dubium est, quin

10. Glossaria in epistolas Pauli cura Matthaeii exierunt Mosquae a. 1774. 4.: et Λέξεις τῶν Ἀποστολικῶν Ἐπιστολῶν insertae sunt lectionum eiusdem viri doctissimi Mosquensium volumini secundo p. 60. — 62.

11. Vt in bibliotheca Coisliniana: vid. Catal. codd. MSS. eius p. 502. 603.; Laurentiana: vid. Catal. codd. MSS. Grr. eius p. 420. To. 2.: Parisiensi regia: v. Catal. codd. MSS. eius pag. 528. To. 2.: Leidensi: v. Catal. librorum eius p. 398. n. 63.

quin magnam inierit gratiam Ioh. Christi. Theoph. Ernestius, vir eruditissimus, gloriaeque nominis Ernestiani conseruator, et propagator, studiosissimus, editis seorsim nuper, atque illustratis, vtriusque Glossarii excerptis, quae ad libros Veteris, et Noui, Testamenti pertinerent. Sed harum quoque glossarum omnium sedes quum ab vno homine nec attentissimae, et diligentissimae, lectionis librorum sacrorum auxilio, neque, nisi diuturnae obseruationis cura, inuestigari possint: mirandum sane non est, ab editore istorum excerptorum praestantissimo nonnullas glossas praeteritas esse, et quarundam domicilia ita indicata, vt consultorum cupiditati, et exspectationi, non omnino satisfactum videretur. Age igitur, partem aliquam vtriusque generis glossarum, quae ex libris diuinis Noui Testamenti sumtae in Lexicis Hesychii, et Suidae, extant, praeter eas, quas in aliis iam huiusmodi libellis explicauimus, nunc propterea maxime proponamus, vt appareat, quam parum consuluerint recentiores Lexicographi, et suis, et lectorum Noui Testamenti, rationibus, quod in componendis libris suis nullam habuerint Glossariorum veterum rationem.

III. Etenim in commentariis Matthaei, quo loco Christus perhibetur disciplinae suae alumnis praecepisse, vt clam, et occulte, darent tenuioribus stipem, non aperte, et palam, more, exemploque, Pharisaeorum, qui benigni erga inopes videri vellent, miseriis eorum, aerumnisque, commoti, quum tamen sequerentur ea in re, atque captarent, vanas hominum laudes, ita, vt haec ipsorum liberalitas esset simulata, non vera,

vera, benignitas, eo igitur loco [12] Christus huic praecepto suo addidisse legitur vocem istam, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν. Huius vero vocis sententiam facile apparet hanc esse, *Mihi credite, habent mercedem, et praemium, benignitatis suae, hominum laudes, neque adeo vllum eius praemium exspectare a deo possunt, et debent* [13]. Sicvt enim Attici in primis veteres verbis e praepositione ἀπὸ compositis fere omnibus vim simplicium verborum tribuerunt [14]: sic verbum ἀπέχειν in Macedonica maxime, Alexandrinaque, dialecto ita frequentatum inuenitur, vt, adiecto casu vocabulorum rerum quarto, idem significaret, quod verbum ἔχειν [15], et verba λαβεῖν [16], atque ἀπολαβεῖν [17], vel formula ἀπολαβόντα

12. C. 6, 2. add. v. 5. et 16.

13. Lactantius iam eiusdem vocis Christi sententiam institutt. diuinn. 6, 18. 3. recte, et eleganter, expressit, *Monet enim deus*, inquiens, *operatorem iustitiae non oportere esse iactantem, ne non tam mandatis caelestibus obsequendi, quam studio placendi, humanitatis officio functus esse videatur, habeatque iam pretium gloriae, quod captauit, nec praemium caelestis illius, ac diuinae, mercedis accipiat.*

14. V. c. ἀποσπεῖσαι Plat. Phaedon. 66.: ἀποπειρᾶσθαι Xen. Cyrop. 2, 3. 3., vbi cod. Guelferb. habet πειρᾶσθαι· ἀποκοιμᾶσθαι ibid. 2, 4. 17.: ἀποβιάσασθαι ibid. 3, 1. 11.: ἀποκωλύειν Oecon. 5, 13. coll. Hippic. 11, 13. Conf. Prolus. 5, 3.

15. Origenes commentarr. in Matthaeum p. 255. B To. 1. Colon.: ἀπέχομεν τὸν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων μισθόν· καὶ ἁπαξαπλῶς πᾶν τὸ γινόμενον μετὰ τοῦ ἐν τῷ πράττοντι συνειδότος ἐπὶ τῷ δοξασθῆναι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων οὐκ ἔχει τέλος ἀπὸ τοῦ βλέποντος ἐν τῷ κρυπτῷ.

16. Tho. Mag.: Ἀπέχω τὴν χάριν κάλλιον, ἢ λαμβάνω. Sed pro λαμβάνω scribi debebat ἔλαβον· etsi non ignoro, etiam in Phavorini Lexico v. ἀπέχειν legi, ἀπέχειν καὶ τὸ ἀπολαμβάνειν.

17. Suidas: Ἀπέχω· τῇ αἰτια-

τα ἔχειν [18]. In Callimachi quidem epigrammatis [19] leguntur formulae ἀπέχειν χρέος, et ἀπέχειν χάριτας, a quibus ſane non diſcrepant formulae ἀπέχειν δάνειον, et ἀπέχειν τὴν χάριν, quarum hac Syneſius in epiſtolis [20] vſus eſt, illa Philo [21]: et apud Diogenem Laërtium in vita Zenonis Cittiei [22] nouimus extare formulam πάντας ἀπέχειν τοὺς ἐπιζητουμένους ἀριθμοὺς, ὑπὸ τῆς Φύσεως, atque in libris aliorum eiuſdem aetatis ſcriptorum alias formulas ſimiles [23]. Sed quid opus eſt ad vindicandam verbo ἀπέχειν *habendi* notionem ſcriptorum externorum auctoritatem adhibere, quum in ipſa verſione Veteris Teſtamenti ſeptuagintaui-rali

αἰτιατικῇ· ἀντὶ τοῦ ἀπέλαβον. Theophylactus ad Matth. 6, 2. p. 24. Rom., Ἐπαινούμενοι γὰρ τὸ πᾶν ἀπέλαβον παρὰ τῶν ἀνθρώπων.

18. Phauorinus v. ἀπέχεσθαι· — καὶ ἀπέχω τὸ ἀπολαβὼν ἔχω, συντασσόμενον Αἰτιατικῇ. Sed tota illa obſeruatio ſumta videtur e Georgii Lecapeni libello περὶ Συντάξεως τῶν ῥημάτων, paucis annis poſt, h. e. a. 1525., Venetiis octonis edito, quem tamen mihi nondum tractare contigerat, aut ex grammatica eius: quam viri docti nondum emiſſam putant [vid. Laur. Normannus ad Ariſtid. p. 60. et Villoiſonius Anecdd. Grr. p. 79. To. 2.], ſed cuius excerpta nuper e cod. Moſquenſi vulgauit Matthaeius, V. C., lectt. Moſquenſſ. Vol. 1. p. 55. — 79.: quorum tamen partem magnam iam in eiuſdem Phauorini Lexico propoſitam extare videmus.

19. Epigr. 58. et 54. Priorem locum laudauit Suidas v. ἀπέχω.

20. ep. 14. p. 12. Turn.: qui locus laudatus eſt a Thoma Magiſtro v. ἀπέχω τὴν χάριν, et ab Phauorino v. ἀπέχειν, et ἀπέχεσθαι.

21. Vid. Loeſnerus, V. C., ad Matth. 6, 2.

22. 7, 100.: vbi v. Kuhnius.

23. Vid. Raphelius ad Phil. 4, 18.: Gataquerus ad Antonin. 4, 49. p. 135. b, et Stephanus Theſ. L. Gr. h. v.

rali [24] pro verbis Hebraicis בְּכַסְפְּכֶם בָּא אֵלָי legantur verba Graeca τὸ ἀργύριον ὑμῶν εὐδοκιμοῦν ἀπέχω, quae interpres Latinus vetus ita reddidit, *pecuniam, quam dediſtis mihi, probatam ego habeo*, neque verbum iſtud in aliis ipſius Noui Teſtamenti locis aliter poſitum reperiatur. Namque, et in Lucae commentariis [25] ſcriptum eſt, ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν, et Paulo in epiſtola ad Philippenſes [26] vti placuit verbis, ἀπέχω πάντα. Hoc autem vtroque in loco pro verbo ἀπέχειν in verſione Latina antiqua verbum *habere* legitur: cuius tamen verſionis auctor ita fuit inconſtans, vt Matthaei in commentariis idem verbum Graecum verbo *recepiſſe* explicarit: ſicut in verſione Hebraea, a Munſtero edita, eiuſdem Euangeliſtae verba, ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν, et verbis יֵשׁ לָהֶם שְׂכָרָם [27], et verbis לָקְחוּ אֶת־שְׂכָרָם [28], explanata videmus. Et quanquam hac verborum varietate ſane non ingrata ipſam rem, et ſententiam, non mutari certum eſt: tamen interpres Syrus laudem conſtantiae ita ſequutus eſt, vt verbum ἀπέχειν in omnibus, quos laudavimus, locis vno verbo ܡܩܒܠ reddiderit. Sed hanc grauitatem eum relinquere coëgit ipſa rerum natura in epiſtola Puuli ad Philemona, quo loco oſtendit Apoſtolus, Oneſimum, Philemonis ſeruum fugitiuum, ſibi videri propterea aufugiſſe ad breue tempus, vt ad dominum ita rediret, vt ipſi ſeruiret poſthac liberaliter per omnem vitam. Verba Pauli ipſa ſunt haec [29],

 Τάχα

24. Gen. 43, 23. add. Keuchenius ad Matth. 6, 2.

25. C. 6, 24.

26. C. 4, 18.

27. v. 2.

28. v. 5. 16.

29. v. 15.

Τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς. Hoc enim in loco quum verbum ἀπέχειν ad seruum, rei familiaris partem, referatur: interpres Syrus videtur illud scienter expressisse verbo ܩܢܐ, quod verbo Graeco κεκτῆσθαι responderet. Certe hoc verbum etiam ab Xenophonte [30] de dominis ratione seruorum ita vsurpatum scimus, vt idem declararet, quod verbum ἔχειν, pro quo illud ipsum verbum ܩܢܐ in eadem versione extat [31]. Chrysostomus autem glossam ἀπέχῃς in illo epistolae Paulianae loco interpretatus est verbo ἀπολάβῃς [32]· quod glossema, non modo ab Oecumenio, et Theophylacto, repetitum est [33], sed etiam in Glossaria Noui Testamenti translatum, atque ex iis tandem in Glossaria, et Lexica, grammaticorum veterum profectum, videtur. Nam in Hesychiano quidem Lexico glossa ἀπέχῃς legitur, addito glossemate λάβῃς. Hanc vero glossam ex illo Pauli loco sumtam esse, Suicerus iam in thesauro ecclesiastico [34] praeclare animaduertit, et Phauorinus ita docet, vt dubitari nullo modo possit. Is enim, non tantum eandem glossam cum glossemate ἀπολάβῃς in Lexicon suum transtulit, sed etiam addidit verba, nesciebam vnde petita, Ἀποστολικὴ λέξις· ἵνα αἰωνίως αὐτὸν ἀπέχῃς· sed

30. Cyrop. 7, 5. 26.

31. 1. Corr. 7, 2.

32. homil. 2. in ep. ad Philem. p. 682. To. 6. Duc. Francof., Λοιπὸν γὰρ οὐκ ἀποπηδήσῃ [l. ἀποπηδήσει]· ἵνα αἰώνιον αὐτὸν, φησὶν, ἀπέχῃς· ἀντὶ τοῦ ἀπολάβῃς.

33. Oecumenius ad ep. ad Philem. v. 15. p. 795. Veron., Ἀπέχῃς· ἤγουν ἀπολάβῃς. Theophylactus ad eundem locum p. 868. Lond., Ἀπέχῃς· τουτέστιν ἀπολάβῃς.

34. v. ἀπέχω p. 434. To. 1. edit. pr.

ſed aduerbium αἰωνίως in promtu eſt ingenio grammatici alicuius deberi, qui viderit, Apoſtolum formulam Hebraicam לְעֹלָם nomine adiectiuo reddidiſſe, quod vim aduerbii haberet, atque adeo ſignificaret idem, quod formula εἰς τὸν αἰῶνα in verſione Veteris Teſtamenti ſeptuagintauirali [35]. Et quum verba λαβεῖν, atque ἀπολαβεῖν, ſint verba hoc quidem in genere idem valentia: neminem fore ſperamus, qui ex eo, quod in libris Heſychii gloſſema λάβῃς, non ἀπολάβῃς, legatur, collegi recte poſſe arbitretur, gloſſam; ἀπέχῃς ipſam aliunde, non ex illo epiſtolae Pauli loco, eſſe arceſſitam, praeſertim quum multis accidere modis potuerit, vt λάβῃς pro ἀπολάβῃς ſcriberetur. Aeque certum, indubiumque, eſſe putamus, gloſſas, Ἀπέςη· ἐχωρίσθη, et, Διέςη· διεχωρίσθη, quarum hanc etiam Phauorinus ſuum in librum coniecit, e Lucae commentariis de rebus Chriſti [36], et Apoſtolorum [37], eſſe petitas. Sed in eiuſdem Heſychii Gloſſario extat gloſſa ἀπόθεσις cum gloſſemate ἀπόδοσις· quod etſi nec Phauorini in Lexico aliter ſcriptum inuenitur: tamen quam alienum ſit ab ingenio gloſſae, quum nomen ἀπόδοσις a nemine vnquam ne potuiſſe quidem intellegatur ita poni, vt *depoſitionem*, vel *repoſitionem*, indicaret, quis non videt? Abreſchius [38] igitur pro ἀπόδοσις reſcribendum eſſe ἀπόδυσις ita cenſebat, vt ipſius gloſſae ſedes quaerenda videretur in epiſtola Petri priore [39], vbi doceret Apoſtolus, ba-

35. Vid. Ex. 21, 6.

36. C. 24, 51.

37. C. 12, 10.

38. dilucc. Thucydd. p. 332.

39. C. 3, 21.

ptiſma Chriſtianorum non eſſe σαρκὸς ἀπόθεσιν ῥύπȣ. Hanc vero viri acutiſſimi coniecturam ſane non quaeſitam ego commodiſſimam eſſe, atque veriſſimam, ita arbitror, vt auctor gloſſematis, non tam ad laudatum epiſtolae Petrinae locum reſpexiſſe videatur, quum nomen ἀπόδυσις ad corporis ſordes relatum, et obſcurius ſit, et durius, vocabulum, quam potius ad locum poſterioris eiuſdem Apoſtoli epiſtolae eum, quo oſtendit, ſibi eſſe breui de vita decedendum [40]. Haec enim eſt ſententia verborum, εἰδὼς, ὅτι ταχινή ἐστιν ἡ ἀπόθεσις τȣ̃ σκηνώματός μȣ. Sed quum interpretes ſacrorum librorum viderent, vocabulo σκήνωμα, vt ab barbaris ſcriptoribus, ita etiam a Petro, *corpus* ſignificari, quod meminiſſent comparari ſolere cum pallio [41], quo animus, habitator, atque incola, corporis, quaſi amictus eſſet, ac tectus: verba ἀπόθεσις σκηνώματος explicarunt verbis ἀπόδυσις σώματος, quomodo verba ἡ ἀπέκδυσις τȣ̃ σώματος in epiſtola Pauli ad Colaſſenſes [42], ſed alio tamen ſenſu, leguntur. Sic vero intellegi facile poteſt, qui factum ſit, vt gloſſema σώματος in codicibus nonnullis locum gloſſae σκηνώματος occuparit, et vt Gloſſaria Noui Teſtamenti, atque adeo Heſychii Lexicon, gloſſa ἀπόθεσις, eiuſque interpretamento ἀπόδυσις, augeretur. Idem Gloſſarium huius grammatici exhibet gloſſam διέλθωμεν cum gloſſemate διαπεράσωμεν. Quam quidem gloſſam Dan. Heinſius [43] putabat ſumtam eſſe e loco commentario-

40. C. 1, 14.

41. Vid. Gataquerus ad Antonin. 10, 1. p. 288. a.

42. C. 2, 11.

43. exercitatt. ad Luc. 2, 15. p. 140.

tariorum Lucae [44] hoc, Διέλθωμεν δὴ ἕως Βηθλεέμ· ſed Albertius ſibi videbatur ſedem eius reperiſſe in verbis ſeptuaginta interpretum Geneſeos [45] iſtis, Διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. Neutram vero rationem valere poſſe, quod vtroque in loco de terreſtri, atque adeo pedeſtri, itinere ſermo eſſet, non de eo, quod per mare, aut fluuios, fieret, Erneſtius recte animaduertit, ita, vt ipſe coniiceret, domicilium gloſſae quaerendum eſſe in loco libri commentariorum de rebus regum Iudaeorum prioris hoc [46], Δεῦρο, καὶ διέλθωμεν — ἐπὶ πηγὰς τῶν ὑδάτων, καὶ ἐπὶ χειμάῤῥους. At quum vox διέλθωμεν ibi quoque ad iter terreſtre pertineat: eam facile apparet nec ad iſtum referri locum vllo modo poſſe. Nobis quidem fuit ſemper perſuaſiſſimum, atque etiamnunc eſt, auctorem gloſſematis reſpexiſſe ad locos Marci [47], et Lucae [48], hos, Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν, et, Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν τῆς λίμνης. Sunt enim verba Ieſu, qui, quum verſatus vſque adhuc fuiſſet prope Capernauma in litore occidentali Geneſarae, cohortabatur ſuos diſcipulos, vt ſecum traiicerent in orientalem lacus oram. Neque vero mouere quenquam inſolentia gloſſematis debet, quod multis videri poſſit verbis εἰς τὸ πέραν non ſatis accommodatum. Etenim vt in Gloſſariis Veteris Teſtamenti verba vnius interpretis non raro verbis caeterorum explicata extare nouimus: ita Noui quoque Teſtamenti Gloſſariorum conditores eam ſaepenumero ſequuti rationem inueniuntur, vt verba vnius Euangeliſtae,

44. C. 2, 15.
45. C. 4, 8.
46. C. 18, 5.
47. C. 4, 35.
48. C. 8, 22.

vnius Apoſtoli, interpretarentur verbis, quibus, vel eundem ſcriptorem aliis in locis, vel alios eodem in genere, vſos eſſe ſcirent. Iam vero Marcus ipſe pro διελθεῖν εἰς τὸ πέραν alio in loco [49] dixit διαπεράσαι εἰς τὸ πέραν, qua eadem formula ab interpretibus Deuteronomii [50] Alexandrinis redditam eſſe videmus formulam Hebraicam עֲבוֹר אֶל־עֵבֶר: quo in loco pro verbis εἰς τὸ πέραν in Symmachi reliquiis ἐξεναντίας legitur, ſicut ἐναντίον apud Marcum [51] extat in lectionibus Veleſianis. Sed ne modum forte libellus legitimum excedat: finem ſcribendi ita faciemus, vt gloſſae librorum Noui Teſtamenti huius generis aliae plures alio a nobis tempore, volente deo, proferantur.

IIII. Nunc enim patronis ampliſſimis, et grauiſſimis curatoribus, et fautoribus liberaliſſimis, rei Thomanae ea, qua par eſt, humanitate, atque pietate, ſignificandum duximus, alumnos ſcholae noſtrae publicos duo, optimae ſpei adoleſcentes, IOH. CAR. THEOPHILVM MANIVM, *Tauchauienſem*, et IOH. IRENOTHEVM LEHMANVM, *Dalenſem*, quorum hunc, propter conſtantiam modeſtiae rarae, neque mediocris literaturae antiquae, in primis Graecae, ſtudii, ſpectatam, praecipuo quodam ſemper amore complexi ſumus, ne tot, atque tanta, beneficia in indignos, et ingratos, collata eſſe viderentur, conſtituiſſe ante, quam diſciplinam relinquerent noſtram, omnibus fortunae ſuae, et ſalutis, adiuto-

49. C. 5, 21.
50. C. 30, 13.
51. C. 4, 35. Vulg. *tranſeamus contra.*

iutoribus gratias debitas publice agere, ita, vt facultatis quoque Latine dicendi ſuae, qualiſcunque eſſet, periculum facerent. Sed quum ordo academiae Lipſienſis ampliſſimus inſtituiſſet anno ſuperiore memoriam Ioh. Aug. Erneſtii, praeceptoris Germaniae communis, non tam voluntate filiae optimi patris amantiſſimae adductus, quam ſua ipſius pietate aduerſus manes viri de ſumma rei literariae omnis incredibiliter meriti excitatus, in auditorio ſuo oratione Latina renouandam curare: etſi ſchola Thomana animum erga rectorem nuper ſuum gratum cotannis ipſa eius emortuali die ita declarare, liberalitate filiae ſummi viri praeſtantiſſimae prouocata, ſoleret, vt virtutum eius innumerabilium ſane, excellentiſſimarumque, aliquam laudari ab diſcipulo quodam publico iuberet: tamen, quum haec pietas ſcholae, praeter magiſtros, et diſcipulos, fere nullos habere teſtes alios, ſpectatoreſque, ex ipſa virginis ſanctiſſimae voluntate, poſſet, ſperauimus, nos neutiquam violaturos eſſe manes filiae Erneſtii, ſi adoleſcentibus e diſciplina noſtra diſcedentibus, quorum nomina ſupra poſita ſunt, auctores extitiſſemus, vt oratiunculas, quibus laudes parentis immortalis priuatim, nobis praeſentibus, perſequi conati eſſent, eas publice, audientibus etiam aliis viris grauiſſimis, dicerent. Alter igitur eorum docere inſtituet, *quot, et quantis, meritis doctrina Erneſtii ſcholam ſibi Thomanam deuinxerit:* alter oſtendere ſtudebit, *quae, et quanta, ſimilitudo ſtudiorum, munerumque, Erneſtio interceſſerit cum Ioachimo Camerario.* Et quum vrbs noſtra etiam abundet iis diſciplinae, doctrinaeque, Erneſtianae, et alumnis, et admiratoribus, quorum auribus,

ribus, animiſque, nihil gratius, et iucundius, nihil ſuauius, et dulcius, nomine, et laude, Erneſtii accidere poſſe ſciamus: quid dubitemus, quin oratiunculae noſtrorum diſcipulorum nacturae ſint auditores, et quam plurimos, et quam maxime fauentes? Certe noſtrum collegium hanc eorum frequentiam, et fauorem, ponet in numero eorum beneficiorum, quibus tempore quoque, ac loco, reſpondere omni cultus, et obſeruantiae, genere debeat. Scripſimus Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. VIII Kal. Maias A. C. CIↃIↃCCLXXXVII

PROLV

PROLVSIO DVODETRICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN COPIIS GLOSSARII HESYCHIANI AD EXPLICANDAM N. T. ORATIONEM NON ADHIBITIS

Q. B. V

Instituimus nuper docere, quam parum consuluerit opera Lexicographorum Noui Testamenti studiis lectorum librorum diuinorum eo, quod ad patefaciendos, demonstrandosque, verborum Graecorum significatus reconditos, neque vulgares, Glossographorum veterum, Hesychii in primis, atque Suidae, auxiliis vti omiserint. Horum enim hominum in libris propositum extare ingentem quendam numerum glossarum, quae ex commentariis Euangelistarum, Apostolorumque epistolis, petitae sint, et ita propositum, vt adiuncta fere sibi ostentent eiusmodi glossemata, quibus nihil verius, et certius, nihil aptius, et accommodatius, nihil planius, et apertius, reperiatur, quis nescit? Et quanquam interpretes Lexici Hesychiani in locis, et sedibus, harum glossarum inuestigandis, atque indicandis, multum studii, et diligentiae, posue-

ſuerunt, in his Erneſtius maxime, vir clariſſimus: tamen, quum talis laboris, et operae, multiplex ſit, neque mediocris, moleſtia, quae vel acerrimam animaduerſionem facile debilitet, ac minuat, mirandum ſane non eſt, multarum iſtius generis gloſſarum domicilia praeterita eſſe a viris doctiſſimis, aliarum ſedes, et quaſi latibula, ab iiſdem eſſe ita demonſtrata, vt ea aliis in locis quaeri debere omnibus appareret. Quarum quidem vtriuſque generis gloſſarum exempla nonnulla ſuperiore in libello protulimus: quibus, vt promiſſa abſolueremus, alia nunc quaedam eiuſdem modi ita addere placuit, vt ordinis literarum rationem non haberemus, immo illa vti memoria calamo ſuggeſſiſſet, ita collocaremus.

II. Etenim in commentariis Matthaei, vbi Ieſus legitur propoſuiſſe, praeſentibus Apoſtolis, multitudini Iudaeorum ſimilitudinem de ſeminibus malis, quae ab inimico patris familias inter bona ſemina eſſent in agro ſparſa, et dictum, quod homines, non cibis, ſed vocibus, quas ipſa facta ſequerentur, abominabiles, atque deo inuiſos, reddi oſtenderet, ibi [1] diſcipuli a magiſtro referuntur interpretationem, et apophthegmatis illius, et collationis, priuatim, et remotis arbitris, ita petiiſſe, Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολήν, hoc eſt, *oſtende nobis, atque explica, vim, et ſententiam, ſimilitudinis, dicti.* Ex his autem Euangeliſtae locis ſumtam eſſe gloſſam, quae in Gloſſario Heſychiano poſita comparet, hanc, Φράσον· εἰπὲ, λέξον, ἑρμήνευσον, praeter alia, ipſa eius interpretamenta declarant, et in his vltimum

1. C. 13, 36. 15, 15.

timum maxime: quod ſane aeque elegans eſt, atque exquiſitum, aç gloſſema διασάφησον, quod in primo eorum codicum, quos Caryophilus inſpexerat, pro ipſa gloſſa φράσον ſubſtitutum [2] extitit, haud dubie ex Origenis [3] commentariis in Iohannis euangelium tranſlatum. Nam verbum φράζειν in Alexandrina quidem dialecto maxime, vt apud Homerum [4] verbum μυθεῖσθαι, hac fuiſſe poteſtate praeditum videtur, vt *docere*, *explanare*, *interpretari*, ſignificaret. Certe in verſione ſeptuagintauirali eius libri, cui nomen Iobi inſcriptum eſt, Hebraica verba הָבִין [5], et הוֹרוֹת [6], illo ipſo verbo Graeco explicata leguntur. Sed verbum הוֹרוֹת Symmachus eodem in libro [7] verbo διασαφεῖν interpretatus eſt, vt nomen διασάφησις in verſione Alexandrina Geneſeos [8] nomini פִּתְרוֹן reſpondere videmus. Et quum verbum διασαφῆσαι, etiam grammaticis antiquis auctoribus [9], idem, quod verbum ἑρμηνεῦσαι, valeat: quis

2. Matth. 13, 36.

3. Origenes ad Ioh. 4, 36. p. 235. D To. 2. Colon. verba Matth. 13, 36. ita laudat, Διασάφησον ἡμῖν τὴν παραβολὴν τῶν ζιζανίων τȣ̃ ἀγρȣ̃.

4. V. c. Odyſſ. β', 159. Ὄρνιθας γνῶναι, καὶ ἐναίσιμα μυθήσασθαι· quem ad locum pertinet gloſſa apud Heſychium haec, Μυθήσασθαι· διηγήσασθαι, διδάξαι.

5. Iob. 6, 24.

6. Iob. 12, 8.

7. Iob. 34, 32.

8. C. 40, 8. Nam quia codd. Vatic. et Alex. habent ἡ διασάφησις αὐτῶν· interpretes ipſi pro פִּתְרוֹנִים legiſſe videntur פִּתְרוֹנָם. Complutenſe exemplum legit ἡ διασάφησις αὐτȣ̃, h. e. פִּתְרוֹנוֹ v. 12.

9. Suidas, et ex eo Phavorinus: Διασαφῆσαι· ἑρμηνεῦσαι· quae gloſſa ſumta eſt e Deut. 1, 5.: vbi pro Hebr. בֵּאֵר οἱ ό habent διασαφῆσαι. Heſychius: Διεσάφησας· ἑρμήνευσας [f. ἡρμήνευσας]. Phauorinus: Διεσάφησαν· ἡρμήνευσαν· quo-

quis non intellegit, quam apte glossema ἑρμήνευσον glossae Φράσον consonet, ita, vt dubitari vix posse videatur, quin Matthaeus verbis Graecis, Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν, reddiderit Hebraica verba, הָבִין לָנוּ אֶת־הַמָּשָׁל, vel פְּתֹר לָנוּ אֶת־הַמָּשָׁל? Hanc vero interpretamenti ἑρμήνευσον elegantiam magis etiam loquitur verbum ܦܫܘܩ, quo interpres Syrus verbum Φράζειν explicauit. Etenim hoc idem verbum eiusdem librorum Noui Testamenti versionis auctor ad exprimenda verba Graeca διερμηνεύειν [10], ἐπιλύειν [11], et διανοίγειν [12], adhibuisse reperitur. Et quum Glossaria quoque Graecolatina, quae post Car. Labbaeum perpauci attigerunt, multis glossis, quarum sedes in libris Euangelistarum, et Apostolorum, quaerendae sint, ita aucta, atque ornata, esse sciamus, vt interpretamenta earum ipsa e versione Noui Testamenti Latina vetere, tanquam e fonte, hausta sint: qua quidem de re alio iam loco [13] studiosos harum literarum admonuimus: quum

quomodo etiam apud Hesychium legendum esse censebat Albertius, ita, vt glossa referri deberet ad Matth. 18, 31., vel ad 2. Macc. 1, 20.: me non assentiente, quum glossema sic a glossa discreparet. Nam διασαφεῖν in locis illis est simpliciter *narrare*, vt *explanare* apud Cic. 3. ep. 1, 2. Immo vero mihi libri Phauorini e libris Hesychii corrigendi esse videbantur.

10. Luc. 24, 27. 1. Corr. 12, 30. 14, 5. 13. 27.

11. Marc. 4, 34.

12. Luc. 24, 32. Act. 17, 3.

13. Prolus. 10, 3. 43. Exemplis ibi laudatis addi possunt haec: Ἀμὴν, *ἐπίῤῥημα*, *Adhuc*, e Matth. 15, 16.: Ἀσύνετος — *imprudens*, e Marc. 7, 18.: Διεςείλατο — *praecepit*, e Matth. 16, 20. Marc. 7, 36. 9, 9. coll. Matth. 17, 9.: Δουλαγωγῶ *In seruitutem redigo*, ex 1. Corr. 9, 27.: Ἐξετάζω — *interrogo*, ex Ioh. 21, 12.: Πυῤῥάζω *Rutilo*, e Matth. 16, 3.

quum vox Apostolorum, *Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολήν*, vtroque in loco Matthaei in versione commentariorum eius Latina verbis, *edissere nobis parabolam*, reddita legatur: consultores istorum Glossariorum attenti intellegent facile, vnde, et glossa *Φράσον*, et glossema *edissere*, in illa venerint. Sed in eodem Lexico Hesychiano extant etiam glossae hae, Ἔσχατον· ἐσώτατον. πρῶτον, τελευταῖον, ὕστερον, ὕστατον· et, Ὕστερον· ἧσσον, ἧττον, ἔσχατον· quarum quidem priorem cum quarto glossemate ad locos versionis Veteris Testamenti septuagintauiralis eos referendam esse arbitror, in quibus aduerbium ἔσχατον, et simpliciter [14], et sequente casu nominum θάνατος, et τελευτή, secundo [15], ita positum pro particulis Hebraicis אַחַר, et אַחֲרֵי, legitur, vt *postea*, et *post*, significet: sed posteriorem cum interpretamento secundo pertinere opinor ad eum euangelii Matthaei locum [16], vbi pater familias, qui vineam suam vinitoribus elocarat, quum servos ad conductores tempore vindemiae, qui decimas vuarum ab iis acciperent, frustra misisset, tandem eodem consilio filium vnicum ad eosdem misisse dicitur. Etenim satis constat, grammaticos veteres in componendis Glossariis hanc fere sequutos esse rationem, vt glossis, quibus, vel ab vno, eodemque, scriptore diuersis in locis, vel etiam a pluribus, non eandem, sed varias, subiectas esse notiones viderent, iis diuersa adderent interpretamenta, ita, vt, qui hisce istorum hominum libris recte vti velit, is, sedibus

14. Numerr. 31, 2.

15. Deut. 31. 27. 29. Vid. Keuchenius ad Matth. 22, 27.

16. C. 21, 37.

bus huiusmodi glossarum variis repertis, diligenter quaerere debeat, quod potissimum glossema in hunc, illumue, locum conueniat. Haec enim glossae, et glossematis, conuenientia esse certissima cuiusque talium glossarum domicilii index solet. Sed eorundem Glossariorum auctores, vt in glossis versionum Veteris Testamenti Graecarum laudandis sic versati sunt, vt verba vnius interpretis fere alterius verbis explicarint [17], ita in explanandis glossis librorum Noui Testamenti multis eam tenuere rationem, vt iis adiecerint verba, quibus, vel eundem Euangelistam, Apostolumue, aliis in locis, vel caeteros in locis similibus, eodem in genere vsos esse scirent [18]. Cuius quidem instituti caussam putamus repetendam

17. Vid. spec. clauis verss. Grr. V. T. p. 13. s. Proluss. de verss. Grr. V. T. p. 196. Proluss. in V. et N. T. locos 4, 5. p. 105. Exempla ibi proposita augeri possunt his. Hesychius: Ἔσκαζεν· ἐχώλαινεν, ex 1. Sam. 17. 39.: glossa est verbum Symmachi, glossema est verbum inc. interpretis, qui fuit haud dubie Theodotio. Hesychius: Κάκωσις· ταπείνωσις, ex 1. Sam. 1, 11.: glossema est vocabulum τῶν ό, glossa ipsa est vocabulum interpretis inc. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Ἀσύνετος· ἄφρων, ex Prouu. 30, 2.: glossa est nomen Aquilae, glossema debetur τοῖς ό. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Κατεπόθησαν· κατεποντίσθησαν. Glossam hanc putabam sumtam esse ex Ex. 15, 4.: vbi in vers. Alex. cod. Vatic. habet κατεπόθησαν, cod. Alex., aliique libri, legunt κατεπόντισεν. Scilicet οἱ ό scripsisse videntur, ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας κατεπόντισεν, quo responderet hoc incisum inciso superiori: sed alius interpres, nesciebam quis, cuius verba interpres Latinus expressit verbis *electi principes eius submersi sunt*, verbum Hebr. טֻבְּעוּ expressit verbo κατεπόθησαν. Itaque glossam Hesychianam ex hac ignoti interpretis versione petitam esse, sed glossema e verbis τῶν ό effictum, arbitrabamur.

18. Vid. Prolus. 27, 3.

dam esse ab salutari prouidentia, vt aliorum Novi Testamenti lectorum, ita doctorum ecclesiae maxime, qui orationem scriptorum diuinorum ita illustrare instituerint, vt, vel in marginibus codicum, vel inter paginarum versus, ad glossas ex aliis locis similibus adscripserint verba, quibus intellegentia earum adiuuari posse videretur. Iam vero quum pro verbis Matthaei, cuius locum supra laudauimus, ὕστερον δὲ ἀπέστειλε πρὸς αὐτοὺς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, in euangelio Marci [19], vbi eadem parabola a Iesu primoribus Iudaeorum proposita exponitur, legantur verba, ἔτι οὖν ἕνα υἱὸν ἔχων ἀγαπητὸν αὐτοῦ, ἀπέστειλε καὶ αὐτὸν πρὸς αὐτοὺς ἔσχατον· quis dubitet, quin ipsa quidem glossa ὕστερον, quam in Lexico Hesychiano extare ostendimus, ex euangelio Matthaei sumta sit, sed interpretamentum eius ἔσχατον illuc e Marci commentariis venerit? Certe hoc ipso modo nobis persuasissimum est natas esse vna cum glossematis suis glossas, quibus idem illud Glossarium ita instructum videmus, vt ex eo in Phauorini quoque Lexicon translatae conspiciantur, has, Πέριξ· κύκλῳ [20], et, Ἐπλήσθη· ἐγεμίσθη. Matthaeus enim, quo loco Iesum docentem facit, oecum regis, qui conuiuium celebrare in honorem filii instituisset, conuiuis fuisse completum, his vtitur verbis [21], καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος ἀνακειμένων· sed in Lucae commentariis, vbi pater familias

 milias

19. C. 12, 6.

20. Haec glossa cum glossemate in Phauorini Lexico ita repetita est, vt adiecta sint verba, ἐπίρρημα· πέριξ ἑλίξειν τὴν πόλιν, ἀντὶ τοῦ περιελίξειν, ἤγουν κυκλώσειν· haud dubie e Suidae Lexico, in quo tamen nunc glossa πέριξ simpliciter posita comparet, omissa adeo in exemplo Neocori.

21. C. 22, 10.

milias dicitur seruum abire in vias rusticas iussisse, vt conuiuas cogeret, quo ipsius triclinium iustam eorum copiam complecteretur, ibi [22] verba leguntur ista, ἵνα γεμισθῇ ὁ οἶκός μου. Vt igitur locum illum Matthaei facile apparet esse sedem glossae ἐπλήσθη· ita vix dubitari recte posse speramus, quin interpretamentum eius ab grammaticis sit ex hoc Lucae loco ita petitum, vt modum glossematis in glossae modum mutarint. Et quum *circumiacentia opida* a Luca [23] αἱ πέριξ πόλεις dicantur, sed *villae, et vici, circumsiti* a Marco [24] οἱ κύκλῳ ἀγροὶ, καὶ κῶμαι, nominentur: quis non coniectura ducatur ad suspicandum, sedem glossae πέριξ in actibus Apostolorum esse ita quaerendam, vt ipsum glossema Marco deberi existimetur? Quae quidem suspicio plane confirmatur eo, quod in Glossario librorum Noui Testamenti ab Ioh. Albertio e codice Fabriciano edito haec ipsa glossa cum eodem illo glossemate legitur [25]. Sed indicio obseruationis, quam supra proposuimus, de pluribus glossematis diuersis, vni glossae adiunctis, inuestigari putamus facile posse sedem glossae, quam Hesychianum Glossarium habet, ex quo eam Phauorinus in suum transtulit Lexicon, Καταλαβέσθαι· κατανοήσασθαι, φθάσασθαι, ἀφελέσθαι. Paulus enim, Apostolus, in epistola ad Christianos, qui Ephesi erant, vbi precatur, et optat, vt deus pro incredibili sua benignitate, virtutem eorum, meritorumque Christi fiduciam, magis, magisque, ita adaugere, et confirmare, velit, vt valeant perspicere, atque assequi, naturam, et

22. C. 14, 23.
23. Act. 5, 16.
24. C. 6, 36.
25. p. 66.

et magnitudinem, reconciliationis gratiae, atque pacis, ipsius, et barbarorum, beneficio Christi factae, ibi [26] verbis vsus legitur his, ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι σὺν πᾶσι τοῖς ἁγίοις, τί τὸ πλάτος, καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος. Haec autem orationis series quem non doceat, glossam καταλαβέσθαι ex hoc ipso Pauli loco ita sumtam esse, vt primum glossema κατανοήσασθαι, quod idem valeat, quod verbum καταμαθεῖν, quod legitur in scholiis, ab Matthaeio, viro carissimo mihi, et amicissimo, e codice Mosquensi primo editis [27], ad eam pertinere existimandum sit? Et quum non nesciamus, casus nominum obliquos, qui inueniantur in locis scriptorum veterum, ad quos Glossographi respexerint, saepenumero in rectos casus esse mutatos: vere videmur contendere posse, glossam, quam Hesychii nobis diligentia, vel potius eorum, qui Glossarium hominis alienis adaugere copiis instituere, seruauit, etiam ab Phauorino propagatam, hanc, Φραγμός· θριγκὸς, ἢ ὁ νόμος, ex euangelio Matthaei, et Marci, esse arcessitam. Vterque enim Euangelista iis in locis, quibus exposuere parabolam, quae patrem familias ostendit vineam a se consitam sepimento cinxisse, hanc sententiam expressit verbis, Φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε [28], et περιέθηκε φραγμὸν [29]. Iam satis constat, et ab doctissimo quoque nostrae maxime aetatis librorum sacrorum interprete, non traditur, verum inculcatur, omnibus eorum lectori-

 bus,

26. C. 3, 18.

27. Ad ep. ad Ephes. d. l. p. 180. Ἐξισχύσητε· διὰ τῆς ὑμῶν πίστεως καὶ ἀγάπης τῆς τοῦ πνεύματος ἀξιούμενοι χάριτος, δι' αὐτῆς δυνήσεσθε καταμαθεῖν τῆς οἰκονομίας τὸ μέγεθος.

28. Matth. 21, 33.

29. Marc. 12, 1.

bus [30], in explicandis similitudinibus esse ita versandum, vt partes earum tantum principes, et necessariae, hoc est, eae, spectentur, sine quibus ipsae parabolae esse non possint, reliquae adscitae, et arcessitae, praetereantur. Sed doctores ecclesiae veteris vt fuerunt fere huius praecepti verissimi sane, atque vtilissimi, sic immemores, vt in explanandis similitudinibus persequuti sint partes earum ad vnam omnes, etiam aduenticias: ita nec eius parabolae interpretationem, qua vinea, et ecclesia Iudaica, pater familias, atque deus, vinitores, et synedri magni, inter se conferuntur, ad eiusdem legis normam direxerunt, immo ornamenta huius collationis externa singula, turrim, lacum torcularium, sepem, quibus facile appareret significari omnino res ad tuendam, custodiendamque, ecclesiam Iudaicam necessarias, imagines totidem aliarum rerum esse iusserunt. Etenim turri quidem vineae templum Hierosolymitanum, et lacu altare, indicari putarunt, vt Origenes, Chrysostomus, Theophylactus: sed sepimentum, alii tutelae, praesidiique, diuini imaginem, vt Origenes [31], alii omnium legum, quibus cautum esset, ne Iudaei, atque barbari, commerciis miscerentur, indicem, esse voluerunt, vt Chrysostomus [32], eius-

30. Vid. Prolus. 19, 5.

31. ad Matth. 21, 33. p. 458. BC To. 1. Colon. Ὁ πρὸ ἡμῶν λαὸς καὶ μερὶς ὢν τοῦ θεοῦ ὁ φυτευθεὶς ἦν ἀμπελὼν ὑπὸ τοῦ κατὰ τὴν παραβολὴν οἰκοδεσπότου, καὶ ἡ τοῦ θεοῦ φρουρὰ περὶ αὐτὸν ὁ φραγμὸς ἦν· καὶ πύργος μὲν ὁ ναὸς, ληνὸς δὲ ὁ τόπος τῶν σπονδῶν.

32. homil. 69. in Matth. 21. p. 734. A To. 1. Francof. Ὅτε γὰρ ἐξ Αἰγύπτου ἐξῆλθον, καὶ νόμον ἔδωκε, καὶ θυσιαστήριον κατεσκεύασε, καὶ ναὸν ᾠκοδόμησε.

eiusque aemulator, Theophylactus [33]. Atque in hac ipsa sententia quis non videt fuisse eum, qui vocabulum *Φραγμὸς* verbis *θριγκὸς, ἢ ὁ νόμος* interpretatus est? et quis neget, ex adiectis verbis *ἢ ὁ νόμος* iudicari recte, atque collegi, posse, glossam illam esse e locis Matthaei, et Marci, supra laudatis petitam? Sed qui in conquirendis, et depromendis, glossis ad libros Noui Testamenti pertinentibus, quas Glossarium Hesychianum reconditas continet, recte, feliciterque, versari velit: eum vsus diuturnitas, animaduersionisque diligentia, nos docuerunt oportere varietatem lectionis codicum veterum studiose, et accurate, inspicere. Etenim qui Lexicon istud huius generis glossis ditauit, siue ipse Hesychius hoc, siue alii, fecerint, is sequutus interdum reperitur lectiones, quae, vel in perpaucis libris editis extant, sed quas tamen in permultis, iisque optimis, codicibus etiamnunc extare videmus, vel quae in nullo Noui Testamenti exemplo vulgato comparent, sed quas tamen vnus, et item alter, liber calamo scriptus seruauit. Et prioris quidem generis glossarum exemplum hoc est. Etenim in oratione, quam Petrus, Apostolus, Hierosolymis in porticu Salomonia ad Iudaeorum multitudinem habuit, leguntur nunc quidem in plerisque libris editis haec verba [34], *καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεκηρυγμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστόν·* sed pro *προκεκηρυγμένον* in codicibus spectatae fidei non paucis nouimus scriptum esse *προκεχειρισμένον*, e quo in codice Bodleiano secundo, librarii

33. ad Matth. d. l. p. 90. Rom. *Φραγμὸς δὲ ὁ νόμος, οὐκ ἐῶν αὐτοὺς ἐπιμιγῆναι τοῖς ἔθνεσιν, ἢ οἱ ἅγιοι ἄγγελοι, οἳ ἐφύλαττον τὸν Ἰσραήλ· ληνὸς τὰ θυσιαστήριον· πύργος ὁ ναός.*

34. Act. 3, 20.

brarii errore, et inſcitia, προκεχειρισμένον extitit. Atque hanc ipſam lectionem ſuo in codice inuenerat is, cui Heſychianum Gloſſarium placuit gloſſa προκεχειρισμένον ita adaugere, vt adiecerit gloſſemata προβεβλημένον, ἡτιμασμένον, non ἡτοιμασμένον, vt in exemplo Albertiano, Bilii, Voſſii, Ienſiique, auctoritate, ſed reclamante interpretamento altero, editum eſt: quaſi ὁ προκεχειρισμένος ὑμῖν Ἰησοῦς Χριστὸς idem eſſet, quod ὁ ἀποδεδοκιμασμένος ὑφ᾽ ὑμῶν Ἰησοῦς Χριστός [35]. Vt vero haec interpretamenta, et ab conſilio, atque mente, dicentis, eiuſque reliqua oratione, et ab ipſo verbi προχειρίζεσθαι ingenio, atque vſu, aliena eſſe videntur: ita nec gloſſema προκεκηρυγμένον, quod ab grammaticis gloſſae adſcriptum librarii pro ea in ordinem verborum intuliſſe putandi ſunt, ferri, ob easdem illas cauſſas, recte poteſt. Quae quidem omnia quum fugere non poſſent interpretes Noui Teſtamenti ſolertes: doctiſſimus eorum quiſque vere iudicauit ſemper, Lucam ipſum προκεχειρισμένον, neque προκεκηρυγμένον, ſcripſiſſe, ita, vt Bengelius nuper, et Griſbachius, etiam Matthaeius, vir clariſſimus, non dubitarint participium illud, quod multorum editorum temeritas ex ordine eieciſſet, illuc, pro ſapientia ſua, reſtituere. Etſi igitur vis gloſſae προκεχειρισμένον, quam Tertullianus omnium optime verbo Latino *praedeſignatum* explicauit [36], non ita patefacta cernitur in Lexico Heſychiano, vt oratio Petri poſſet ab lectoribus intellegi: tamen eam certum eſt e loco Lucae ſupra laudato eſſe petitam, neque adeo praetermitti ab editoribus

35. 1. Pe. 2, 4.

36. de reſurr. carnis c. 23. p. 255. To. 3. Seml.

ribus glossarum ad libros Noui Testamenti pertinentium debuisse. Sed alterius obseruationis, cuius rationem ostendimus haberi oportere ab iis, qui ex eodem Glossario eiusdem generis glossas collegere vellent, exemplum inuenitur in locis epistolarum Pauli ad Corinthios [37], et ad Timotheum [38], iis, quibus repetita est ab Apostolo lex Mosis, quae boues messem gressibus exterentes fiscellis capistrare vetat. Nam vtroque in loco libri editi omnes, et plerique scripti, legunt *Φιμώσεις*, quod verbum in exemplis omnibus versionis septuagintauiralis Deuteronomii [39] pro Hebraico verbo תַחְסֹם extat, sed in codice Cantabrigiensi Bezae prima manus, Vetstenio auctore, scripserat *κημώσεις*, quae est ipsa nonnullorum aliorum codicum in epistola ad Corinthios lectio. Atque hanc eorum scripturam, cuius origo haud dubie ab leuitate librariorum ducenda est, qui glossema in locum glossae substituerint, Cyrillus in Lexico nondum edito sequutus est, quod glossae *κημώσεις* glossema *Φημώσεις*, sic enim scripsit librarius, adiunctum, Albertio auctore [40], exhibet. Neque vero dubitandum vllo modo esse arbitramur, quin Hesychii quoque in Lexico, et pro *κήμωσις· Φίμωσις*, et pro *κίμωσις· Φίμωσις*, reponi *κημώσεις· Φιμώσεις* debeat, ita, vt sedes glossae in vtroque illo epistolarum Paulianarum loco, certe in alterutro, quaerenda iudicetur. Quanquam enim illam ipsam horum verborum scripturam prauam nec a Phauorino correctam esse videmus: tamen ista hominis neglegentia moueri nemo debet, vt in alia

 omnia

37. 1. Corr. 9, 9.

38. 1. Tim. 5, 18.

39. C. 25, 4.

40. in notis ad Glossar. N. T. Fabricianum p. 127.

omnia difcedat, quum etiam eius librarii manus, qui Gloffarium Noui Teftamenti ab Ioh. Albertio editum defcripfit, in reddenda eadem gloffa ita aberrarit, vt fcripferit κώμωσις· φήμωσις [41]. Sed locus, quem haec gloffa in ifto Gloffario habet, eam declarat effe ex epiftola ad Corinthios fumtam. id quod ipfum oftendit fedes gloffematis φιμώσεις, quod gloffa fua orbatum in Gloffario epiftolarum Apoftolicarum, a Matthaeio, viro clariffimo, e codice quodam Mofquenfi prolato [42], ita inuenitur, vt aeque vitiofe φίμωσις fcriptum fit. In numero autem earum gloffarum, quarum domicilia ab editore diligentiffimo partis Gloffarii Hefychiani eius, quae ad libros facros vtriufque aetatis fpectat, non ita indicata videmus, vt confultores ea reperire ftatim, et fine vllo erroris periculo, poffent, etiam gloffa διεξόδους ponenda eft, quae additum fibi interpretamentum habet hoc, ὅθεν ἐκπορεύονται. Iam in verfione hymnorum Dauidicorum feptuagintauirali verba διεξόδους ὑδάτων quater leguntur, ita quidem, vt bis [43] verbis Hebraicis פַּלְגֵי־מַיִם, bis [44] verbis מוֹצָאֵי מַיִם, refpondeant. Sed פַּלְגֵי־מַיִם quum ab Hebraeis dicantur *canales, per quos aquae decurrunt*, *aquarum riui*, quos interpres Latinus *decurfus aquarum* vocat [45], ita, vt διέξοδοι ὑδάτων idem fint, quod δίοδοι, fiue ὁδοὶ [46], vel ὀχετοὶ [47], ὑδάτων· fane in promtu eft, gloffam

41. v. Albertius d. l.

42. Lect. Mofquenff. p. 61. 79. f. Vol. 2.

43. Pf. 1, 3. 119, 136.

44. Pf. 107, 33. 35. add. 2. Regg. 2, 21.

45. Pf. 1, 3. Vnde Gloff. vett. Διέξοδος *Decurfus*.

46. Vid. Loefnerus V. C. obferuatt. Philonn. ad Matth. 22, 9.

47. Vid. Plato Phaedon. 60.

ſam διεξόδες referri ad prioris generis locos carminum Dauidicorum neutiquam poſſe. Etſi autem ſedes eius nonnullis quaerendae viſae ſunt in locis poſterioris generis eorundem carminum, quod מוֹצָאֵי מַיִם, atque adeo διέξοδοι ὑδάτων, eſſent *loca, vnde ſcaturigines emicant*, ita, vt διέξοδοι non differrent ab ἐξόδοις, et vero etiam gloſſa διεξόδες, et gloſſema ὅθεν ἐκπορεύονται, aptiſſima inter ſe eſſent, atque conuenientiſſima: tamen hanc doctiſſimorum hominum ſententiam, in qua an Phauorinus [48] iam fuerit, non ſatis appa-

60. et Suidas v. διεξόδες ὑδάτων. Etenim quae Macrobius de differentt. Graeci et Latini verbi p. 651. Gron. de poteſtate praepoſitionum in verbis compoſitis apud Graecos praecipit, *Memineris*, inquiens, *nullam fere inveniri apud Latinos praepoſitionem, quae nihil addat ſenſui, ſicut apud Graecos ſaepe praepoſitio nullam ſenſus facit permutationem*: ea pertinent maxime ad verba e duabus praepoſitionibus compoſita. In his enim verbis, modo vtraque praepoſitio, modo alterutra, nunc prior, nunc poſterior, vi omni caret. Exempla cuiuſque generis proferentur a nobis, deo volente, in noua animaduerſionum ad Velleri grammaticam editione. Sic τὴν διέξοδον ἀσφαλέα παρασχεῖν ap. Herodo. 3, 4. eſt *tranſitum tutum dare*: ſed αἱ διέξοδοι τῶν βελευμάτων apud eundem 3, 156. et 7, 234. ſunt *viae, et rationes, conſiliorum.*

48. Apud Suidam in Mediolanenſi quidem exemplo leguntur haec verba, Διεξῄεσαν. Διέξοδον· διεξέλευσιν· vt gloſſa διέξοδον petita videri poſſit e verſ. ſeptuagintauirali 2. Regg. 2, 21.: ſed Aldina editio habet, Διεξῄεσαν· δίεξιν. Διέξοδον· διεξέλευσιν· quam lectionem retinuit Hier. Frobenius: ſed Neocoro edere placuit, Διεξῄεσαν. Δίεξιν· διέξοδον, διεξέλευσιν. Certe verbum διέσχε ſic legitur ap. Hom. Il. ε, 100. υ, 416., et Heſychius cum ſcholiaſta minore illud interpretatus eſt verbo διῆλθε. Sed Phauorinus, ſcripturam exempli Mediolanenſis ſequutus, in Lexicon ſuum tranſtulit gloſſam διέξο-

apparet, vix probari posse putamus iis, qui cogitauerint, grammaticum, si glossam ex illis Psalmorum locis petiisset, eam non simpliciter verbis ὅθεν ἐκπορεύονται interpretaturum fuisse, immo, vt docilitatem lectorum opera sua adiuvaret, iis nomen ὕδατα adiecturum, quum posteriorum temporum Graecos constet verba pluralia iussisse nomina neutrius generis eiusdem numeri comitari, aut certe glossae partem eius alteram ὑδάτων adiuncturum. Itaque glossam, cuius de sede quaerimus, arbitramur cum Sopingio pertinere ad locum commentariorum Matthaei eum, quo rex, cuius epulis conuiuae vocati interesse noluissent, legitur [49] hac istorum peruersitate concitatus seruos vocatores, qui pro iis alios ad coenam inuitarent, exire iussisse ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν. Sed verba διέξοδοι ὁδῶν quum in libris Noui Testamenti non legantur, nisi illo loco; quum, neque in septuagintauirali, aliisue Veteris Testamenti versionibus, neque in libris ipsorum Graecitatis auctorum, vspiam coniuncta inueniantur: opiniones recentiorum interpretum de eorum potestate varias esse, atque inter se dissidentes, quis miretur? Nam Beza quidem, vir summus, qui facultate interpretandi libros Euangelistarum, Apostolorumque, tantopere praestitit, vt etiam nostra aetate perpauci, qui pares ei hoc in genere poni recte possint, in omnibus ciuitatibus humanis numerentur, verbis illis significari putabat *compita viarum*, sed *compita* a Latinis vocari credebat laxiora in vrbibus

ξοδον cum glossemate διεξέλευσιν, sed ita, vt huic addiderit glossemata ἐκπνοὴν, ἔκβασιν ex eodem Suida v. διέξοδοι, et verba ὅθεν ἐκπορεύονται ex Hesychio.

49. C. 22, 9.

bus spatia, in quae vici plures exirent, hoc est, desinerent. At primum *compita*, id est, auctore Seruio [50], quadriuia, ita dicta ab eo, quod multae viae in vnam confluant, διέξοδοι appellantur [51], non διέξοδοι ὁδῶν· deinde Matthaeum paulo post videbimus de viis rusticis, non vrbicis, loqui: denique scribi ab Euangelista tum, vt opinor, non ἐπὶ τὰς διεξόδους, sed εἰς τὰς διεξόδους, debuisset. Iisdemque de caussis Grotii, omnium Noui Testamenti interpretum nostrae memoriae ducis, sententia, qui verba illa Matthaei de *viis extra vrbem ducentibus*, quae in oraculis Ezechielis [52] הַוֹּצְאוֹת הָעִיר, et ab interpretibus eorum Graecis, Aquila, Symmacho, Theodotione, διέξοδοι, dicerentur, accipienda esse censuit, eo minus ferri potest, quo apertius est, alias esse τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, alias הַוֹּצְאוֹת הָעִיר, et Graecos illos interpretes vocabulo διέξοδοι, vt septuaginta nomine διεκβολαὶ, tantum verbum הוֹצְאוֹת reddidisse. Denique ratio, quam Ioh. Boisius, cuius collatio veteris interpretis cum Beza, aliisque recentioribus, copiis grauis doctrinae idoneis abundat, in explicando illo Matthaei loco sequutus est, quum coniectoris potius acumen, et solertiam, quam interpretis doctrinam, et grauitatem, redoleat, vix digna esse, quae attingatur, videtur. Nam αἱ διέξοδοι τῶν ὁδῶν, per vsum loquendi Graecorum, non magis possunt esse *viae maxime celebres*, quam διέξοδοι ὑδάτων *loca irrigua, et aquosa*, per quae aqua indesinenter decurrat. Scilicet persuasissimum nobis etiamnunc est, verba illa esse ab Euangelista ita posita,

50. ad Virgil. Georgg. 2, *Decursus*, *compitus*. 382.

51. Gloss. vett. Διέξοδος

52. C. 48, 30.

posita, vt *exitus viarum rusticarum* significarentur. Etenim ab Luca videmus in illa ipsa parabola τὰς ὁδοὺς, הַדְּרָכִים, diserte distingui [53] ab ταῖς πλατείαις, καὶ ῥύμαις τῆς πόλεως, רְחֹבוֹת וְשׁוּקֵי הָעִיר, iisque subiungi τοὺς φραγμοὺς, ita, vt τὰς ὁδοὺς esse necesse sit *vias*, non vrbicas, verum *rusticas*, quae sint imagines agrorum ciuitatum barbararum, ad quas deus, impia Iudaeorum contumacia commotus, Apostolos, post reditum Iesu in caelum, ita missurus erat, vt omnes iis partes, atque capita, doctrinae Christianae exponerent, atque traderent. Et quis dubitare sustineat, quin Matthaeus vocabulo διέξοδοι expresserit cum Alexandrinis alterius Testamenti interpretibus nomen Hebraicum תּוֹצָאוֹת, ita, vt *αἱ διέξοδοι τῶν ὁδῶν* essent *αἱ ἔξοδοι* [54] *τῶν ὁδῶν*, *exitus viarum rusticarum*, qui iidem intellegerentur esse earum aditus? Sic vero apparere omnibus posse speramus, primum cur Euangelista ἐπὶ τὰς διεξόδους, neque εἰς τὰς διεξόδους, scripserit; deinde cur rex, qui oecum conuiuis compleri vellet suum, seruos prodire iusserit potissimum ad exitus viarum rusticarum; denique cur serui, regis mandata exequuturi, exiisse dicantur εἰς τὰς ὁδοὺς [55]. Neque parum sane ponderis huic verborum Matthaei interpretationi addit auctoritas versionum veterum, quarum auctores ipsi quoque viderunt, verbis illis exitus viarum significari. Nam Latinus quidem interpres verba ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν explicauit verbis *ad exitus viarum*, quae in versione Hebraica a Munstero edita verbis אֶל־תּוֹצְאוֹת הַדְּרָכִים expressa leguntur, sed interpreti Syro

53. C. 14, 21. 23.

54. Sic nomina διέκροος, et ἔκροος, sunt vocabula idem declarantia ap. Herodo. 7, 129.

55. Matth. 22, 10.

Syro pro iisdem verbis Graecis vti visum est verbis ܠܡܦܩܢܐ ܕܐܘܪܚܬܐ. Neque vero aliter glossam διεξόδους intellexisse videtur auctor glossematis ὅθεν ἐκπορεύονται. Haec enim verba, ex forma loquendi Graecorum admodum vsitata [56], quae tamen haud dubie, vt aliae plures, ex oriente in Graeciam venit, hanc habere vim putamus, vt significent *loca*, *vnde exitur*, hoc est, *exitus*, ita, vt Sopingium acute coniecisse credamus, qui glossam διεξόδους, quae in Lexico Hesychiano est, ad illum Matthaei locum referendam esse viderit. Sed haec hactenus.

III. Nos enim, collegae amantissimi, cras, hora quinta vespertina, in auditorio scholae nostrae classico, ex instituto maiorum praeclaro, ita conueniemus vna cum discipulis nostris, vt deo O. M. gratias agamus debitas pro incredibili benignitate, qua rationes nostras, atque commoda, etiam hoc anno, cuius finem, et terminum, salui, laetique, attigimus, tanto opere complexus est, vt, non modo patronos ludi nostri amplissimos, et curatores grauissimos, et fautores liberalissimos omnes, omnis generis bonis ornarit, atque auxerit, sed nostram quoque disciplinam alumnis eius non inutilem, neque infructuosam, esse iusserit. Huius autem pietatis nostrae interpretis partes dedimus aduiescenti spei optimae, et auditori classico, IOH. CHRISTI. PILACHIO, *Vurcenensi*: qui, *quam necessaria sit, atque vtilis, otii, et quietis, legitimae vsura adulescentibus literarum studiosis*, Latina oratiun-

56. Vid. Georgius vindicc. N. T. ab Hebraismis p. 246. ss.

tiuncula ita docebit, vt etiam diligenter cohortetur condiſcipulos ad ſtudium huius temporis in cognoſcenda rerum bonarum, publiceque, et priuatim, vtilium, natura recte collocandi. His igitur cohortationibus commilitonis veſtri parebitis poſthac, diſcipuli cariſſimi, ita, vt certetis inter vos, atque contendatis, ſtudio ſapientiae, et probitatis, in primiſque pietatis aduerſus deum, aduerſus magiſtros veſtros, aduerſus reliquos fortunae veſtrae auctores omnes, quam, non tam verbis, et oratione, ſignificetis, quam re ipſa, et factis, declaretis. Sic enim, non ſperare, ſed confidere, poteritis, curſum vitae, et ſtudiorum veſtrorum, fore etiam proximo anno omni ex parte longe ſecundiſſimum, atque fauſtiſſimum. Scripſi Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. III. Kal. Ianuarias A. C. CIƆIƆCCLXXXVIII

PROLV

PROLVSIO VNDETRICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN COPIIS LEXICI SVIDAE AD EXPLICANDAM N. T. ORATIONEM NON ADHIBITIS

Q. B. V

Quum experti nossemus ipsi, quam vtilis esse posset vsura Glossarii Hesychiani recta, et solers, iis, qui in legendis libris Noui Testamenti accurate versari, atque ita, vellent, vt orationem Euangelistarum, Apostolorumque, non leuiter attingerent, sed naturam eius, atque ingenium, penitus cognoscerent; vt adulescentium liberalium animi, perspectis his tot, tantisque, illius Lexici bonis, mature incenderentur cupiditate, et studio, eius inspiciendi, atque consulendi: libellis superioribus duobus exempla nonnulla glossarum Hesychianarum, quas, vel ex Euangelistarum commentariis, vel ex Apostolorum epistolis, petitas esse sciremus, sed quarum sedes ab editoribus, et interpretibus, aut omnino non indicatas esse videremus, aut certe non ita, vt reperiri ab consultoribus recte possent, complexi sic sumus, vt de ipsorum glos-

ſematum veritate, atque elegantia, paulo diligentius quaeſiuerimus. Iam vero vt haec de magna Gloſſariorum veterum hoc in genere vtilitate diſputatio, ex inſtituto noſtro [1], perfecta, et abſoluta, reperiretur: faciundum exiſtimauimus, vt etiam e Suidae Lexico pauca quaedam eiuſdem modi gloſſarum exempla depromeremus. Etſi enim hoc in Gloſſario gloſſae Noui Teſtamenti nonnullae ſimpliciter, et ſine vllis interpretamentis, poſitae nunc quidem comparent; etſi quaedam earum in eo perperam explicatae leguntur; etſi magnus gloſſematum numerus illuc ab auctore e libris doctorum eccleſiae veteris, Chryſoſtomi maxime, ac Theodoreti, tranſlatus cernitur: tamen nec ſic vllo dubitari modo recte poſſe putamus, quin defuerit ſtudiis lectorum Noui Teſtamenti diligentium opera Lexicographorum recentiorum, qui in componendis, inſtruendiſque, Lexicis nullam habuerint ornamentorum Gloſſarii Suidae rationem. Etenim gloſſae vel ſine comitibus, qui poteſtatis earum indices ſint [2], excitare animaduerſionem lectoris cupidi poſſunt, vt de forma earum, atque vſu, etiam ſignificatu, vel rariſſimo, vel inſolenti, eo prius, et ſtudioſius, quaerat: notatio autem, et reprehenſio, errorum Suidae conſultores Lexici eius reddere ita cautos, atque diligentes, poteſt, vt praecepta grammaticorum veterum nec aliis in generibus ſequantur ante, et probent, quam veritatem eorum, atque grauitatem, omnino, vel ſponte, vel aliorum doctrina adiuti, inueſtigarint, ponderarintque: cognitio denique

1. Vid. Proluſ. 27, 2.

2. Vid. Lamb. Boſius anim. aduerſſ. ad ſcriptt. Graecos c. 42. p. 171. ſſ.

nique fontium, e quibus Suidas glossemata hauserit, impellere studiosos bonarum literarum potest, vt ipsi adire eos, sitimque cupiditatis sedare, instituant. Quae quidem omnia quot, quantosque, fructus afferre lectoribus librorum Noui Testamenti liberalibus omnibus possint, quis non intellegit? Sed, age, ad propositum veniamus.

II. In Matthaei enim commentariis, vbi Iesus Pharisaeis, atque Sadducaeis, qui potentiam ipsius tentare ausi essent, exprobrasse legitur insignem, singularemque, leuitatem, atque impietatem, quod e signis caeli, et aëris, vulgaribus, et leuibus, praedicere se posse putarent, bona futura esset tempestas, an mala; sed ex portentis inuisitatis, quae ab ipso cotidie fierent, diuinae potentiae argumentis grauissimis, neque vellent, pro noua sua, incredibilique, contumacia, neque possent, intellegere, ipsum esse Messian, dei filium, ibi [3] extant haec verba, πυῤῥάζει ὁ ȣ̓ρανός· quae interpres Latinus verbis, *rubicundum est caelum*, et, *rutilat caelum*, reddidit. Haec autem ipsa verba Suidas, et cum eo Phauorinus, sua in Lexica ita transtulere, vt glossae πυῤῥάζει nullum glossema adiecerint. Quod quidem ab iis non vnam ob caussam factum esse, facile apparet. Etenim quum ab scriptoribus Graecis ipsis sic posita esse scirent verba πυῤῥιᾷν, et πυῤῥίζειν· primum ipsius formae verbi πυῤῥάζειν nouitatem, atque insolentiam, notandam censuisse videntur: quae sane tanta est, vt vehementer dubitari possit, an verbo isto vnquam vllus scriptor alius, praeter Matthaeum,

 vsus

3. C. 16, 2. s.

vſus inueniatur. Certe, neque Pollux hanc eius formam, neque grammatici veteres alii, attigerunt: et ſi Stephano, atque Scoto, theſauri Stephaniani locupletatori, hoc ipſum verbum vſpiam occurriſſet, quis putet, eos illud fuiſſe in Lexicis ſuis praetermiſſuros? Nos quidem primam praeſentis iſtius verbi perſonam in ſolis Gloſſariis Graecolatinis, quae, poſt Stephanum, et Vulcanium, ab Car. Labbaeo illuſtrata ſunt, notatam, ſed ex illis ipſis Matthaei locis, id quod gloſſema *rutilo*, ex interpretatione commentariorum eius Latina vetere ſumtum, facile doceat [4], reperimus. Aldus vero Manutius, cuius in Dictionario Graeco Venetiis edito [5] haec leguntur, Πυῤῥάζω. Μ. *άσω*. Π. *ακα Rutilo: Neutrum abſolutum*, ex iiſdem iſta fontibus, an ex aliis, hauſiſſet, ignorabamus. Deinde Suidas, et Phauorinus, ab lectoribus Noui Teſtamenti etiam poteſtatem verbi *πυῤῥάζειν*, atque vſum, obſeruari, et ſpectari, iuſſerunt. Namque *τὸν ὐρανὸν* eſſe *nubes* [6], *aërem*, cum per ſe apertum eſt, tum gloſſema *ἀὴρ*, non *ἀνὴρ*, vt in exemplo Milliano, cura Neocori repetito, et aucto, operarum neglegentia, editum legitur, quod codex Cantabrigienſis Bezae in poſteriore Matthaei loco pro gloſſa *ὐρανὸς* ſubſtitutum exhibet, declarat: et verbum *πυῤῥάζειν*, quod proprie, vt omnia huius generis, et formae, verba, actiuum eſt, atque adeo verbo Hebraico הֶאְדִּים, et Syriaco ܡܣܡܩ, reſpondet, ab Euangeliſta ita vſurpatum apparet, vt vim medii ha-

4. Vid. Proluſ. 28, 2. 12.
5. A. C. MIIID. form. mai.
6. Vid. Plin. H N. 18, 35. Gron. 78. Hard.

habeat, hoc eſt, poteſtatem notioni verbi Hebraeorum אֱדוֹם, vel הִתְאַדֵּם, quod eſt in verſione a Munſtero edita, et verbi Chaldaeorum, ac Syrorum, מְסַמֵּק, quo interpres Syrus vſus eſt, parem: quomodo nomen אֲדַמְדָּם in libro Moſis tertio [7] Alexandrinis Iudaeis participio verborum πυῤῥίζειν, et ὑποπυῤῥίζειν, atque Onqueloſo nominibus סַמֵּק, et סָמוֹק, explicare placuit. Hoc igitur conſilio, quum dubitari non poſſit, quin Suidas, et Phauorinus, Gloſſaria ſua gloſſa, πυῤῥάζει ὁ οὐρανὸς, adauxerint [8]: ſi de hac ſalutari iſtorum grammaticorum prouidentia, et diligentia, ita, vt par erat, cogitaſſent conditores Lexicorum Noui Teſtamenti, aliique viri docti: ſane gloſſam illam, neque praetermiſiſſent ſuis in libris, neque numero gloſſarum e voluminibus Noui Teſtamenti petitarum exemiſſent, immo multa diſputaſſent de forma, et ſignificatu, et vſu, verbi πυῤῥάζειν, quibus exſpectationi lectorum liberalium magis ſatiſfactum eſſet, quam verbis *rubere*, et *rubeſcere*, ſimpliciter adiectis.

7. C. 13, 19. 24. 42. 43. 49. 14, 37.

8. Sic in Lexico Suidae legitur gloſſa, Μελισσείου κηρίου, e Luc. 24, 42. ſumta, ſine vllo interpretamento. Nam ita interpungi debet, exempli Mediolanenſis auctoritate: in Ald. pars gloſſae μελισσείου inciſi nota, et in Baſil. puncti ſigno, ab altera parte κηρίου perperam diremta eſt, ita, vt mirer, Neocorum in exemplo ſuo retinuiſſe interpunctionem libri Baſileenſis. Scilicet manifeſtum eſt, Suidam notare voluiſſe inſolentiam formae adiectiui μελισσείου, vel, vt in libris editis N. T., et in multis eius codicibus, ſcriptum eſt, μελισσίου, ducti a nomine μέλι. Nam μελίσσειον κηρίον eſt *fauus mellis*, vt vocatur ab interprete Latino vetere: quem οἱ ὁ 1. Sam. 14, 27. nominant τὸ κηρίον τοῦ μέλιτος, quae ſunt verba Hebrr. יַעְרַת הַדְּבַשׁ.

Neque vero aliam ob caussam idem ille Suidas verba, Ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, e commentariis Matthaei [9], Marci [10], et Lucae [11], suum in Lexicon transtulit, quam vt formam temporis ἀφέωνται, vt raram, neque vulgarem, notaret, quae ab linguae Graecae studiosis esset diligenter obseruanda. Vocat illud αὐθυπότακτον, hoc est, aoristum secundum modi subiunctiui. Etenim ab caeteris quoque grammaticis, velut ab auctore Etymologici magni [12], et Eustathio in commentariis in Homeri Iliada [13], verba modi subiunctiui, eaque vtriusque aoristi, αὐθυπότακτα ῥήματα, et absolute αὐθυπότακτα, non ἀνθυπότακτα, vt in exemplo commentariorum Budaei Ascensiano, operarum incuria, scriptum legitur [14], appellantur. Iam etsi etiam Eustathius in ea fuit opinione, vt putaret [15], ἀφέωνται pro ἀφῶνται ita dictum esse, vt ἀφέῃ apud Homerum pro ἀφῇ legeretur: Herodianus tamen, atque Etymologici magni conditor [16], praecipiunt, vt ἀφέω-

9. C. 9, 2. 5.

10. C. 2, 5. 9.

11. C. 5, 20. 23. 7, 47. f.

12. v. εἴρω τὸ ἐρωτῶ p. 304. Sylb.: Τοῦ εἴρω τὸ ὑποτακτικὸν, Ἐὰν ἔρω, οὐκ ἔστιν ἐν χρήσει· τὸ παθητικὸν, Ἐὰν ἔρωμαι, ἐὰν ἔρῃ, ἐὰν ἔρηται, ἐν χρήσει καὶ αὐθυπότακτον, Εἴ τίς σε ἔρηται.

13. ad ῥαψ. ξ', 255. p. 983. 41. Rom.: Εἶτα ῥητέον καὶ ὅτι τὸ ἐνέγκω οὐκ ἔστιν ἐνεστῶς, ἀλλ' αὐθυπότακτον ῥῆμα· τὰ δὲ αὐθυπότακτα χρόνου ἀορίστου εἰσὶν, ἢ πρώτου, ἢ δευτέρου· ὥσπερ καὶ τὸ ἐνέγκω δεύτερος ἀόριστός ἐστι· et ad ῥαψ. ή, 337. p. 684. 18.: Τὸ δὲ δείμομεν αὐθυπότακτον μέν ἐστι παρὰ τοῖς ὕστερον, χρόνου ἀορίστου πρώτου ἐνεργητικοῦ.

14. p. 814. f.

15. ad Il. π', 590. pag. 1077. 7.: Ὥσπερ δὲ ἐν τῷ ἀφέῃ, οὕτω καὶ ἐν τῷ ἀφέωνται, πλεονάζει τὸ ε.

16. v. ἀφέωκα p. 176.: sed pro ἀφῆκα ibi legendum vi-

ἀφέωκα pro ἀφέηκα, vel ἀφεῖκα, vſurpetur, ſic ἀφέωνται quoque pro ἀφέηνται, vel ἀφεῖνται, poni. Atque haec ratio omnes veritatis notas ita impreſſas ſibi oſtentare videtur, vt eam in explicandis verbis Euangeliſtarum ſupra laudatis vnice ſequendam eſſe arbitremur. Quomodo enim tandem homo ille aegrotus, qui reſolutione neruorum laborabat, cuius animum afflictum, ſed fiducia auxilii diuini plenum, Ieſus voce, Θάρσει, τέκνον, tanquam adminiculo, erigere, et confirmare, ſtuduit [17], bono eſſe, atque otioſo, animo poterat, niſi accepiſſet ab ſeruatore, condonata ſibi ab eo eſſe peccata? quomodo tandem iureconſulti Iudaeorum, iidemque Phariſaei, criminari poterant [18], Ieſum violaſſe, atque minuiſſe, maieſtatem dei, quod vindicaſſet ſibi id, quod tantum a deo fieri poſſet, niſi ipſe, iis audientibus, oſtendiſſet, ſe dediſſe homini veniam omnium delictorum? Nonne Ieſus eam mulierculam, quae ipſos duodecim annos in menſtruis fuiſſe, et pallium auerſi attigiſſe, perhibetur, quod ſibi perſuaſiſſet, ſe ſic eſſe e morbo ſine vlla mora, et confeſtim, conualituram, ſecuritatem, atque laetitiam, ſuſcipere ita iuſſit, vt vocem addiderit [19] hanc, Ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, hoc eſt, *fiducia mei tua ſanauit te*, fecit, vt curſus menſtrui ſiſterentur? Et apud Iohannem in prima epiſtola [20] haec leguntur verba, Γράφω ὑμῖν, τεκνία, ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν αἱ ἁμαρτίαι διὰ τὸ ὄνομα

αὐτοῦ.

videtur ἀφέηκα. Phauorinus, qui verba Etymol. M. deſcripſit v. ἀφέωκα, et v. ἀφέωνται, dedit ἀφεῖκα.

17. Matth. 9, 2. add. Marc. 2, 5. Luc. 5, 20. 7, 47. ſ.

18. Matth. 9, 3. Marc. 2, 6. ſ. Luc. 5, 21.

19. Matth. 9, 22. add. Luc. 7, 50.

20. C. 2, 12.

αὐτῦ. Tali autem in orationis ſerie ἀφέωνται eſſe praeteritum indicatiui, non aoriſtum ſecundum coniunctiui, et per ſe patet omnibus, et compoſitio verborum, qua deinceps [21] vſus eſt idem Apoſtolus, ita docet, vt dubitari nullo modo poſſit. Sed ex quanam dialecto forma illa praeteriti profecta ſit in Macedonicam, atque communem, non aeque certum, expeditumque, eſſe videtur. Etenim ab Etymologici magni auctore [22], atque aliis [23], eam Atticorum linguae attribui videmus, ſed Dorum ſermoni ab Suida [24]. Quam quidem grammaticorum veterum diſſenſionem, aut ita componi recte poſſe credebamus, vt loca verborum Δώριον, ſiue Δωρικὸν, et τὸ Ἀττικὸν, in libris Suidae immutata a librariis eſſe dicerentur, vel Suidas ipſe exiſtimaretur ſtuiſſe ſe ab eo grammatico, cuius doctrinae obſeruationem illam deberet, falli, et decipi, aut ſic, vt Attici recentiores, praeter formas praeteriti actiui ἀφεῖκα, et paſſiui ἀφεῖμαι, etiam formas eorum ἀφέωκα, et ἀφέωμαι, Doricas, vt plures huius generis formas vocabulorum alias [25], in

21. C. 2, 13. f.

22. v. ἀφέωκα p. 176.

23. Vid. Metarius de Graecae linguae dialectis p. 51. Reit.

24. Suidas: Ἀφέωκα, Δωρικόν. ἀφεῖκα δὲ τὸ Ἀττικόν, Κέχρηνται δὲ καὶ Ἴωνες, ὡς Ἡρόδοτος· et: Ἀφεῖκα, τὸ Ἀττικόν· τὸ δὲ ἀφέωκα, Δώριον. Κέχρηνται δὲ καὶ Ἴωνες, ὡς Ἡρόδοτος. Atque hanc poſteriorem gloſſam, ſed omiſſis verbis κέχρηνται — Ἡρόδοτος, in Lexicon ſuum tranſtulit Phauorinus.

25. V. e. ῥιγῶν, pro ῥιγῦν, ap. Ariſtoph. Veſpp. 444. et Auu. 936.: vbi v. ſchol.: τόλμα, pro τόλμη, ap. Xen. Cyrop. 7, 5. 26.: v. Euſtathius ad Odyſ. λ' p. 1687. 18. Rom.: ἑξόμεσθα, et ὠσιζόμεσθα, ap. Ariſtoph. Plut. 101. 330., pro ἑξόμεθα, et ὠσιζόμεθα· v. Gregorius de dialectis pag. 77. Koen.

in linguam ſuam, tanquam in ciuitatem, recepiſſe iudicarentur, qua lingua extincta figurae illae temporis praeteriti, de quibus quaerimus, in Macedonicam nouam, et communem, dialectum tranſiiſſent. Itaque ſatis intellegi poſſe ſperamus, neque eas gloſſas Noui Teſtamenti, quae ſine vllis interpretamentis in Lexico Suidae leguntur, ab recentioribus Lexicographis praeteriri debuiſſe, quod anſam praeceptionis dare ipſis potuiſſent, qua ingenii orationis librorum ſacrorum cognitio non parum adiuuaretur. Multo vero minus in gloſſis Lexici eiuſdem hominis ad Nouum Teſtamentum pertinentibus praetermitti debebant illae, quae adiuncta ſibi gloſſemata habent, ſiue ex ipſis libris diuinis, ſiue aliunde, petita. Vtriuſque generis gloſſarum exempla proferre nunc quidem viſum eſt iſta. Prima eſt haec, Βάρ· ὁ υἱός· ὡς τὸ Βὰρ Ἰωνᾶ· quae verba conſtat in Matthaei euangelio [26] legi, et ab ipſo Iohanne [27] verbis ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ explicata eſſe, ita tamen, vt hic ipſe Euangeliſta, in tribus commentariorum locis [28], etiam ſimpliciter, nomine Βὰρ non reddito, ſcripſerit Σίμων Ἰωνᾶ. Neque ſane aliter verba Βὰρ Ἰωνᾶ interpretati reperiuntur doctores eccleſiae veteris, velut Epiphanius [29], Chryſoſtomus [30], Theophylactus [31], qui nomen בַּר in lingua Chaldaeorum,

 atque

26. C. 16, 17.

27. C. 1, 43.

28. C. 21, 15. 16. 17.

29. Ancyrot. p. 470. Baſ.: Μακάριος εἶ σὺ Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ, τουτέστιν, υἱὲ Ἰωνᾶ· ὁ γὰρ πατὴρ αὐτοῦ Ἰωνᾶς ἐκαλεῖτο· τὸ δὲ βὰρ ἑρμηνεύεται, ἐκ τῆς Ἑβραϊκῆς διαλέκτου, υἱός.

30. ad Matth. 16. homil. 55. p. 589. E To. 1. Francof.

31. ad Matth. 16, 17. p. 68. Rom. Βὰρ Ἰωνᾶ, τουτέστιν, υἱὲ τοῦ Ἰωνᾶ.

atque Syrorum, accepissent idem valuisse, quod in Hebraeorum sermone vocabulum בֵּן. Iudaei enim illius aetatis filios non tantum parentum nominibus appellarunt, ita, vt iis adderent verbum בַּר, quae nomina videmus scriptores Noui Testamenti explicasse, vt vnum, quod genus Βαρθολομαῖος [32], Βαρτίμαιος [33], Βαριησοῦς [34], sed etiam nominibus filiorum ipsis saepenumero adiunxere parentum nomina, interueniente eodem vocabulo בַּר, quo magis scilicet agnoscerentur ab omnibus, atque facilius ab aliis, quibus eadem essent nomina, discernerentur. Hanc igitur rationem Iudaeorum sequuti Euangelistae nominibus filiorum comites dedere parentum vocabula, ita, vt horum casum secundum, vel solum adiecerint, vt Iohannes [35], et Lucas [36], vel ei addiderint, nunc Syriacum nomen ܒܪ, vt Matthaeus [37], aut Graecum υἱὸς, idque, et sublato articulo, vt hic ipse Euangelista [38], et eo apposito, vt Lucas [39], nunc, scriptorum Graecorum exemplo, articulum solum, vt Euangelistae, prae-

32. Matth. 10, 3. Marc. 3, 18. Luc. 6, 14. Interpres Syrus habet ܒܪ ܬܘܠܡܝ.

33. Marc. 10, 46. In versione Syriaca est ܒܪ ܛܝܡܝ ܛܝܡܝ: sed nomen ܛܝܡܝ recte poterat omitti, quia verba Euangelistae υἱὸς Τιμαίου sunt interpretamentum vocabuli Βαρτίμαιος. v. Prol. 9, 3.

34. Act. 13, 6.: vbi versio Syriaca habet ܒܪ ܫܘܡܐ, ita, vt auctorem eius legisse necesse sit Βαρσουμᾶ.

35. C. 21, 15. 16. 17. Σίμων Ἰωνᾶ.

36. C. 6, 16. Ἰούδαν Ἰακώβου.

37. C. 16, 17. Σίμων βὰρ Ἰωνᾶ.

38. C. 23, 35. Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου.

39. C. 3, 2. ἐπὶ Ἰωάννην τὸν Ζαχαρίου υἱόν.

praeter Iohannem, omnes [40]. Et quanquam non ignoramus, Hieronymi iam aetate fuisse repertos, qui Ἰωνᾶ in Matthaei codicibus ex Ἰωαννᾶ, librariorum neglegentia, extitisse putarent [41]; quanquam nos non fugit, Drusium [42], et Grotium [43], existimasse, Ἰωνᾶ contractum esse ex Ἰωαννᾶ, cuius nominis formae vestigia certa in commentariis Lucae [44] comparerent: tamen, vt huius opinionis rationem cernere idoneam nullam licet, quum Ἰωνᾶς, hoc est, יוֹנָה, fuerit nomen masculinum apud Iudaeos haud inusitatum, ita nec superiorem illam sententiam eadem de caussa veri similem esse arbitramur. Nam legitur quidem in paucis quibusdam codicibus Iohannis [45], vel Ἰωαννᾶ, vel Ἰωάννȣ· quam lectionem Nonnus [46] quoque, et Latinae versionis auctor, [47] sequuti sunt: sed haec ipsa scripturae inconstantia de-

40. Matth. 10, 2. Ἰάκωβος ὁ τȣ̃ Ζεβεδαίȣ· v. 3. Ἰάκωβος ὁ τȣ̃ Ἀλφαίȣ. Marc. 3, 17. Ἰάκωβον τὸν τȣ̃ Ζεβεδαίȣ· v. 18. Ἰάκωβον τὸν τȣ̃ Ἀλφαίȣ. Luc. 6, 15. Ἰάκωβον τὸν τȣ̃ Ἀλφαίȣ.

41. Hieronymus ad Matth. 16, 17. fol. 24. b To. 9. opp. Bas.: *Alii simpliciter accipiunt, quod Simon i. Petrus sit filius Iohannis, iuxta alterius loci interrogationem,* Simon Iohannis, diligis me? *Qui respondit*, Domine, tu scis. *Et volunt scriptorum vitio deprauatum, vt pro* Bariohanna, *hoc est, filius Iohannis*, Bariona *scriptum sit, vna detracta syllaba.*

42. Commentar. prior. ad voces Hebrr. N. T. p. 27.

43. ad Matth. 16, 17.

44. C. 3, 27.

45. C. 1, 43. 21, 15. 16. 17.

46. C. 1, 43. v. 171. p. 14. Nans. υἱὸς Ἰωάνναο· c. 21, 15. v. 86. p. 286. Σίμων, γνήσιον ἔρνος Ἰωάνναο τοκῆος· c. 21, 16. v. 93. Σίμων, ἀγλαόπαιδος Ἰωάνναο γενέθλης· c. 21, 17. v. 102. p. 288. Πατρὸς Ἰωάνναο θεȣδέος ἔκγονε Σίμων.

47. C. 21, 15. 16. 17. *Simon Ioannis.*

declarare videtur, eam profectam esse ab manibus eorum, qui prauam scilicet scripturam alteram corrigere vellent. Certe in Glossario Noui Testamenti Fabriciano [48] glossa Βὰρ Ἰωνᾶ explicata extat verbis υἱὸς περιστερᾶς· sed περιστερὰν ab Hebraeis dictam esse יוֹנָה, quis nescit? Atque idem hoc Glossarium continet [49] etiam glossam Βοανηργὲς cum glossemate υἱὸς βροντῆς, φωτός. Glossa enim ipsa ex euangelio Marci [50] sumta est, quam nonnulli eius codices, vt Glossarium a Matthaeio, viro clarissimo, e codice quodam Mosquensi editum [51], eodem modo scriptam exhibent, quum tamen vera illius, atque genuina, scriptura sit Βοανεργὲς, quam, praeter Lexicon Mosquense [52], Glossarium Suidae seruauit. Etsi enim homines doctissimi multi, in his ipse Gataquerus [53], opinati sunt, glossam illam e verbis Chaldaicis בְּנֵי רְעֵם esse conflatam; etsi Graecos interpretes Veteris Testamenti videmus, et verbum Hebraicum רָעַם verbo βροντᾶν [54], et nomen רַעַם nomine βροντὴ [55], reddidisse: tamen nobis persuasissimum est, vocabulum Βοανεργὲς originem debere suam verbis Syriacis ܒܢܝ̈ ܪܓܫܐ, quae eadem in versione Syriaca leguntur, ita, vt Marcus pro Βοναρεγὲς, quo aurium Graecarum

48. p. 2.

49. p. 29.

50. C. 3, 17.

51. Lectt. Mosquenss. Vol. 2. p. 62.

52. Vid. Matthaeius, V. C., d. l. p. 86.

53. Aduersarr. miscell. posthh. c. 35. p. 791. G

54. Vid. Aqu. Ps. 96, 11.

55. Vid. οἱ ό, Theod. Aqu. Sym. Ps. 77, 19. Etiam in vers. Syriaca Marc. d. l. pro βροντὴ est nomen ܪܥܡܐ. Hac autem ex re recte collegi posse videtur, רַעַם fuisse vocabulum hoc in genere antiquum, et notum, רֶגֶשׁ ignotum, et recentius.

rum faſtidio occurreret, ſcripſerit Βοανεϱγές. Etenim Ieſum nouimus eſſe lingua Syriaca, non Hebraica, loquutum: et quum verbum رَجَسَ ab Arabibus de caelo *tonante* vſurpatum inueniatur[56]: quid dubitemus, quin Syri nomine ܪܓܫܐ etiam *tonitru* ſignificarint? Haec autem gloſſae Βοανεϱγὲς origo ſatis loquitur, in Gloſſario Fabriciano pro υἱὸς βϱοντῆς reſcribi oportere υἱοὶ βϱοντῆς, inducto vocabulo Φωτὸς, vt alieno, et aduenticio. Nam Marcus ipſe huius gloſſematis auctor eſt, quod, praeter Suidan, Gloſſarii, et Lexici, Moſquenſis conditores, atque Heſychius[57], recte intactum reliquerunt. Sed in Heſychii libris pro Βοανεϱγὲς perperam ſcriptum Βοανεϱγεῖς legitur. Quae quidem ſcriptura extitit parens ſcripturae aeque vitioſae Βοανεϱγῆς, quae in quibuſdam Marci codicibus eſt, atque leuitati grammaticorum deberi videtur, qui linguarum orientalium ignari natura gloſſematis ſe adduci ſiuerint, vt ſibi perſuaderent, ſicut ἐπιτηδὲς, et ἀκλεὲς, apud Homerum pro ἀκλεεῖς, et ἐπιτηδεῖς, poſita extarent[58], ita Βοανεϱγὲς, quod putarent vocabulum Graecum eſſe, apud Marcum pro Βοανεϱγεῖς eſſe dictum. Βϱοντὴ autem quum ſit imago eloquentiae maxime eius, quae partes animorum quaſque aptis orationis modis pellat, et

56. Vid. Albertius ad Gloſſar. N. T. p. 29. ſ.

57. v. Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης, καὶ Ἰάκωβος, βοανεργεῖς ἐκαλοῦντο, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς. Haec verba Heſychii immutata repetiit in Lexico ſuo Phauorinus.

58. Euſtathius ad Il. ά, 142. p. 67. Rom.: Ὥσπερ δέ που [Il. ή, 100.] τὸ ἀκλεεῖς πληθυντικὸν παρ' Ὁμήρῳ λέγεται, ἐκβληθέντος τοῦ ῑ, οὕτω γέγονε καὶ τὸ ἐπιτηδὲς ἐκ τοῦ ἐπιτηδεῖς, ἐκδραμόντος τοῦ ῑ διὰ χρείαν μετρικήν.

et moueat, omninoque genus dicendi graue, et amplum, sequatur, quae ab Isocrate, atque aliis, ἡ δεινότης ἡ περὶ τὰς λόγους, vel ἡ ἐν τοῖς λόγοις, nominatur; quum nomen υἱὸς ab scriptoribus Noui Testamenti, vt ab alterius Testamenti auctoribus nomen בֵּן, verbis virtutum, vitiorumue, ita adiungatur, vt significetur *is*, *in quo virtus*, vel *vitium*, *situm est*, *qui praeditus est virtute*, vel *vitio*, cuius vocabuli casus secundus nomen istud sequitur [59]: apertum est, υἱὰς βροντῆς esse βροντῶντας, hoc est, δεινὰς, atque adeo Iacobum, et Iohannem, fratres, a Iesu ita appellatos esse, quod facultate eloquentiae pellentis, flectentisque, essent in primis praestituri: quomodo Demosthenes, et Plato, ab Columella [60], ob eiusdem virtutis excellentiam, *tonantes* vocantur, et Pericles apud Aristophanem [61] ἀστράπτειν, βροντᾷν, hoc est, Cicerone interprete [62], *fulgere*, *tonare*, eodem sane sensu, dicitur. Sed praeter hanc glossam, de qua hactenus a nobis paulo diligentius disputatum est, in numero glossarum Noui Testamenti, quae in Lexico Suidae glossematis ornatae, conspiciuntur, editores earum multas praeterierunt alias. Nam glossam ἀνεῦρον quidem Suidas ipse ostendit a se petitam esse e loco commentariorum Lucae [63] hoc, καὶ ἀνεῦρον τήν τε Μαριὰμ, καὶ τὸν Ἰωσήφ· et verba, quae illustrandae glossae caussa addidit, ὅτι ἡ ἀνὰ πρό-

59. Vid. Vorstius Philol. S. c. 24, 1.

60. R. R. praef. lib. 1. f. 30.

61. Acharnn. 530.

62. Orat. c. 9. Quinctilianus 2, 16. 19. Pericli ait contigisse *fulgurare*, *ac tonare*, et 12, 10. 24. eum ostendit a comicis comparari *fulminibus*, *et caelesti fragori*. add. ibid. f. 65.

63. C. 2, 16.

πρόθεσις χάριν κόσμε κεῖται, vim glossematis εὖρον habere, quis non videt? Certe glossa ἀνευρόντες, cuius sedes in actibus Apostolorum [64] est, etiam in Hesychiano Glossario, ex quo hanc quoque glossam in Lexicon suum Phauorinus transtulit, participio εὑρόντες explicata legitur. Horum autem glossematum elegantia multis reperiri, atque perspici, modis potest. Etenim primum quidem scriptores Graecos omnes, maximeque Atticos, atque adeo librorum Noui Testamenti auctores, constat omnino verbis e praepositionibus compositis fere vsos esse pro simplicibus: qua de ratione, quam Suidas ipse exemplis verborum huius generis quibusdam illustrauit [65], atque caussis eius, alio loco [66] diligentius quaerere instituimus: deinde Lucas, vbi genios, et dei apparitores, narrat pastoribus nuntiasse, Christum Bethlehemi natum esse, quem fasciatum in opido inuenturi essent, ibi [67] eos facit ita loquentes, εὑρήσετε βρέφος ἐσπαργανωμένον, quomodo Xenophon canes sagaces, leporum quaesitores, eos, et ἀνευρίσκειν, et εὑρίσκειν, ait [68]: denique vident facile omnes, ab Euangelista vtroque verbo, ἀνευρίσκειν, et εὑρίσκειν, vnum, idemque, verbum Hebraicum מָצָא, vel Syriacum ܐܫܟܚ, esse expressum. Sed in eiusdem Suidae Glossario

64. C. 21, 4.

65. Nam verbis supra laudatis, ὅτι ἡ ἀνχ — κεῖται, Suidas subiecit ista, ὥσπερ καὶ τὸ κερδαίνω, παρακερδαίνω· καὶ κληρονομῶ, ἀποκληρονομῶ. Τῆς αὐτῆς ἐστι νοήσεως καὶ τὸ ἐτρύγησα, ἀπετρύγησα.

66. Prolus. 5, 3.

67. C. 2, 12.

68. Vid. Cyrop. 1, 6. 19. p. 51. Lips. et Memorr. 3, 11. 8. Neque aliter verbo ἀνευρίσκειν vsus est Plato Phaedon. 22.

rio extat glossa μεθοδείας cum glossematis τέχνας, ἢ δόλους, quam e Pauli epistola ad Christianos Ephesios [69] repetitam esse, Suicerus iam, theologus eruditissimus, in thesauro ecclesiastico [70] animaduertit, cuius auctoritate eam in numerum glossarum Noui Testamenti recipi oportebat. Etenim glossemata sunt orationi Apostoli reliquae accommodatissima, planeque respondent interpretamentis glossae iis, quae in libris Chrysostomi, Theodoreti, Oecumenii, et Theophylacti, leguntur, quorum locos idem ille Suicerus accurate laudauit, atque adeo ipsius glossae ingenio. Μεθοδεύειν enim dicuntur ii, qui alios *circumueniunt*, circumuenire student, qui aliis *insidiantur* [71]: et μεθοδεία vocatur *circumventio*, studium circumueniendi, *insidiae:* sed quia ii, qui insidiantur aliis, qui alios circumuenire student, artibus, fraudibus, dolis, vtuntur: μεθοδεῖαι appellari coeptae sunt *technae*, *doli*, *fraudes insidiarum*, *quibus quis circumuenire alios studet:* quae ab interprete Syro ܢܟ̈ܠܐ nominantur. Caeterum hac ipsa glossa Lexicon suum ornauit Phauorinus, adiectis verbis his, ἐπιβουλὰς, ἐνέδρας, δόλους· ὡς ὁ Ἀπόστολος, πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου· quae quidem glossemata Oecumenio

69. C. 6, 11.

70. v. μεθοδεία p. 329. To. 2. edit. pr.

71. Ex. 21, 13. verbum μεθοδεύειν legitur pro verbo Hebraico צָדָה in reliquiis Aquilae: cuius verba καὶ ὃς οὐ μεθώδευσεν interpres Latinus reddidit verbis *qui autem non est insidiatus*. In Onquelosi Paraphrasi est verbum כְּמַן, et interpres Syrus N. T. Act. 25, 3. pro nomine Graeco ἔνεδρα vsus est nomine ܟܡܐܢܐ. Conf. Salmasius de foen. trapez. pag. 172., et Carcinus, atque Loesnerus, V. C., ad Ephes. d. l.

menio [72] deberi videmus. Hanc vero glossam non minus, quam plures eiusmodi alias, quae in Lexico Phauorini leguntur [73], in sylloga glossarum ad libros vtriusque Testamenti pertinentium nuper edita frustra quaesiuimus.

III. Qua tamen de re a nobis nunc nihil disputari amplius, nemo, opinor, mirabitur, qui meminerit, nos hunc, et superiores libellos duo, propterea edidisse, vt doceremus, quanta vis, atque copia, adiumentorum intellegentiae orationis Noui Testamenti contineretur Hesychii maxime, et Suidae, glossariis: qua disputatiuncula nostra, cum incenderetur in animis adulescentium harum literarum studiosorum cupiditas, non modo ista Lexica, sed reliqua quoque huius generis glossaria, adeundi, atque inspiciendi, tum recentiorum Lexicographorum neglegentia patefieret, qui libros suos fere nullis doctrinae grammaticorum, interpretumque, veterum huius quidem generis copiis instruxissent, locupletassentque. Haec vero vbi lectione horum libellorum effecta fuerint, tum optata euenisse nostra, non parum gaudebimus, et vero etiam laetabimur.

IIII.

72. Verba eius ad Ephes. d. l. pag. 648. Veron. haec sunt, Οὐκ εἶπε μάχας, ἀλλὰ μεθοδείας, ὅπερ ἐστὶ χαλεπώτερον, οἷον πρὸς τὰς ἐπιβουλὰς, πρὸς τὰς ἐνέδρας, πρὸς τοὺς δόλους.

73. Phauorinus: Πτῶμα· σῶμα ἄνευ τῆς κεφαλῆς. Glossa vna cum glossemate e Suidae Lexico sumta est, atque pertinet ad Marc. 6, 29. Certe cadauer Iohannis baptistae truncatum erat capite: sed πτῶμα in dialecto Macedonica noua, et Alexandrina, significauit *cadauer*: vid. Ps. 110, 6. Iudd. 14, 8., et Ezech. 6, 5. in Complut. Ald. Alex.: quod Attici, et probi scriptores, πτῶμα νεκροῦ dixere. vid. Phrynichus Eclogg. p. 164. Pau., et ex eo Thomas Magister v. πτώματα νεκρῶν, et Phauorinus v. πτῶμα.

IIII. Nunc enim ſignificandum fautoribus rei Thomanae omnino omnibus duximus, alumnos diſciplinae noſtrae tres, ſpei non mediocris adoleſcentes, CAR. IRENOTH. NEOCORVM, *Liſnicenſem*, CAR. DAN. LEIPNITIVM, *Pegauienſem*, et IOH. CHRISTI. PILACHIVM, *Vurcenenſem*, conſtituiſſe, ante diſceſſum e ludo noſtro in academiam Lipſienſem ſuum, nobis auctoribus, et ſuaſoribus, Ioh. Aug. Erneſtii, ſummi viri, merita multa, et magna, in literas bonas, et doctrinam Chriſtianam, filiaeque eius vnicae, ſanctiſſimae virginis, liberalitatem in diſcipulos ſcholae noſtrae ſingularem, oratiunculis Latinis qualibuſcunque laudare. Et primus quidem eorum *de vtilitate, et praeſtantia, benignitatis in aduleſcentes inopes, qui ſtudia literarum ſequuntur*, dicet: ſed alter verba faciet *de meritis Erneſtii in ſcholas Graecas, et Latinas, vniuerſae Europae, in primiſque Germaniae, et Saxoniae:* tertius denique demonſtrabit, *Erneſtium extare exemplum egregium rationis eorum, qui contendunt, ſtudia Graecarum, Latinarumque, literarum eſſe adiumenta theologiae certiſſima, maximeque neceſſaria, atque adeo perſona profeſſoris theologiae digniſſima.* His igitur oratiunculis adoleſcentium optimorum vt intereſſe velint patroni ſcholae ampliſſimi, et curatores grauiſſimi, omneſque inſtitutorum noſtrorum fautores humaniſſimi, vehementer etiam atque etiam, et ita, rogamus, vt ſtudiis eorum ludi noſtri diſciplinam, reſque omnes, etiam poſthac quam commendatiſſimas eſſe iubeamus. Scripſimus Lipſiae, in Schola Thomana, a. d. VII. Idus Apriles A. C. CIƆIƆCCLXXXVIII

PROLV

PROLVSIO TRICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN PRAECEPTIS GRAMMATICORVM VETERVM AD INDOLEM ORATIONIS N. T. GRAECAE OMNINO PATEFACIENDAM NON ADHIBITIS

Q. B. V

Etsi confessa hodie res est, atque manifesta, orationem Graecam, qua Euangelistae in vita, rebusque, Iesu Christi exponendis, et Apostoli in explicandis doctrinae Christianae praeceptis, et partibus, vsi sunt, vt compositione, iuncturaque, et incisorum, et membrorum, ita verborum quoque singulorum, et formularum plurimarum, vsu, atque constructione, naturam, et faciem, linguae, non Graecae, sed barbarae, hoc est, Hebraicae, referre: tamen aeque apertum, certumque, videmus esse, multis in locis, et euangeliorum, et epistolarum Apostolicarum, notas, et signa, sermonis bene Graeci comparere impressa. Hic vero ipse sermo Graecus non ille Atticus est, atque elegans, cuius virtutes, et Veneres, librorum Platonis, aliorumque eius aetatis scriptorum, lectionem omnium

omnium ſapientiae antiquae, et grauis, aemulorum ſtudiis etiamnunc tantopere commendant: haec enim lingua dudum ante Chriſti tempora deſita erat vſurpari in vita, et conſuetudine, cotidiana: immo Macedonicus, atque adeo Alexandrinus, qui, Apoſtolorum ſaeculo, vbiuis gentium in ore vulgi verſabatur, ab Attico mirum quantum diuerſus. Macedonum enim, et Alexandrinorum, ingenia, non modo finxerunt, et fabricarunt, multa verba, multas formulas, nouas, ſed multis quoque vocabulis antiquis, et Atticis, inauditos, inuſitatoſque, ſignificatus tribuerunt, multis verbis, et nominibus, eorumque caſibus, et gradibus, et temporibus, et perſonis, nonnullis, formas inuiſitatas, dedere, neque dubitarunt genera multorum nominum appellatiuorum, quae ſubſtantiam ſignificant, immutare, et verbis quibuſdam inſolentes nominum adiungere caſus, etiam accentuum notis alia loca, alias ſedes, attribuere [1]. Huius igitur dialecti natura quantum diſcreparet ab ingenio dialecti Atticae, quae vna omnium poneretur politiſſima, atque venuſtiſſima, quo facilius, magiſque, pateret cunctis: inſtituerunt grammatici

1. Sic Attici quidem ſcripſere ἰδὲ, vt εἰπὲ, λαβὲ, εὑρὲ, ſed Macedones, et Alexandrini, iuſſerunt hoc verbum eſſe παροξύτονον. v. Moeris v. ἰδὲ, et Euſtathius ad Il. β΄ p. 341. 21. Rom. Vnde in libris N. T. vbique ſcriptum extat ἴδε, vt in libris verſ. V. T. ſeptuagintaviralis Eccleſ. 1, 10., pro Hebr. רְאֵה. Caeterum edidit Romae nuper, a. 1788., quaternis Nicolaus Schauius chartam papyraceam Graece ſcriptam, quae Velitris eſt in muſeo Borgiano, et qua ſeries incolarum Ptolemaidis Arſinoiticae in aggeribus, et foſſis, operantium exhibetur. In hac charta multa inueniuntur, quae ad cognoſcendam dialecti Alexandrinae indolem pertineant.

tici veteres multi, quorum tamen paucissima huius generis scripta, non sine magno huius literarum bonarum partis detrimento, ad nostram peruenere aetatem, plurimum studii, atque operae, consumere in collegendis vtriusque generis verbis, iisque inter se ita conferendis, vt Atticorum quidem vocabulorum vsum vnice commendarint sermonis Graeci studiosis, sed Macedonica verba, in primisque Alexandrina, tanquam leuia, neque iusti ponderis, numismata, reiicienda esse praeceperint. Atque hac grammaticorum veterum, Pollucis maxime, et Phrynichi, quem fere ducem sequutus est Thomas Magister, salutari sane, atque vtili, diligentia lacessi se, atque excitari, debuissent recentiores Noui Testamenti Lexicographi adeo, vt, doctrina eorum, atque auctoritate, adiuti, quae verba, quae verborum formae, qui eorum significatus, quae constructionis genera, essent ab scriptoribus diuinis e dialecto Macedonica, Alexandrinaque, arcessita, docerent. Talis enim praeceptio, quis dubitet, quin lectoribus librorum Noui Testamenti sit ita profutura, vt, non solum videant, orationem eorum Graecam, neque esse, neque adeo dici vllo modo posse, Atticam, sed intellegant quoque, qui sententiam eorum locorum, in quibus Euangelistas, Apostolosque, Graecam sequutos rationem esse appareat, indagare, ac reperire, velint, ab iis libros scriptorum, non Atticorum, immo eorum, quos dialecto Macedonica, et Alexandrina, vsos esse constet, maximeque versionem Veteris Testamenti septuagintauiralem, inspici, consulique, debere? Itaque vt cognoscatur ab omnibus etiam planius, quam parum satis fecerint conditores

Lexicorum Noui Testamenti etiam hoc in genere partibus suis; vt vtilitatis doctrinae, et diligentiae, grammaticorum veterum magnitudo hac in re lectoribus librorum sacrorum ita patescat, vt auctoritatem istorum hominum, in perspicienda orationis Euangelistarum, et Apostolorum, indole, nullo modo neglegendam, immo diligentissime adhibendam, esse videant: age, iam varia, iis ducibus, persequamur breuiter notarum genera, quibus Atticorum lingua ab dialecto Macedonum, et Alexandrinorum, discernatur, vbi cautiones prius quasdam proposuerimus, quarum ad regulam iudicium de grauitate, et veritate, praeceptionis grammaticorum Graecorum dirigendum esse videatur.

II. Hos enim homines quum facile appareat in notandis, repudiandisque, verbis, eorumque formis, et significatibus, non respexisse, nisi ad vrbanitatem, atque elegantiam, ipsorum scriptorum Atticorum domesticam, et propriam: sane in promtu est, qui diligentiam eorum aliis suspectam reddere, et obseruationem vanitatis conuincere, velint, ab his primum non debere contra afferri locos auctorum, quos post Alexandri Magni tempora floruisse constet. Horum enim multos, etsi nos neutiquam fugit, fuisse diligentissimos, acerrimosque, Atticorum veterum imitatores: tamen quam saepe accidere potuerit, et vero etiam acciderit, vt inculcarent, vel data opera, vel per imprudentiam, scriptis suis verba Macedonica, et Alexandrina, quis non intellegit? Qua quidem de re si diligenter, vt par erat, cogitassent Georgius, Trillerus, aliique grammaticorum veterum obtrectatores, et aduersarii:

pro-

profecto nunquam auſi eſſent veritatem, et fidem, vocum illorum auctoritate Polybii, Diodori Siculi, Aeliani, Arriani, Luciani, aliorumque eiuſdem aetatis ſcriptorum, eleuare, atque infirmare. Deinde quum ſcriptores Attici ipſi legantur libros ſuos diſtinxiſſe non raro verbis alienigenis, atque adeo Macedonicis [2]: neque horum locis omnibus vti recte, nec ſine ſumma circumſpectione, diligentiſſimaque comparatione dialecti Atticae cum caeteris dialectis, poſſe reprehenſores Graecorum grammaticorum, ita apertum eſt, vt dubitari nullo modo poſſit. Et quis non videt, grammaticis antiquis adire fere contigiſſe codices ſcriptorum Atticorum accurate ſcriptos, atque integros, neque contaminatos, certe multo integriores, minuſque corruptos, iis, ex quibus libros eorum noſtrae

2. Athenaeus 3, 34. pag. 121. ſ. Cynulcum, qui reprehenſus erat ab Vlpiano, quod vſus eſſet vocabulo *δικόκτα*, facit cum eo ita agentem: Ἐν Ῥώμῃ τῇ βασιλευούσῃ διατρίβων τὰ νῦν, ὦ λῷστε, ἐπιχωρίῳ κέχρημαι κατὰ τὴν συνήθειαν φωνῇ. Καὶ γὰρ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ποιηταῖς, καὶ συγγραφεῦσι, τοῖς σφόδρα ἑλληνίζουσιν, ἔστιν εὑρεῖν καὶ Περσικὰ ὀνόματα κείμενα διὰ τὴν τῆς χρήσεως συνήθειαν, ὡς τοὺς παρασάγγας, καὶ τοὺς ἀστάρους [l. ἀγγάρους], καὶ τὴν σχοῖνον, ἢ τὸν σχοῖνον· μέτρον δ' ἐστι τοῦτο ὁδοῦ μέχρι νῦν οὕτω παρὰ πολλοῖς καλούμενον· μακεδονίζοντάς τ' οἶδα πολλοὺς τῶν Ἀττικῶν διὰ τὴν ἐπιμιξίαν. Xen. R. AA. 2, 8. Καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες ἰδίᾳ μᾶλλον, καὶ φωνῇ, καὶ διαίτῃ, καὶ σχήματι, χρῶνται· Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων, καὶ βαρβάρων. Plato Cratyl. 25. Ἐννοῶ γὰρ, ὅτι πολλὰ οἱ Ἕλληνες ὀνόματα, ἄλλως τε καὶ οἱ ὑπὸ τοῖς βαρβάροις οἰκοῦντες, παρὰ τῶν βαρβάρων εἰλήφασι. Euſtathius ad Odyſ. τ' pag. 1854. 35. Ὅλως δὲ εἰπεῖν, γέμει διὰ τὰς ἐπιμιξίας μυρίων ἐθνικῶν λέξεων ἡ Ἑλλὰς γλῶσσα. Vid. Pierſonius ad Moerin p. 349. ſ.

aetatis editos expreſſos, atque deductos, eſſe nouimus? Librarios enim recentiores, qui eſſent communis, non item Attici, ſermonis conſuetudine aſſueti, res ipſa loquitur, pro verbis Atticis verba Macedonica, et Alexandrina, pro formis verborum interioribus, reconditiſque, vulgares eorum, cotidianaſque, formas, saepenumero, vel ſponte ſua, vel ſedulitate recentiorum grammaticorum deceptos, ſubſtituiſſe. Itaque tantum abeſt, vt e ſcriptura librorum editorum ſententia ferri contra praecepta grammaticorum veterum poſſit, vt etiam auctoritas eorum ad illam emendandam fere magis, et prius, quam recentiorum codicum fides, adhiberi debeat, praeſertim quum ſcriptura antiquiſſimi cuiuſque codicis, ſi non omnibus, tamen multis, in locis, vocibus grammaticorum reſpondere reperiatur [3]. Sic vero nec dubitari vllo modo debere putamus, quin obſeruatio grammaticorum Grae-

3. Vid. praefat. tertia ad Plat. dialogos quatuor p. 15. ſſ. et praefat. ſecunda ad dialogos Aeſchinis Socratici p. 24. ſſ. Atque huius obſeruationis memores debebant eſſe etiam Latinorum ſcriptorum editores, ita, vt formas verborum antiquas, a librariis recentioribus immutatas, grammaticorum veterum auctoritate, reſtituerent integras. Sic Gellius 7, 9. tradit, et M. Tullium, et C. Caeſarem, *mordeo memordi*, *pungo pepugi*, *ſpondeo ſpeſpondi*, dixiſſe: et Quinctilianus 9, 4. 39. auctor eſt, veteres *po' meridiem*, Cenſoriumque Catonem *die' hanc* ſcripſiſſe: *quae in veteribus libris reperta mutare imperiti ſolent, et, dum librariorum inſectari volunt inſcitiam, ſuam confitentur.* Grammatici enim veteres impenſa opera conquiſiuerant, inſpexerantque, codices pluſculos ſummae fidei, neque corruptos, atque adeo idiographos ſcriptorum libros, certe manu eorum correctos. vid. Gellius 1, 21. 2, 3. 9, 14. 13, 20. 18, 5. 9. add. Quinctilianus 1, 7. 20. 22. ſſ. 9, 4. 74.

Graecorum in primis regere, neque parum adiuuare, possit operam, et studia, eorum, qui verba Macedonica, et Alexandrina, inuestigare, Atticorumque verborum, et formas, et significationes, nouas notare, in libris Noui Testamenti, atque adeo naturam orationis Euangelistarum, Apostolorumque, accurate cognoscere, recteque perspicere, velint.

III. Moeris quidem Atticista [4], et Thomas Magister [5], quem fere superiorum grammaticorum scrinia compilasse scimus, praecipiunt, linguam Atticorum, quorum aures vrbanae crebrum vnius, eiusdemque, vocalis in vno vocabulo ferre concursum non possent, delectatam esse forma pluratiui numeri contracta τέρα, et τερῶν, pro qua forma sermo aliorum Graecorum, hoc est, Macedonum, et Alexandrinorum, dilatatam vsurpare instituisset. Huius praecepti primae partis veritatem, neque interpretes istorum grammaticorum, neque alii homines docti, quod sciam, vllis idoneorum scriptorum auctoritatibus labefactare sustinuerunt, quippe quam vsus eiusdem numeri nominum similium, velut κρέα, et κρεῶν [6], γέρα, et γερῶν [7], ita confirmet, vt ex iis, quae supra de leuitate recentiorum librariorum hoc in genere dicta sunt, vix dubitandum videatur, quin apud Xenophontem in

 com-

4. Moeris: Τέρα, Ἀττικῶς· τέρατα, Ἑλληνικῶς· item: Τέρα, καὶ τερῶν, Ἀττικῶς· τέρατα, καὶ τεράτων, Ἑλληνικῶς.

5. Thomas Magister, et ex eo Phauorinus: Τέρα, καὶ τερῶν, Ἀττικοὶ, ὡς κρέα, κρεῶν· τέρατα δὲ, καὶ τεράτων, ἁπλῶς, Ἕλληνες.

6. Vid. Xen. Cyrop. 1, 3. 6. Aristoph. Plut. 895.

7. Vid. Xen. polit. Lac. 15, 3. Thucyd. 3, 58. extr.

commentariis de dictis, et factis, Socratis [8] pro τέρατα, quae est librorum nunc editorum scriptura, rescribi τέρα debeat: sed partem eiusdem obseruationis alteram eo firmiorem iudicari necesse est, quo pluribus formae numeri illius integrae exemplis vel vnum versionis librorum Veteris Testamenti septuagintauiralis volumen refertum conspicitur [9]. Euangelistas igitur, et Paulum Apostolum, quos ipsos scripsisse τέρατα [10], et τεράτων [11], videmus, certissimum habetur esse ea in re dialecti Macedonicae, et Alexandrinae, consuetudinem sequutos. Eiusdemque dialecti inuitatu quis inficias eat Marcum [12] ἡμίσους, et Lucam [13] τὰ ἡμίση, scriptum reliquisse, quum, si vocem legum linguae Atticae audire potuissent, formae vtriusque casus contractae non contractam sine vlla dubitatione praetulissent? Hoc enim genere figurae Atticos vsos esse in illis casibus talium adiectiuorum, quale ἡμι-

8. 1, 4. 15. Sic apud Homer. Odys. μ', 394. editum nunc legitur τέρατα· sed reponi haud dubie e Florentino exemplo debet τέραα· praesertim quum Il. μ', 229. omnes libri habeant τεράων· ex quo loco sumta est in Lexico Suidae glossa, Τεράων· σημείων. Sed in Hesychii quoque Glossario pro Τέρα, τέρεα σημεῖα, vt Aldus edidit, rescribi oportere puto Τέρα, τέραα· σημεῖα, ita, vt glossa τέραα ex altero illo poëtae loco petita existimetur. Vtroque in loco auctor scholiorum minorum habet glossemata σημεῖα, et σημείων. Caeterum non ignoro, non solum apud Herodotum 2, 82., sed etiam apud Aristophanem Rann. 1382., hodie in omnibus libris scriptum legi τέρατα.

9. Ex. 4, 21. 7, 3. 11, 9. s. Ps. 104, 27.

10. Matth. 24, 24. Marc. 13, 22. Ioh. 4, 48. Act. 2, 19. 43. 4, 30. 5, 12. 6, 8. 7, 36. 14, 3. 15, 12.

11. Romm. 15, 19.

12. C. 6, 23.

13. C. 19, 8.

ἥμισυς est, Herodianus Alexandrinus [14], atque Phrynichus [15], grammatici, et doctissimi, et diligentissimi, obseruarunt. Quae quidem eorum obseruatio quam grauis, et vera, sit, non solum loci scriptorum Atticorum a librariis non corrupti [16] docent, verum etiam ex eo elucet, quod formae genitiui vocabuli ἥμισυς contractae exempla non pauca inueniuntur in versione Veteris Testamenti Alexandrina [17], et quod calami recentiorum librariorum pluralem ἡμίσεα in libris Attica dialecto conscriptis non raro in ἡμίση mutare instituerunt [18]. Atque eodem modo peccasse manus eorundem hominum videmus in scribendo casu accusatiuo pluralis numeri nominum

14. p. 198, Pau. p. 455. Piers.: Ἁμαρτάνουσιν οἱ τὰ ἡμίση λέγοντες, καὶ οὐ τὰ ἡμίσεα. Τὰ γὰρ τριγενῆ τῶν ὀνομάτων, ἐπὶ τῶν οὐδετέρων [Pau. ἐπὶ τῶν ὀνομάτων] διαιρεῖται· οἱ γλυκεῖς, αἱ γλυκεῖαι, τὰ γλυκέα· οἱ ὀξεῖς, αἱ ὀξεῖαι, τὰ ὀξέα. Οὕτως ἄρα καὶ οἱ ἡμίσεις, αἱ ἡμίσειαι, καὶ τὰ ἡμίσεα. Καὶ τὸ ἑνικὸν οὐν μόνως τοῦ ἡμίσεος, ὡς καὶ τὸ ὀξέος, καὶ γλυκέος, ἀλλ' οὐ τοῦ ἡμίσους. Hanc obseruationem Herodiani repetiit Thomas Magister v. τὰ ἡμίση p. 420. s., atque ex huius hominis eclogis eandem suum in Lexicon transtulit Phauorinus v. ἡμίσεα.

15. Appar. sophist. apud Montefalconium catal. bibl. Coislin. p. 466.: Ἡμίσεας, καὶ ἡμίσεις, ἄμφω μὲν Ἀττικά· Ἀττικώτερον δὲ τὸ ἡμίσεας, ἡμίσειας, σὺν τῷ ι· ἥμισυ, ἡμίσεως [l. ἡμίσεος], ἡμίσεα, ἀλλ' οὐχὶ ἡμίση.

16. Xen. Cyrop. 8, 3. 5. τὰ ἅρματα — τὰ ἡμίσεα· Agesil. 4, 5. ἅπαντα ἔχειν τὰ Ἄγιδος, τὰ ἡμίσεα — μετέδωκεν· anab. 1, 9. 14. ἄρτων ἡμίσεα. Thucyd. 4, 83. τρίτον μὲν μέρος ἀνθ' ἡμίσεος τῆς τροφῆς ἐδίδου· sic enim scribi debet, non ἡμίσεως· vt 4, 104. legitur ἡμίσεος ἡμέρας μάλιστα πλοῦν.

17. V. c. 1. Parall. 6, 70. 71. 12, 31. 37. Esth. 5, 3. 7, 2.

18. V. c. apud Theophrastum charr. 11, 5.

num in ευς desinentium. Hic enim casus quum in lingua Atticorum syllabis έας terminaretur [19]; Macedones, et Alexandrini, illas in vnam coire syllabam iusserunt, ita, vt mirandum non sit, accusatiuos γονεῖς, γραμματεῖς, ἱερεῖς, ἱππεῖς, aliosque, tot in locis septuagintauiralis Veteris Testamenti versionis [20] non minus, quam librorum Noui Testamenti [21], legentium occurrere oculis. Sed quum assiduitas vsus huius formae accusatiui memoriam formae eius Atticae in vita quidem, et consuetudine, communi extinxisset: fieri sane non potuit, quin insequutorum temporum librarii, homines rationis Atticorum fere imperiti, etiam in libris eorum genus accusatiui inusitatum vulgo, atque ignotum, noto omnibus, atque vsitato, commutarent. Helladium igitur, grammaticum alioquin haud indoctum, quis non intellegit, satis imprudenter fecisse, quod, quum in codicem Cyropaediae Xenophontiae incidisset, in quo librarius pro τὰς νομέας praue scripsisset τὰς νομεῖς, hoc scripturae vitium ipsius Xenophontis manibus ita tribuerit, vt eum, tanquam virum rei militaris studio deditum, qui etiam consuetudine barbarorum vsus esset, negaret numerandum esse auctorem, et magistrum, linguae Atticae idoneum [22], non con-

19. Vid. Thomas Magister v. ἑρμηνέας, cuius verba suum in Lexicon coniecit Phauorinus v. ἑρμηνέας.

20. Prouerbb. 29, 15. Sap. 12, 6. 2. Macc. 12, 24. Iosu. 23, 2. 24, 1. Esr. 7, 25. Leuit. 2, 2. Deut. 17, 9. 1. Regg. 1, 5. 2. Regg. 18, 24.

21. Matth. 10, 21. Marc. 13, 12. Luc. 2, 27. 18, 29. Ioh. 9, 18. Matth. 23, 34. Marc. 9, 14. Act. 4, 5. 6, 12. Luc. 6, 4. Ioh. 1, 19. Apoc. 1, 6. 5, 10. Act. 23, 23. 32.

22. Helladius Chrestomath. ap. Phot. biblioth. cod. 279.

considerans, tot aliis in locis librorum eius, imperitia manus librariorum non deprauatis, formam casus illius Atticam expressam comparere? Sed scriptores Noui Testamenti [23] eidem dialecto Alexandrinae vsum datiui pluralis δυσὶ debere videntur, qui ab auctoribus versionis alterius Testamenti, quae vulgo septuagintauiralis appellatur, frequentatus [24], in Atticorum scriptis nusquam inuenitur, quippe qui, auctore Phrynicho [25], semper δυοῖν dixerint. Et nescio sane, an ex eodem fonte hauserit Lucas [26] formam datiui γήρει, quam in plurimis, accurateque scriptis, codicibus conseruatam restituerunt Euangelistae nuper, pro sapientia sua, praeter Bengelium, Grisbachius, et Matthaeius. Etenim primum

279. p. 872. Hoeschel. p. 18. Meurs.: Ὅτι ἱππεῖς μὲν, καὶ νομεῖς, δεῖ γράφειν, καὶ λέγειν, τὴν εὐθεῖαν τῶν πληθυντικῶν· οὐκέτι δὲ καὶ τὰς αἰτιατικὰς, ἀλλ' ἱππέας, καὶ νομέας· εἰ δὲ καὶ Ξενοφῶν εἴρηκε τοὺς νομεῖς· οὐδὲν θαυμαστὸν, ἀνὴρ ἐν στρατείαις σχολάζων, καὶ ξένων συνουσίαις, εἴ τινα παρακόπτει τῆς πατρίου φωνῆς. Διὸ νομοθέτην αὐτὸν οὐκ ἄν τις Ἀττικισμοῦ παραλάβοι. Locus Xenophontis est Cyrop. 1, 1. 2: vbi hodieque in Iunt. et Ald. legitur τοὺς νομεῖς· sed Stephanus, et Leoclauius, recte rescripsere τοὺς νομέας. Nam in cod. Altorp. Brem. Guelf. ita scriptum inuenimus. Idem vero Stephanus debebat etiam 2, 1. 2. pro ἑξακισχιλίους μὲν ἱππεῖς reponere ἑξακισχιλίους μὲν ἱππέας· quam accusatiui formam eodem loco habent aliquoties omnes libri, praeter cod. Guelf., qui, et οἶμαι, ἱππεῖς, et ἱππεῖς μὲν εἰς ἑξακισμυρίους εἶναι, vt 5, 3, 13. ἱππεῖς ἐξεπλήρωσαν, legit. Conf. Graeuius ad Luciani Soloec. p. 753. s. To. 2.

23. Matth. 6, 24. 22, 40. Marc. 16, 12. Luc. 12, 52. 16, 13. Act. 12, 6. 21, 33. Hebrr. 10, 28. Apoc. 11, 3.

24. Gen. 40, 2. Ex. 4, 9. 28, 7. 30, 4. Iosu. 9, 10. 1. Regg. 2, 5.

25. Phrynichus p. 88., et ex eo Phauorinus: Δυσὶ μὴ λέγε, ἀλλὰ δυοῖν.

26. C. 1, 36.

primum ex iis, quae Etymologici magni auctor [27], atque Euſtathius [28], tradidere, dubitari poteſt nullo modo, quin γῆρος aliquando fuerit in vſu communi, ac vulgari, verſatum: deinde quatuor in locis verſionis Alexandrinae Veteris Teſtamenti [29], quibus alii codices ſcriptum exhibent γήρᾳ, in codice Alexandrino, etiam Cottoniano, γήρει legitur: quam ipſam ſcripturam in volumine hymnorum Dauidicorum [30] libri omnes ſeruarunt.

IIII. Sed Macedones, et Alexandrini, multa quoque verba Atticorum ita diffinxere, vt aliis ademerint literas, aliis inſeruerint: multa vocabula aliter terminari iuſſerunt: comparatiua quaedam noua fabricarunt: nonnullorum denique nominum genera immutare inſtituerunt. Nam Attici quidem *dorſum*, certe *hominis*, τὸ νῶτον, et τὰ νῶτα, ſemper vocarunt, τὸν νῶτον, et τοὺς νώτους, nunquam [31]: ſed Alexandrinis Veteris Teſtamenti interpretibus placuit de illo vbique

27. v. ἀμφῶες p. 93.: v. δόρει p. 284.: et v. ὗας p. 639.

28. ad Il. ὠ΄ p. 1343. 23. p. 1354. 2. et ad Odyſ. γ΄ p. 1456. 23. Rom.

29. Gen. 15,15. 21,7. 25, 8. 1. Parall. 29, 28.

30. Pſ. 91, 14.

31. Phrynichus p. 126., et ex eo Phauorinus: Ὁ νῶτος ἀρσενικῶς λεγόμενος ἁμαρτάνεται, οὐδετέρως δὲ τὸ νῶτον, καὶ τὰ νῶτα, δοκίμως ἂν λέγοιτο· ſed in Lexico Phauorini verba καὶ τὰ νῶτα δοκίμως ἂν λέγοιτο non leguntur, quae nec Callergi eclogarum Phrynichi editio habet. Moeris: Νῶτα, καὶ τὸ νῶτον, Ἀττικῶς· νῶτος, καὶ τοὺς νώτους, Ἑλληνικῶς. Herodianus Philet. p. 435. Pierſ.: Τὸ νῶτον, καὶ τὰ νῶτα, ἐπὶ ἀνθρώπων· ἐπὶ δὲ τῶν ἀλόγων τὸν νῶτον ἀρσενικῶς. — add. Thomas Magiſter v. τὸ Νῶτον, et Aelius Dionyſius apud Euſtathium ad Odyſ. ά pag. 1390. 56. Rom.

que vti masculino huius nominis genere [32]: quam eorum rationem, praeter Aquilan, Symmachum, et Theodotionem [33], Paulus Apostolus [34] sequutus reperitur: qui idem, eorundem Iudaeorum Alexandrinorum exemplo [35], *vincula* appellauit [36] δεσμȣ̀ς, quae, si orationem ad normam consuetudinis Atticae dirigere potuisset suam, δεσμὰ [37] nominare cum Luca [38] debuisset. Et quum Phrynichus [39], atque Etymologici magni conditor [40], praeceperint, Atticos ὁ λιμὸς dixisse, Dorienses ἡ λιμός· quum multa e Doriensium quoque sermone in linguam Graecorum communem profecta esse constet: quum in nonnullis, iisque idoneis, commentariorum Lucae codicibus nomini λιμὸς adiectiua feminini generis iuncta legantur [41]: quum in libris versionis Veteris Testamenti septuagintauiralis, vel omnibus,

32. Esai. 50, 6. Ps. 128, 3.

33. Prouu. 31, 17. Esai. 51, 23.

34. Romm. 11, 10. e Ps. 69, 23.: vbi v. Vetstenius.

35. Ier. 2, 20. 5, 5. Habac. 3, 13.

36. Phil. 1, 13.

37. Moeris: Δεσμὰ, ȣ̓δετέρως, Ἀττικῶς· δεσμοὶ, ἀρσενικῶς, Ἑλληνικῶς. add. schol. min. Hom. ad Odys. ά, 204. Eustathius ad Odys. ϑ' pag. 1598. 17. Rom., et Thomas Magister v. δεσμὰ, cuius obseruationem descripsit Phauorinus v. δεσμά. Quare apud Plat. Criton. 6. pro δεσμȣ̀ς rescribi oportet δεσμὰ, vt Euthyphron. 10.

38. C. 8, 29. Act. 16, 26. 20, 23.

39. Phrynichus p. 80. Pau., et ex eo Phauorinus: Τὴν λιμὸν Δωριεῖς· σὺ δὲ ἀρσενικῶς τὸν λιμὸν φάϑι.

40. p. 566. Sylb.: Ἰςέον, ὅτι παρὰ μὲν τοῖς Ἀϑηναίοις ἀρσενικῶς λέγεται ὁ λιμὸς, παρὰ δὲ τοῖς Δωριεῦσι ϑηλυκῶς ἡ λιμός. add. Aelius Dionysius ap. Eustath. ad Odys. ά p. 1390. 56. et ipse Eustathius ad Odys. δ' p. 1504. 37. et ad Odys. ί p. 1631. 3. Rom. Conf. Vetstenius ad Luc. 4, 25.

41. C. 4, 25. 15, 14. Act. 11, 28.

bus, vel certe aliquot, veſtigia eiuſdem generis vocabuli λιμὸς compareant [42]: aſſentior facile Valquenario, ſolertiſſimo critico, qui orationi Euangeliſtae adiectiua feminina pro maſculinis hoc in genere reſtituenda eſſe cenſuit [43]. Iidem Attici, Phrynicho, Moeride, Herodiano [44], aliiſque grammaticis [45], auctoribus, ab vſu vocabuli neutrius comparatiui τάχιον ita abſtinuerunt, vt pro hac illius forma vſurparint formam θᾶττον, quam adeo in Heſychiano Gloſſario explicatam illa altera offendimus. Hanc enim Macedonum lingua ita frequentare coepit, vt Atticae formae memoria in ſermone cotidiano, vitaque communi, omnino deleretur. Itaque nemini debet vllo modo mirum videri, in libris Veteris Teſtamenti [46], qui vulgo Apocryphi vocantur, non minus, quam in Noui Teſtamenti voluminibus [47], nuſquam θᾶττον, vbique τάχιον, legi. Iidem librorum ſacrorum vtriuſque aetatis, et auctores, et interpretes, diſtinxerunt orationem etiam formis nominum ſubſtantiuorum, et adiectiuorum, deminutiuorum, et denominatiuorum, aduerbiorum denique, et coniunctionum, iis, quae eſſent, grammaticis quidem antiquis auctoribus, ab Atticis eorum formis prorſus alienae: quod genus ἀλέκτωρ pro ἀλε-

42. Vid. Eſai. 8, 21. 1. Regg. 18, 2. Ier. 17, 18. 1. Macc. 9, 24.

43. Specim. annotatt. critt. in locos quoſdam N. T. p. 383. f.

44. Vid. index Theophraſteus, et Aeſchineus, v. ταχὺ, et ταχύς.

45. Vid. Thomas Magiſter v. θᾶττον, cuius obſeruatione auxit Lexicon ſuum Phauorinus.

46. Sap. 13, 9. 1. Macc. 2, 40.

47. Ioh. 13, 27. 20, 4. 1. Tim. 3, 14. Hebrr. 13, 19. 23.

ἀλεκτρυὼν[48], σκοτία pro σκότος[49], ὀρθρινὸς pro ὄρθριος[50], κοράσιον pro κόριον, vel κορίδιον[51], βασίλισσα

48. Matth. 26, 34. 74. 75. Marc. 14, 30. 68. 72. Luc. 22, 34. 60. 61. Ioh. 13, 38. 18, 27. coll. τοῖς ὁ Prouerbb. 30, 31.: vbi Aqu. et Theod. habent ἀλεκτρυών. Thomas Magister: Ἀλεκτρυὼν, καὶ ἐπὶ ἄῤῥενος, καὶ ἐπὶ θήλεος, λογογράφοι· — τὸ δὲ ἀλέκτωρ οὐχ Ἑλληνικὸν ὅλως· sed in Lexico Phauorini, qui verba Thomae exscripsit, legitur ὡς τὸ ἀλέκτωρ Ἑλληνικὸν ὅλως, repugnante, vt opinor, mente grammatici. Hic enim docere voluisse videtur, vsum nominis ἀλέκτωρ ne communis quidem linguae fines omnes esse peruagatum. Certe e locis scriptorum, quos eius interpretes contra attulerunt, cognoscitur tantum, id fuisse vocabulum poëticum, quo tamen ipsi poëtae lyrici, tragici, et comici, perquam raro vsi sint, atque e Dorica dialecto in communem esse arcessitum.

49. Matth. 10, 27. Luc. 12, 3. Ioh. 1, 5. 6, 17. 8, 12. 12, 35. 46. 20, 1. 1. ep. Ioh. 1, 5. 2, 8. 9. 11. coll. Iob. 28, 3. Mich. 3, 6.: vbi tamen exemplum Complut. pro σκοτία habet σκότος ex alia haud dubie versione. Moeris: Σκότος, οὐδετέρως, Ἀττικῶς· σκοτία, Ἑλληνικῶς. Thomas Magister: Ὁ σκότος, καὶ τὸ σκότος· τὸ δὲ σκοτία οὐκ ἐν χρήσει· nempe apud Atticos. Nam apud Eurip. Phoenn. 348. Iocasta inducitur loquens Dorice, ita, vt Macedonica dialectus istam vocabuli formam petiisse videatur e Doriensium lingua.

50. Apoc. 22, 16.: vbi tamen Grisbachius cum Bengelio pro καὶ ὁ ὀρθρινὸς edidit ὁ πρωϊνός. Etiam Luc. 24, 22. pro ὄρθριαι cod. Alex. et Cantabrig. Bezae habent ὀρθριναί· coll. Hos. 6, 5. 13, 3. Phrynichus pag. 16.: Ὀρθρινὸς οὐκ, ἀλλ᾽ ὄρθριος· vel, vt in editione principe legitur, Ὀρθρινὸς οὔ· ἀλλ᾽ ὄρθριος, χωρὶς τοῦ ν. Thomas Magister: Ὄρθριος, οὐκ ὀρθρινός.

51. Matth. 9, 24. s. 14, 11. Marc. 5, 41. s. 6, 22. 28. coll. Esth. 2, 7. 9. 12. Pollux 2, 17. κόριον, κόρη, κορίσκιον· τὸ δὲ κοράσιον, εὐτελές. Phrynichus p. 24.: Κόριον, ἢ κορίδιον, ἢ κορίσκη, λέγουσιν· τὸ δὲ κοράσιον, παράλογον. Thomas Magister: Κόριον, ἢ κορίδιον, καὶ κορίσκη, καὶ κόρη, οὐ κοράσιον.

σα pro βασιλὶς, vel βασίλεια [52], ἐξάπινα pro ἐξαπιναίως, vel ἐξαπίνης [53], καθὼς pro καθότι, vel καθά [54]. Praeterea ſedulitas Macedonum, Alexandrinorumque, venuſtatem, et elegantiam, linguae Atticae ita minuere, atque corrumpere, auſa eſt, vt nomina non pauca certis quibuſdam literis, vel auxerit, vel priuarit. Thomas quidem Magiſter tradit, formas vocabulorum τέλεος, et τελέως, elegantiores eſſe, probioreſque, formis τέλειος, et τελείως [55]· quod eius praeceptum

52. Matth. 12, 42. Luc. 11, 31. Act. 8, 27. Apoc. 18, 7. coll. 1. Regg. 10, 1. 4. 10. 13. Eſth. 1, 9. 11. 12. 15. 16. 17. Vid. Index Palaephateus v. βασίλισσα.

53. Marc. 9, 8. coll. Numerr. 6, 9. Ioſu. 11, 7. Thomas Magiſter: Ἐξαπιναίως, Θουκυδίδης, Φίλων, καὶ τινες ἄλλοι· οἱ δὲ ῥητορικοὶ, ἐξαπίνης· τὸ δὲ ἐξάπινα, οὐχ Ἑλληνικὸν ὅλως. Ἐξαπίνης legitur ap. Hippocrat. aphorr. 2, 41. 51. Ariſtoph. Plut. 336. 339. Xen. Cyrop. 6, 2. 10., vt ἐξαπίνας, apud Theocritum Idyl. 9, 34. 14, 32. 20, 20. 26, 14.

54. Matth. 21, 6. 26, 24. 28, 6. — coll. 1. Parall. 24, 31. 26, 12. — Thomas Magiſter, et ex eo Phauorinus: Καθότι, καὶ καθά· τὸ δὲ καθὼς παρὰ τοῖς δοκίμοις οὐκ ἔστι. Moeris: Καθότι, Ἀττικῶς· καθώς, Ἑλληνικῶς. add. Phrynichus p. 188., et Manuel Moſchopulus in ſylloga nominum Atticorum v. καθά, qui vocabulum καθὼς Alexandrinorum dialecto tribuit, qua libri diuini compoſiti ſint. Legitur quidem nunc in libris Herodoti 9, 82. Παυσανίην ὦν — κελεῦσαι τούς τε ἀρτοκόπους, καὶ τοὺς ὀψοποιοὺς, κατὰ ταυτὰ καθὼς Μαρδονίῳ δεῖπνον παρασκευάζειν· ſed dubitari vix poſſe videtur, quin vocabulum καθὼς, vt alienum, induci debeat, adiectum a grammaticis, qui vim formae loquendi κατὰ ταυτὰ Μαρδονίῳ non aſſequuti fuerint.

55. Thomas Magiſter: Τέλεος, καὶ τελέως ἐπίῤῥημα, καὶ τελεῶ, δοκιμώτερα, ἢ μετὰ τοῦ ι. Sic ap. Aeſchyl. Agamemn. 1513. eſt, τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας, vt ap. Pindar. Pythth. 8, 33. ſ. τελέαν δ' ἔχει δόξαν ἀπ' ἀρχᾶς, et ap. Herodo. 1, 183. τὰ τέλεα τῶν προβάτων· 5, 20. οἴκατε πανδαισίῃ τελέῃ εἰστιῆσθαι.

ptum eo pertinere videtur, vt Attici ſcripſiſſe τέλεος, et τελέως, Alexandrini dixiſſe τέλειος, et τελείως, putentur. Certe aduerbium τελέως in plurimis ſcriptorum Atticorum codicibus intactum etiamnunc extat [56], in paucis in τελείως conuerſum offenditur [57]. Nomen vero τέλειος quanquam non ignoramus hodie in pleriſque locis librorum Platonis, aliorumque [58], legi: tamen neque nos fugit, in nonnullis eorum locis [59] alteram vocabuli formam cerni a librariis relictam: et quis neſcit, quam mirabiliter ſaepe vniuerſus manuum librariorum, recentiorum maxime, conſenſus ad delendam ſcripturae verborum Atticae memoriam conſpirauerit? Accedit, quod in omnibus libris Noui Teſtamenti [60], verſioniſque Teſtamenti Veteris Alexandrinae [61], vbique ſcriptum τέλειος, et τελείως, videmus. Hac autem ipſa ex re quis non exiſtimandum eſſe arbitretur, iſtam vocabulorum formam ex Alexandrinorum ductam eſſe lingua, alteram vindicari dialecto Atticorum debere? Ego quidem formas no-

56. Vid. Xen. Cyrop. 8, 7. 3. Oecon. 11, 1. Sympoſ. 8, 35. Ageſil. 1, 1. Plato Polit. 1. p. 380. Baſ. 2.: vbi eſt, τελεώτατα ὅσα ἄδικος.

57. Vid. Xen. Cyrop. 3, 3. 18.: vbi cod. Altorp., et libri editi veteres, habent τελείως ἀγαθός· ſed in cod. Guelf. ſcriptum legitur τελέως ἀγαθός· quomodo iam Erneſtius in Gloſſar. Polyb. v. τελείως reſcribendum eſſe cenſuit.

58. Vt ap. Xen. Cyrop. 1, 2. 4.

59. Apud Plat. Polit. 1. p. 377. Baſ. 2. legitur, ἐὰν ἐπὶ τὴν τελεωτάτην ἀδικίαν ἔλθῃς. Cratyl. 20. τέλεος σοφιστής. Sic etiam ap. Herodo. 6, 57. pro ἱρήϊον τέλειον reſcribi haud dubie oportet ἱρήϊον τέλεον.

60. Matth. 5, 48. 19, 21. Phil. 3, 15. 1. Pe. 1, 13.

61. Gen. 6, 9. Deut. 18, 13. 2. Sam. 22, 26. — Iudith. 11, 6.

nominum τὰ νοσσία, et ἡ νοσσιὰ, puto a Matthaeo [62], et Luca [63], ex eodem hauſtas eſſe fonte. Huius enim vtriuſque vocabuli figurae veſtigia remanſerunt loco non vno verſionis ſeptuagintauiralis Veteris Teſtamenti in omnibus codicibus [64]: et quanquam in codice Alexandrino fere vbique ſcriptum νεοσσὸς extat [65]: tamen hoc non dubium eſſe, vt opinor, cuiquam poteſt, quin pro ſcriptura iſta, caeterorum codicum auctoritate, reponenda ſit ſcriptura νοσσὸς, adeo, vt in illo quoque Leuitici loco [66], quem in Lucae commentariis [67] laudatum videmus, pro νεοσσοὺς ſubſtitui, indicio duorum librorum, quos Matthaeio, clariſſimo viro, inſpicere nuper contigit, νοσσοὺς debeat. Phrynichus enim, diligentiſſimus grammaticus, eo, quod docet [68], veteres, id eſt, Atticos, νεοττὸς, et νεοττίον, dixiſſe, ſed νοσσὸς, et νοσσίον, vt malae notae vocabula, reiicienda eſſe, ſatis declarat, Alexandrinorum linguam formas nominum νοσσὸς, et νοσσίον, non νεοσσὸς, neque νεοσσίον, vſurpaſſe. Hoc autem ipſum

62. C. 23, 37.

63. C. 13, 34.

64. Deut. 22, 6. 32, 11. — Pſ. 83, 3.

65. Leuit. 5, 7. 11. 12, 8. 14, 22. 30. 15, 14. 29. Numerr. 6, 10.

66. C. 12, 8.

67. C. 2, 24.

68. p. 88. Pau.: Νοσσὸς, νοσσίον, ἀμφοῖν λείπει τὸ ε· διὰ τοῦτο ἀδόκιμα. Λέγε οὖν νεοττὸς, νεοττίον, ἵνα ἀρχαῖος φαίνῃ. Repetiit hoc quoque praeceptum doctiſſimi grammatici in Lexico ſuo Phauorinus: in quo tamen male editum eſt νόσσον, νόσσιον, ſed nomen Ἀττικὸς, quod inſertum ibi poſt vocabulum ἀρχαῖος legitur, etiam princeps eclogarum Phrynichi editio exhibet eodem in loco poſitum. Sed ap. Eurip. Alceſt. 403. eſt νεοσσὸς, et ap. Aeſchyl. ſept. c. Thebb. 509. νεοσσῶν· vt ap. Herodo. 2, 68. ὁ νεοσσὸς, et 3, 111. ἐς νεοσσιὰς, ἀγχοῦ τῶν νεοσσιέων, et ἐπὶ τὰς νεοσσιάς.

ipſum Phrynichi praeceptum quum etiam ab Thoma Magiſtro propoſitum eſſe appareat [69]: quis neget, huius quoque hominis in eclogis pro νεοσσὸς, νεοσσίον, et νεοσσιὰ, reſcribi oportere νοσσὸς, νοσσίον, et νοσσιὰ, praeſertim quum in codicibus Leidenſibus duobus diſerte ſcriptum νοσσίον, et νοσσιὰ, legatur?

V. Sed recentiores Graeci etiam verborum formas veteres, atque Atticas, tollendis, et eximendis inde, literis, mutare aggreſſi ſunt, neque ſolum noua temporum quorundam, eorumque perſonarum, genera fingere, vel potius obſoleta reuocare, antiquiſue nouam poteſtatem tribuere, inſtituerunt, ſed etiam inſolentem verborum nonnullorum conſtructionem ſectari coepere. Attici quidem ſcriptores [70], vt ipſe Homerus [71], de iis, qui *vigilant*, reperiuntur vſurpaſſe verbum ἐγρηγορεῖν [72]· ſed Alexandrina dialectus hanc verbi formam ita mutilauit, vt, ſublata prima ſyllaba, γρηγορεῖν dixerit, quae verbi figura, Phrynicho auctore [73], parum elegans, vt

69. Thomas Magiſter: Νεοττὸς, νεόττιον, καὶ νεοττιὰ, Ἀττικοὶ, οὐ νεοσσὸς, οὐδὲ νεοσσίον, καὶ νεοσσιά.

70. Vid. Ariſtoph. Eccleſſ. 32.

71. Odyſ. ύ, 6.

72. Scilicet Perf. med. verbi ἐγείρω eſt ἤγορα, Attice ἐγήγορα, et, inſerta litera ρ̄, ἐγρήγορα, *excitaui me* e ſomno, h. e. *vigilo:* vid. Etymol. M. v. ἐγρηγορῶ, et Euſtath. ad Odyſ. ύ, 6. p. 1880. 20. Rom., quorum verba deſcripſit Phauorinus v. ἐγρηγορόων, et ἐγρηγορῶ· quo quidem tempore Attici maxime ita vtuntur, vt illud referant ad verbum καθεύδω· vid. Plato Phaedon. 16. Theaet. 13. Ariſtoph. Lyſiſtr. 306. Ex hoc igitur tempore extitit aliud praeſens ἐγρηγορῶ, vt ἀποκτονῶ ex ἀπέκτονα, alia ex aliis praeteritis mediis. vid. animaduerſſ. ad Gram. Velleri p. 172. ſ.

73. Phrynichus p. 46. Pau. Γρηγορῶ, γρηγορεῖ, οὐ δεῖ,

in versione Veteris Testamenti septuagintauirali [74], sic etiam in libris alterius Testamenti [75], non vno in loco posita comparet: atque Xenophon [76], et alii, vsi sunt de iis, qui *conniuent*, et palpebras ita motitant, vt claudant pupulas, verbo καταμύειν· sed inde ab Alexandri magni temporibus hoc verbum a Macedonibus, maximeque Alexandrinis, ita est corruptum, Doriensium, vt videtur, exemplo [77], vt, eiecta vocali ᾱ, in tres syllabas contractum vsurparetur. Huius vero verbi formae auctorum temeritatem, eorumque imitatorum leuitatem, Phrynichus [78] grauiter, atque ita, reprehendit, vt iis etiam barbarismi studium exprobrarit. Quam communis enim, quamque vulgaris, fuerit huius verbi figurae vsus, non solum versio Veteris Testamenti Alexandrina loquitur, cuius libri omnes tribus eam in locis [79] ostendunt, et cuius ex fonte ean-

δεῖ, ἀλλ' ἐγρήγορα λέγειν, καὶ ἐγρήγορεν. Eustathius ad Odys. ύ, 6.- p. 1880. 26. Rom. Καὶ Ὅμηρος μὲν τετρασυλλάβως οἶδεν ἐγρηγορῶ· αἱ δὲ ὕστερον καὶ γρηγορῶ τρισυλλάβως, ὅπερ οὐ φιλεῖται τοῖς ῥήτορσιν.

74. Ier. 5, 6. 31, 28. add. Theodot. Dan. 9, 14.

75. Matth. 24, 42. f. 25, 13. 26, 38. 40. f. Marc. 13, 34. 35. 37. 14, 34. 37. 38. Luc. 12, 37. 39. Act. 20, 31. 1. Corr. 16, 13. Col. 4, 2. 1. Thess. 5, 6. 10. 1. Pe. 5, 8. Apoc. 3, 2. 3. 16, 15.

76. Cyrop. 8, 3. 12. Aristoph. Vespp. 92.

77. Conf. Gregorius in de dialectis pag. 166. n. 167. Koen.

78. p. 150. Pau.: Καμμύει· τοσαύτη κακοδαιμονία περί τινας ἐστι τῆς βαρβαρίας, ὥστ', ἐπειδὴ Ἄλεξις κέχρηται τῷ καμμύειν ἠμελημένως ἐσχάτως, αἱρεῖσθαι καὶ αὐτοὺς οὕτω λέγειν· δέον, ὡς οἱ ἄριστοι τῶν ἀρχαίων, καταμύειν. Praeter Alexin etiam Antiphanes hac forma verbi vsus est ἐν Ἀγροίκοις apud Athenaeum 10, 13. p. 446. A.

79. Esai. 6, 10. 29, 10. Threnn. 3, 44.

eandem Matthaeus [80], et Lucas [81], vocem quandam Esaiae vatis [82] referentes, ita hauserunt, vt huic verbo simplicem notionem *claudendi*, et cohibendi, Xenophontis [83] exemplo, si quidem libellus, qui inscribitur Κυνηγετικὸς, eum habet auctorem, subiecerint, sed vel maxime grammaticorum veterum consuetudo declarat, qui verbum simplex *μύειν* interpretati composito verbo *καμμύειν* reperiuntur [84]. Et quis ignorat, Atticos veteres vsurpasse formas verborum γιγνώσκειν, et γίγνεσθαι, sed Macedonas, Alexandrinosque, exemisse inde literam γ, hancque vtriusque verbi figuram ita immutatam ex eorum lingua, cum in versionem prophetarum septuagintauiralem, tum in libros Euangelistarum, Apostolorumque, venisse [85]? Idem autem ille Phrynichus elegantiae, et munditiei, Graecae studiosos admonet [86], vt ab vsu, et futuri ἀπελεύ-

80. C. 13, 15.

81. Actt. 28, 27. Gloss. vett. Καμμύω *Cobibeo, conniueo.*

82. C. 6, 10.

83. Cyneg. 5, 11.

84. Hesychius: Μύει· *καμμύει*. Suidas, et ex eo Phauorinus: Μύω· τὸ καμμύω· Ἀττικῶς. Eustathius ad Il. β', 219. p. 207. Rom. Κἀνταῦθα δὲ [ἐν τῷ καμμύω] ἡ κατὰ πρόθεσις καθ' ἕξιν σύγκειται· καὶ ὁ λογίζεται παρακεῖσθαι τῷ μύω ῥήματι· καὶ διὰ τοῦτο λογιζόμενον, ὡς ἁπλοῦν, οὐκ αὐξάνει ἔσωθεν, ὡς τὰ ἐκ προθέσεως συγκείμενα ῥήματα, ἀλλὰ καὶ ἔξωθεν· οὐ γὰρ μόνον κατέμυσε φαμὲν, ἀλλὰ καὶ ἐκάμμυσε. Ex quo quidem iudicari facile potest, quomodo apud Xen. Cyrop. 8, 3. 12. pro *μύων* in codicem Altorpinum irrepere *καμμύων* potuerit.

85. Vid. ad Aeschin. Socrat. 1, 10. 2.

86. p. 12. Pau.: Ἀπελεύσομαι παντάπασι φυλάττου· οὔτε γὰρ οἱ δόκιμοι ῥήτορες, οὔτε ἀρχαία κωμῳδία, οὔτε Πλάτων, κέχρηται τῇ φωνῇ· ἀντὶ δὲ αὐτοῦ τῷ ἄπειμι χρῶ, καὶ τοῖς ὁμο-

λεύσομαι pro ἄπειμι, quod multis in locis versionis Veteris Testamenti septuagintauiralis [87], librorumque Noui Testamenti [88], legitur, et praeteriti τέτευχα, quod sit *assequutus*, *consequutus*, *adeptus*, *sum*, se abstineant, pro quo eos τετύχηκα dicere iubet. Et profecto Attica dialectus hanc posteriorem praeteriti formam semper ita vsurpauit, sed Alexandrinis eam commutare superiore illa forma, qua ipse Paulus in epistola ad Hebraeos vsus est [89], placuisse videmus [90]. Quo magis

ὁμοειδέσιν ὡσαύτως· et p. 174.: Τέτευχε τιμῆς, τέτευχε τοῦ σκοποῦ, μὴ λέγε, ἀλλ᾽ ἀντ᾽ αὐτοῦ τῷ δοκίμῳ χρῶ, τετύχηκε. Thomas Magister: Τέτευχε τιμῆς, ἀδόκιμον λέγειν· τὸ δὲ τετύχηκε, δόκιμον· quam obseruationem Phauorinus repetiit in Lexico suo, in quo tamen addita leguntur verba, τὸ γὰρ τέτευχεν ἀντὶ τοῦ κατεσκεύαζεν ἐστίν· vt in cod. Parisiensi Thomae primo, qui idem rectius legit κατεσκεύασεν. Sic Xen. Cyrop. 4, 2. 2. νίκης τε γὰρ τετυχήκαμεν, καὶ σωτηρίας.

87. Gen. 19, 2. 24, 55. Deut. 28, 41. Iudd. 19, 9. 2. Sam. 20, 21. Moeris: Ἄπεισιν, Ἀττικῶς· ἀπελεύσεται, Ἑλληνικῶς. Thomas Magister, et ex eo Phavorinus: Ἄπεισιν, Ἀττικοί, οὐκ ἀπελεύσεται.

88. Matth. 25, 46. Ioh. 6, 68. Romm. 15, 28. Sic εἰσελεύσεται Matth. 7, 21. Marc. 10, 23. Luc. 18, 24. Ioh. 10, 9. Act. 20, 29. Hebrr. 3, 11. 18. 4, 3. 5. Apoc. 3, 20. coll. Gen. 6, 18. 20. Ex. 3, 18. 14, 17.: προελεύσεται Luc. 1, 17. coll. Eccles. 32, 11.: ἐξελεύσεται Matth. 2, 6. 13, 49. Ioh. 10, 9. Act. 7, 7. Apoc. 20, 8. coll. Ex. 8, 29. 16, 4. Suidas, et ex eo Phavorinus: Ἔξειμι, οὐκ ἐξελεύσομαι, λέγουσιν Ἀττικοί.

89. C. 8, 6. διαφορωτέρας τέτευχε λειτουργίας.

90. Iob. 7, 2. τετευχὼς σκιᾶς. Ita legunt omnes libri, praeter cod. Alex, qui habet τετυχηκώς. Sed etiam apud Cornutum N. DD. c. 15. pag. 163. Gal. legitur, τὸν τετευχότα ἀμοιβῆς ἐστάναι χαριστικῆς, et apud Euryphamum, Pythagoreum, in exec. libri de vita p. 665. Gal. τᾶς ἐκ τῶν θεῶν ἐπικου-

magis autem, grammaticis antiquis auctoribus, constat, et quo pluribus confirmatum exemplis habetur, tertiam personam pluralem imperfecti, aoristique secundi, indicatiui actiui, vt aliorum verborum, ita etiam eorum, quae vulgus grammaticorum contracta appellat, in eadem lingua Alexandrinorum syllabis *οσαν* esse terminatam [91]: eo vehementius sane mirandum esse intellego, Erasmum Schmidium, virum Graece haud indoctum, in epistola Pauli ad Romanos [92] pro ἐδολιοῦσαν edere ἐδολίωσαν ita ausum esse, vt nec vllam huius correctionis scilicet caussam attulerit. Etenim meminisse debebat, primum verba Dauidis [93] ab Apostolo laudata esse e versione septuagintauirali, cuius in exemplis ad vnum omni-

κυρήσιος τέτευχε. Vnde suspicamur, Alexandrinos hanc praeteriti formam revocasse e lingua Doriensium.

91. Lex. bibl. Coislin. p. 482.: Ἐλέγοσαν, ἐγράφοσαν, καὶ τὰ ὅμοια, Ἀλεξανδρεῖς λέγουσιν. Λυκόφρων Ἀλεξάνδρᾳ [v. 21.], Ναυτολίαζον [l. Ναῦται λίαζον], κἀπὸ γῆς ἐσχάζοσαν. Auctor Etymologici magni hanc tertiae personae pluralis formam Boeotis tribuit v. δόλιος p. 282. et v. ἤλθοσαν p. 426. Sylb.: Aristophanes grammaticus Chalcidensibus, et Heraclides Asianis, apud Eustathium ad Odyss. ξ' pag. 1759. 1761. Rom. Scilicet hae ciuitates omnes eam e lingua Doriensium assumsisse videntur, primo Boeoti, et Chalcidenses, postea Asiani, tandem Aegyptii, et Alexandrini. Atque eodem modo extitisse, et propagatam esse, arbitror tertiam personam pluralem imperf. et aor. 2. indicat. act. verborum in *μι* desinentium. Certe apud Hesiodum Θεογον. 30. legitur ἔδον, et apud Pindarum Pythth. 3, 114, τίθεν.

92. C. 3, 13. Sic codd. nonnulli Marc. 8, 11. pro ἐξῆλθον habent ἐξήλθοσαν, et 2. Thess. 3, 6. παρελάβοσαν, pro παρέλαβε, quod Grisbachius in ordinem recepit, quum Matthaeius ediderit παρέλαβον.

93. Ps. 5, 10.

omnibus scriptum ἐδολιοῦσαν ita legeretur, vt haec ipsa imperfecti forma etiam ab Etymologici magni conditore [94] notata esset: deinde in eadem illa librorum Veteris Testamenti versione plura alia eiusdem generis imperfecti verborum similium exempla, velut ἐγεννῶσαν [95], ἐπηξονοῦσαν [96], ἠνομοῦσαν [97], παρετηροῦσαν [98], inueniri. Neque tamen ignoro, etiam ἐξείρποσαν, non ἐξήρποσαν, quod in Aquilae, et Theodotionis, reliquiis apud Mosen [99] de Israëlitis genus suum magna copia propagantibus pro verbo Hebraico יִשְׁרְצוּ legitur, viris doctissimis sine caussa, vt apparet, mendae nomine suspectum fuisse, ita, vt Montefalconius [100] ἐξείρπωσαν, non ἐξήρπωσαν, verbum nouum, et inusitata potestate praeditum, alii

94. v. δόλιος p. 282. Sylb.

95. Gen. 6, 4.: vbi tamen Complutense exemplum habet ἐγέννησαν.

96. Numerr. 1, 18. in cod. Vatic. pro verbo Hebraico יִתְיַלְדוּ. nam in exemplo Complut. legitur ἐπεσκέψαντο, et in cod. Alex. atque Lips. ἐπεσκέπησαν. Videtur autem ἐπαξονεῖν, non ἐπαξονοῦν, esse, non tam *in tabulas referre*, quam potius *in tabulas referendum curare*, quod fere ἀπογράφεσθαι dicitur. v. Montefalconius ad h. l. Verbum ipsum in Lexicis Graecis non est notatum. Sic vero apparet, nec Bonfrerium acute vidisse, qui, auctore Bilio thes. philol. v. ἐπαξονόω, pro ἐπηξονοῦσαν reponi iussit ἐπεξόνωσαν. Certe scribi ἐπηξόνωσαν debebat.

97. Ez. 22, 11. in cod. Vatic. et Alex. nam in exemplo Complut. est ἠνόμουν, et in Ald. ἠνόμησαν.

98. Susan. v. 12.

99. Ex. 1, 7.: vbi Montefalconius in Hexaplis Origenianis e codd. suis, et exemplo Romano, edidit A. Θ. ἐξήρποσαν· sed in catena ab Nicephoro edita p. 553. Aquilae tribuitur ἐχέοντο, ita, vt nec Theodoretus quaest. 1. in Ex. p. 120. To. 1. Hal. dissentiat. Scilicet ἐχέοντο videtur petitum esse ex altera Aquilae versione, ἐξείρποσαν e prima.

100. Vid. Lexicon eius He-

alii [101] ἐξείρπυσαν, non ἐξήρπυσαν, quod esset a verbo ἐξερπύζειν, non ἐξερπύειν, ductum, reponendum censuerint. Sed vt Moeris vsum imperfecti ἤμην linguae Graecorum communi tribuit [102]: ita Phrynichus quoque, etsi non negat comparere in libris Graecorum veterum, et Atticorum, hanc imperfecti formam, tamen qui pure, et emendate, loqui, atque scribere, velint, eos pro ἤμην dicere, et ponere, ἦν iubet [103]. Quae quidem animaduersio doctrinam, et diligentiam, vtriusque grammatici satis probat, et loquitur. Etenim quum apud Homerum [104], Hesiodum [105], Platonem [106], aliosque scriptores Atticos [107], Dualis ἤστην legatur: quis dubitet, quin prima quoque huius temporis persona singularis fuerit tum vsitata? Hanc autem ipsam personam quum poëtae tantum tragici [108], Atticaeque linguae auctores ii, qui orationi vellent ornatum quendam, atque dignitatem, verbis priscis, eorumque formis raris, conciliare, locis

Hexapl. p. 579. In eandem coniecturam incidit Ernestius biblioth. theol. nou. Vol. 9. p. 392.: et Bilius adeo contulit in thesaurum philolog. verbum ἐξερπόω.

101. Vid. Scharfenbergius animaduerss. in fragmm. verss. Graecc. spec. I. p. 50.

102. Moeris: Ἦν, Ἀττικῶς· ἤμην, Ἑλληνικῶς.

103. Phrynichus p. 60.: Ἤμην, εἰ καὶ εὑρίσκεται παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, οὐκ ἐρεῖς, ἀλλ' ἦν ἐγώ. Sed Phavorinus in Lexico hanc obseruationem Phrynichi temere diffinxit ita, Ἤμην οὐχ εὑρίσκεται παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, ἀλλ' ἦν ἐγώ. Thomas Magister: Ἄπεισιν, Ἀττικοὶ, οὐκ ἀπελεύσεται· καὶ ἀπῆν, οὐκ ἀπήμην· κοινὸν γάρ.

104. Il. ε, 10.

105. Ἀσπ. 50.

106. Phaedon. 45.

107. Aeschines Socr. 3, 1.

108. Sophocl. Aiac. 693. Eurip. Helen. 937.: de quo loco Euripidis, quem laudat Etymol. M. v. ἤμην, v. Piersonius ad Moer. p. 172. Ἧστε habet Aristoph. Ecclesf. 1078.

cis librorum suorum, et carminum, perpaucis inculcarint, vt Xenophon [109]: quis vsum eius consuetudini sermonis Atticorum communi attribuendum esse putet? At quum Alexandrina, et communis, dialectus instituerit imperfectum ἤμην ita frequentare [110], vt sibi illud, tanquam proprium, vindicare voluisse videatur: id quod multitudo exemplorum eius magna, quam vel Euangelistarum commentarii [111], et Pauli Apostoli epistolae [112], continent, ita testatur, vt negari nullo modo possit: quis est, qui non intellegat, quam sapienter, ac vere, praeceperint ea de re grammatici supra memorati? Atque eiusdem virtutis laus Polluci [113] debetur, qui scriptores probos omnes, atque adeo Atticos, de feminis nubentibus aoristo semper medio γήμασθαι, nunquam passiuo γαμηθῆναι, vsos esse tradit. Hic autem aoristus quum ita positus extet in Euangelio Marci [114], et in priore Pauli ad Corinthios epistola [115]: eo minus dubium esse videtur, quin scriptores diuini eum ab Alexandrinis mutuati sint, quo certius habetur, atque exploratius,

109. Cyrop. 6, 1. 7.

110. Vid. Nehem. 2, 15.

111. Matth. 25, 35. 36. 43. Marc. 14, 49. Ioh. 11, 15. 16, 4. 17, 12. Act. 10, 30. 11, 5. 11. 17. 22, 19. 20. Et nuper Matth. 23, 30. pro ἦμεν, plurium, meliorumque, codicum auctoritate, substituerunt ἤμεθα Grisbachius, et Matthaeius. Conf. Valquenarius annotatt. critt. in locos quosdam N. T. p. 384.

112. 1. Corr. 13, 11. Gal. 1, 10. 22.

113. 3, 45. καὶ γῆμαι μὲν ἐπὶ τοῦ ἀνδρὸς λέγεται, γήμασθαι [Herodo. 4, 117.] δὲ ἐπὶ τῆς γυναικὸς, οὐ γαμηθῆναι. Hanc obseruationem Pollucis repetiit Phauorinus in Lexico, sed verbis οὐ γαμηθῆναι temere omissis. Hesychius: Γήμασθαι· γαμηθῆναι.

114. C. 10, 12.

115. C. 7, 39.: vbi etiam v. 34. γαμήσασα de virgine nubente legitur. add. v. 36.

tius, ex eorundem ſermone in libros ſacros tranſiiſſe vſum aoriſtorum γενηθῆναι pro γενέσθαι [116], atque ἀποκριθῆναι pro ἀποκρίνασθαι [117]· quorum hunc quidem a veteribus, qui proprie, atque integre, loquuti ſint [118], ita vſurpatum eſſe ſcimus, vt ſemper ſignificaret *ſecretum*, ſegregatum, diremtum, ſeparatum, *eſſe*, nunquam valeret *reſpondiſſe* [119]: ſed illius auctores videntur Dorienſes fuiſſe [120]. Et quanquam Alexandrini Veteris Teſtamenti interpretes [121] non minus, quam

116. Matth. 6, 10. 8, 13. 9, 29. 15, 28. 21, 42. 26, 42. Marc. 12, 10. Luc. 11, 2. 20, 17. Act. 4, 4. Romm. 9, 29. 11, 9. 1. Corr. 1, 30. 4, 9. 13. 10, 6. 15, 10. 2. Corr. 3, 7. 7, 14. Col. 4, 11. 1. Theſſ. 1, 5. 6. 2, 5. 7. 10. 14. Hebrr. 4, 3. 5, 5. 6, 4. 10, 33. 11, 34. 1. Pe. 1, 15. 2, 7. 3, 6. 2. Pe. 1, 16. coll. Gen. 42, 25. 44, 2. 50, 20. Numerr. 15, 22. 2. Regg. 23, 22. ſ. 2. Parall. 9, 19. 24, 8. Ier. 8, 8. Pſ. 89, 1. Thomas Magiſter: Γενηθεὶς, ἀντὶ τοῦ γενόμενος, οὐδεὶς τῶν δοκίμων· — ἐγενήθη δὲ, καὶ τοὺς καθεξῆς ἅπαντας χρόνους, παρ' οὐδενὶ τούτων [τῶν ῥητόρων] εὑρήσεις. Quare ego aſſentior Audendorpio ad Tho. Mag. pag. 189., qui cenſet, apud Phrynichum p. 40. Pau. legendum eſſe, Γενηθῆναι παρὰ Ἐπιχάρμῳ, καὶ ἔστι Δώριον· ἀλλ' ὁ Ἀττικίζων γενέσθαι λεγέτω.

117. Matth. 15, 23. 22, 46. Marc. 5, 9. Luc. 4, 4. Ioh. 1. 21. 26. —. coll. Gen. 18, 27. 31, 14. Ex. 4, 1. —.

118. Vid. Hom. Il. ε, 12. Thucyd. 4, 72. extr. Hippocrat. de vet. medic. 25. p. 23. de nat. puer. 7. p. 138. 43. p. 163. To. 1. Lind.

119. Phrynichus pag. 40. Pau.: Ἀποκριθῆναι, διττὸν ἁμάρτημα. Ἔδει γὰρ λέγειν ἀποκρίνασθαι, καὶ εἰδέναι, ὅτι τὸ διαχωρισθῆναι σημαίνει· — Εἰδὼς οὖν τοῦτο, ἐπὶ μὲν τοῦ ἀποδοῦναι τὴν ἐρώτησιν, ἀποκρίνασθαι λέγε, ἐπὶ δὲ τοῦ διαχωρισθῆναι, ἀποκριθῆναι. Heſychius, et ex eo Phauorinus: Ἀποκριθῆναι· χωρισθῆναι. Theocrit. Idyl. 8, 74. Οὐ μὰν οὐδὲ λόγον ἐκρίθην ἄπο τὸν μικρὸν αὐτᾷ· ſchol. ἀντὶ τοῦ ἀπεκρινάμην. Τὸ ἀπεκρίθην γὰρ τὸ ἐχωρίσθην δηλοῖ.

120. Vid. Phrynichus p. 40. Pau.

121. Gen. 27, 29. 37, 9. Ex. 18, 7. 20, 5. 23, 24. —.

quam auctores librorum Noui Testamenti [122], verbo προσκυνεῖν datiuum personae pro accusatiuo [123] adiunxisse, exemplo verbi Hebraici הִשְׁתַּחֲוֹת, videri possint: tamen quum Polybius quoque, et alii posteriorum temporum scriptores, eadem verbi constructione vsi reperiantur [124], caussam eius, atque originem, e Macedonica, Alexandrinaque, dialecto ducendam esse arbitramur [125]. Atque eandem putamus sententiam ferendam esse de constructione verbi κληρονομεῖν in Euangelistarum commentariis, et epistolis Apostolorum. Huic enim verbo quum Attici, aliique probi, scriptores addere secundum casum nominum personarum, et rerum, soleant [126]: Euangelistae [127], atque Apostoli [128], sicut septuaginta librorum alterius Testamenti in-

122. Matth. 2, 2. 8. 11. Marc. 5, 6. Ioh. 4, 21. 9, 38. Act. 7, 43. 1. Corr. 14, 25. —. Vid. Vorstius philol. S. c. 36, 1.

123. Herodianus Philetaer. p. 445. Piers.: τὸ Προσκυνεῖν αἰτιατικῇ πτώσει συντάττουσιν, οἷον προσκυνῶ τοὺς θεοὺς, οὐδέποτε δὲ τῇ δοτικῇ, ὥσπερ οἴονταί τινες.

124. Vid. Georgius vindicc. N. T. ab Hebraismis p. 332. s.: Kypquius ad Matth. 2, 8.: Bosius, et Raphelius, ad Matth. 2, 11.

125. Conf. Prolus. 33, 4.

126. Phrynichus p. 52. Pau. Κληρονομεῖν τόνδε· οὐχ οὕτως ἡ ἀρχαία χρῆσις, ἀλλὰ κληρονομεῖν τοῦδε· apud Phauorinum legitur, κληρονομῶ τόνδε ἡ ἀρχαία χρῆσις οὐ λέγει, ἀλλὰ τοῦδε. Moeris: Ἐκληρονόμησε τῆς οὐσίας, Ἀττικῶς· ἐκληρονόμησε τὴν οὐσίαν, Ἑλληνικῶς. Suidas, et ex eo Phavorinus: Κληρονομῶ, ὅτε σημαίνει τὸ μετέχω, καὶ λαμβάνω, Γενικῇ. Schol. Luciani c. indoctum p. 38. To. 2. Graeu. Κληρονομῶ σου, Ἀττικῶς. add. Thomas Magister v. κληρονομῶ, cuius obseruationem integram suum in Lexicon transtulit Phauorinus.

127. Matth. 5, 5. 19, 29. 25, 34. Marc. 10, 17. Luc. 10, 25. 18, 18.

128. 1. Corr. 6, 9. s. 15, 50. Gal. 4, 30. 5, 21. Hebrr. 1, 4. 14. 6, 12. 12, 17. 1. Pe. 3, 9. Apoc. 21, 7.

interpretes [129], reperiuntur pro ſecundo caſu quartum ſubſtituiſſe, non tam propterea, quod ſcirent, verbum Hebraeorum רָשַׁת comitem habere eundem illum caſum, quam quod Macedonum, Alexandrinorumque, linguam hoc ſtructurae orationis genere delectari noſſent. Certe ſcripta Polybii, Plutarchi, aliorumque eiuſdem aetatis auctorum [130], non paucis eius veſtigiis impreſſa cernuntur.

VI. Iam etſi iis, quae de variarum orationis partium, earumque caſuum maxime, et generum, itemque graduum, et temporum, horumque perſonarum, formis nouis, quae in libris Noui Teſtamenti inueniuntur, breuiter hactenus, atque ita, diſputauimus, vt tantum nonnulla earum genera, admonendi cauſſa, non omnia, perſequuti ſimus, ſatis planum factum eſſe putamus, quantum excitare praecepta grammaticorum veterum ea in re poſſent animaduerſionem, et diligentiam, quantum incitare ſtudium, quantum adiuuare operam, eorum, qui cognoſcere naturam, atque ingenium, orationis Graecae Euangeliſtarum, Apoſtolorumque, ita auerent, vt perſpicerent, quantum diſſimilitudinis illa cum oratione ſcriptorum in primis Atticorum haberet: tamen non dubitamus, quin magnitudinem huius vtilitatis multo etiam magis declaratura ſit diſputatiuncula de vocabulis, et formulis, nouis, ſermonique Atticorum inuſitatis, quibus auctores librorum ſacrorum vſi ſunt, et de ſignificatibus inſolentibus, qui nominibus quibuſdam, et verbis, probis tributi ab iiſdem ſcriptoribus leguntur. Quae quidem diſſertatiuncula hanc breui, volente deo,

129. Gen. 15, 3. 4. 7. 8. 22, 17. 24, 60. 28, 4. etc.

130. Vid. Raphelius ad Hebrr. 1, 4. Stephanus theſ. L. Gr. h. v. p. 242. To. 2.

deo, ita subsequetur, vt ipsi tandem de vitiis Lexicorum Noui Testamenti quaestioni finem imponat.

VII. Nunc enim vos, collegae coniunctissimi, a me intellego esse etiam atque etiam rogandos, velitis cras, pro vestro in me, atque discipulos nostros, amore, in auditorium scholae nostrae classicum ita conuenire, vt hymnis mecum laeti, piique, concelebretis benignitatem diuinam, cuius tot, et tanta, documenta adhuc vidimus, atque auribus libentibus, fauentibusque, accipiatis oratiunculam Latinam, qua discipulus classicus, IOH. CHRISTI. ANGELOCRATOR, *Volcmarocomensis*, adulescens nobis ob bonarum literarum cupiditatem, verecundiaeque, et modestiae, studium, in primis carus, *quam necessaria sit, atque vtilis, otii, et quietis, legitimae vsura magistris scholarum minorum idoneis, atque grauibus*, ita docere conabitur, vt etiam laudes, et gratias, agat debitas deo O M. pro omnibus bonis, quibus frui nos hoc quoque anno iussit, curaeque eius, atque prouidentiae, praecipuae quam diligentissime commendet patronorum scholae, et curatorum, et magistrorum, et discipulorum, salutem non minus, quam rei, et ecclesiasticae, et academicae, et ciuilis, Lipsiensis rationes. Has igitur preces adulescentis humanissimi castas ardore nostrarum precum, agite, ita adiuuabimus, vt nobis persuasissimum habeamus, nos, nisi deo coeptis adspirante nostris, fructus disciplinae nostrae laetos, et vberes, neque sequente anno esse vllo modo capturos. Scripsi Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. III. Kal. Ianuarias A. C. CIↃIↃCCLXXXVIIII

PROLVSIO PRIMA ET TRICESIMA

DE VITIO LEXICORVM N. T QVOD CERNITVR IN AVCTORITATE GRAMMATICORVM VETERVM AD PATEFACIENDA VERBA N. T. FORMVLASQVE MACEDONICAS ET ALEXANDRINAS PROBORVMQVE VERBORVM SIGNIFICATVS NOVOS NON ADHIBITA

Q. B. V

Ostendimus nuper, in libris Noui Testamenti inueniri vocabula, atque loquendi formulas, multas nouas, Atticisque inauditas, atque auctores eorum verbis, et nominibus, probis non paucis significatus tribuisse insolentes, et inusitatos, quorum nulla vestigia in eorum scriptis, qui caste, pureque, lingua vsi essent Graeca, comparerent. Hac igitur de nouitate, atque insolentia, orationis Euangelistarum, et Apostolorum, Lexicographi debebant lectores Noui Testamenti ita admonere, vt originem eius e lingua Macedonum, et Alexandrinorum, ducendam esse, auctoritate grammaticorum vete-

rum, verſionis maxime alterius Teſtamenti ſeptuagintauiralis copiis munita, et aucta, docerent. Qua quidem in re eorum operam non parum adiuuare poterat cura, et diligentia, magni illius Salmaſii, ab quo verba Noui Teſtamenti ab vſu linguae Atticorum remota, ſi non omnia, at certe plurima, in aureolo illo de lingua Helleniſtica commentario [1] congeſta eſſe videmus. Sed quum iſti homines neque hoc in genere, non ſine magno conſultorum liberalium detrimento, ſuis ſatis fecerint partibus; vt appareat plane cunctis, quam bona, atque vtilis, ſit haec quoque praeceptio iis, qui naturam, et indolem, orationis ſcriptorum ſacrorum accurate cognoſcere velint: age, exempla nunc quaedam proponamus, cum verborum, et nominum, etiam formularum, a Macedonibus, et Alexandrinis, fictarum, tum vocabulorum, per ſe quidem proborum, ſed noue ab iiſdem vſurpatorum.

II. Nam in commentariis Matthaei [2], Marci [3], et Lucae [4], legitur verbum ἀποκεφαλίζειν de Herode Antipa, qui caput Iohannis Baptiſtae amputari, et demeti, ferro iuſſit, et de ſpeculatore, cuius manu, et opera, rex in iſto facinore vſus perhibetur. Iam vero hoc verbum nuſquam comparet in libris Atticorum, qui eo in genere, vel verbum καρατομεῖν vſurparunt [5], vel for-

1. p. 98. ſſ.
2. C. 14, 10.
3. C. 6, 16. 28.
4. C. 9, 9.
5. Phrynichus p. 150. Pau., et ex eo Phauorinus: Κεφαλοτομεῖν· ἀπόῤῥιπτε τοὔνομα, καὶ Θεόφραστον κεχρημένον αὐτῷ· λέγε δὲ καρατομεῖν. Vnde Gorgo ab Euripide Alceſt. 1118. vocatur καράτομος. Sophocles Philoctet. 619. ſ. p. 501. Cantabr. dixit κάρα τέμνειν, et v. 1203. p. 531. κρᾶτα ἀποτέμνειν.

formulam ἀποτέμνειν τὴν κεφαλὴν [6], quam interpretes Veteris Testamenti formulis ἀφαιρεῖν τὴν κεφαλὴν [7], ἀποκόπτειν τὴν κεφαλὴν [8], et κόπτειν τὴν κεφαλὴν [9], inuitatu Hebraicarum formularum הָסִיר אֶת־רֹאשׁ, et כָּרוֹת אֶת־רֹאשׁ, commutarunt: sed non modo in monumentis scriptorum posterioris aetatis, vt in historia Romana Dionis Cassii [10], et in libris Arriani, quos de Epicteti dissertationibus composuit [11], verum etiam in hymno suppositicio [12], quem Dauides cecinisse,

in-

6. Vid. Herodo. 8, 90. 118. Xen. Agef. 1, 35. Ioseph. Archaeol. 6, 11. pag. 168. 6, 15. extr. pag. 186. Baf. Hinc *decollati* a Xen. anab. 2, 6. 1. 16. vocantur ἀποτμηθέντες τὰς κεφαλάς· qui idem Cyrop. 8, 8. 2. dixit ἀπετμήθησαν τὰς κεφαλάς· quod tamen totum caput, vix dubitandum videtur, quin ab aliena manu profectum sit. Apud Ctesian. Perss. c. 36. est τέμνειν τὰς κεφαλάς.

7. Vid. οἱ ό 1. Sam. 17, 46. 51. 2. Sam. 4, 7. 16, 9. 20, 22. 2. Regg. 6, 32.

8. 1. Sam. 31, 9. in exemplo Aldino versionis septuagintauiralis legitur, καὶ ἀποςρέφουσιν αὐτὸν, καὶ ἐξέδυσαν τὰ σκεύη αὐτοῦ, καὶ ἀποκόπτουσι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. Scilicet verba καὶ ἀποκόπτουσι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ videntur esse verba Aquilae, adscripta a grammaticis ad verba septuaginta interpretum καὶ ἀποςρέφουσιν αὐτὸν, et a librariis in ordinem e margine translata, sed alieno in loco collocata. Conf. Proluss. de verss. Grr. V. T. p. 194. s. Itaque Kircherus, et Tromius, verba illa non debebant tribuere ipsis septuaginta interpretibus: quorum tamen verba mihi in libris editis fere omnibus perperam scripta legi videntur.

9. Sym. 1. Sam. 31, 9. καὶ ἔκοψαν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ· quae verba interpres Latinus vertit, *et praeciderunt caput Saul.* Gloss. vett. Κόπτω, τέμνω, — *Praecido* —.

10. 71, 28. p. 1193. To. 2. Reimar.

11. Vid. Raphelius, Albertius, Kypquius, ad Matth. 14, 10., et Georgius Hierocrit. P. 1. p. 111. s.

12. Ps. 151, 7.

interemto Goliatho Palaestino, fertur, et in Theodotionis reliquiis [13], eadem res verbo ἀποκεφαλίζειν, quod Glossariorum veterum auctores, praeeunte interprete Noui Testamenti Latino [14], verbo *decollare* explicarunt [15], expressa inuenitur. Quis igitur dubitet, quin verbum ἀποκεφαλίζειν ponendum sit in numero eorum verborum, quae Macedonum, Alexandrinorumque, ingenia finxerint? praesertim quum in iisdem dialectis plura alia eiusdem inclinamenti verba frequentata esse constet, quorum vsu nec scriptores Noui Testamenti abstinuerint. Nam Lucas quidem ὀρθρίζειν [16], *diluculo, mane, venire*, dixit pro ὀρθρεύειν [17], ξενίζειν [18], *hospitio excipere*, pro

13 1. Sam. 31, 9. pro ἀποστρέφουσιν in exemplo Complutensi legitur ἀποκεφαλίζουσιν, quod verbum Montefalconius in cod. reg. contra verbum ἀποστρέφουσιν positum offenderat. Suspicor igitur, illud esse ex Theodotionis versione arcessitum: et quaerendum amplius censeo, annon forte ex eo natum sit verbum ἀποστρέφουσιν, ita, vt verba Theodotionis, ἀποκεφαλίζουσιν αὐτὸν, locum, et sedem, verborum Alexandrinorum interpretum, ἀφαιροῦσι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, occuparint. Certe formulam Hebraicam כָּרַת אֶת־רֹאשׁ ab interprete commentariorum Samuelis reliquis quoque eorum in locis [1. Sam. 17, 51. 2. Sam. 20, 22.] formula ἀφαιρεῖν τὴν κεφαλὴν explicatam esse videmus.

14. Matth. 14, 10. Marc. 6, 16. 28. Luc. 9, 9.

15. Gloss. vett. Ἀποκεφαλίζω *Decollo*. Ἀποκεφαλίζει *Decollat*. ὁ Ἀποκεφαλίζων *Speculatus*: h. e. speculator: vt ap. Sen. consol. ad Marciam c. 25. legitur *ignotarum vrbium monstratus*, i. e. monstrator: nam refertur ad *domesticum interpretem*. Vid. Salmasius ad Vopisci Carum p. 481. a Paris.

16. Luc. 21, 38. coll. Gen. 19, 27. Cant. 7, 12. Ps. 62, 1. 77, 34. Hos. 6, 1.

17. Moeris: Ὀρθρεύει, Ἀττικῶς· ὀρθρίζει, Ἑλληνικῶς. Thomas Magister, et ex eo Phauorinus: Ὀρθρεύω — οὐκ ὀρθρίζω. —

pro ξενοῦν [19], et αἰχμαλωτίζεσθαι [20], *captiuum fieri*, *captiuum abduci*, *et abstrahi*, pro αἰχμάλωτον γίγνεσθαι [21]. et in commentariis eiusdem Euangelistae de rebus Apostolorum [22] verbum medium ἐνωτίζεσθαι ita occurrit legentium oculis, vt sit *auribus accipere*, *audire*, cuius adeo actiuum proportionis leges facile doceant proprie quidem *auribus accipere*, *audire*, *iubere* significasse [23], sed ita tamen, vt non raro vim medii haberet [24]. Hoc autem ipsum verbum non putamus ab Alexan-

18. Act. 10, 23. 28, 7. add. Hebrr. 13, 2. coll. Sirac. 29, 25.

19. Vid. index Palaephateus v. ἐπιξενοῦσθαι.

20. Luc. 21, 24. coll. Ezech. 12, 3. Ald. et Alex.

21. Phrynichus p. 192. s. Pau.: Αἰχμαλωτισθῆναι, τοῦθ᾽ ὅπως [l. οὕτως] ἀδόκιμον, ὡς καὶ μὴ Μένανδρον αὐτῷ χρήσασθαι. Διαλύων οὖν λέγε αἰχμάλωτον γενέσθαι. Thomas Magister, et ex eo Phauorinus: Αἰχμάλωτον ποιῶ, καὶ αἰχμάλωτος γίνομαι, Ἀττικοὶ λέγουσιν [haec duo verba libris Phauorini desunt]: αἰχμαλωτίζω δὲ, καὶ αἰχμαλωτίζομαι, καὶ πάντες οἱ ἀπὸ τούτων χρόνοι ἀδόκιμοι παρ᾽ αὐτοῖς [Phauor. παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς ἀδόκιμοι]. Sic ἀνασταυρίζεσθαι, quam verbi formam Stephanus in thesauro non notauit, pro ἀνασταυροῦσθαι, legitur apud Ctesian Persicc. c. 39.

22. C. 2, 14. coll. Gen. 4, 23. Ps. 5, 1. —.

23. Certe ex verbo ἐνωτίζειν Lactantius expressit verbum *inaurire*, quo carent Lexica, ita, vt esset verbum agens. Nam epit. institutt. diuinn. c. 45, 2., *mutis*, inquit, *eloquium dabat*, *surdos inauribat*.

24. Suidas: Ἐνωτίζω· αἰτιατικῇ· τὸ ἀκούω· καὶ ἐνώτισαι [Numerr. 23, 18.], ἄκουσον, εἴσω τῶν ὤτων γενέσθαι ποίησον. Ἐνώτισε δὲ, τὰ νῶτα περιεσκέπασεν. Has glossas Phauorinus in Lexico ita diffinxit: Ἐνώτισαι, ἀντὶ τοῦ ἄκουσον· καὶ ἐνωτίζω, ἀκούω. Ἐνώτισε· τὰ νῶτα περιεσκέπασεν. Posterior earum, quam Hesychius quoque habet, sumta est ex Eurip. Phoenn. 667., quam tamen Reinesius in epistola ad Ioh. Vorstium deinceps laudanda non intel-

le-

drinis Iudaeis e verbo Hebraico הָאזין esse effictum, quae fuit Reinesii [25], Saluinii [26], aliorumque, opinio, immo e sermone illius aetatis communi, et cotidiano, petitum arbitramur. Praeclara enim est, atque latissime patens, Salmasii [27] obseruatio, qui, *Et sane*, inquit, *nullum ferme est eorum nominum, quae tanquam nimis protritae, et abiectae, loquelae improbant critici, quorum pleraque in Vetere, Nouoque, Testamento extant, quin apud aliquem etiam veterum auctorum reperiatur. Quodsi quaedam non alibi inueniantur, praeterquam in sacris literis, causa in eo est, quod non omnes habemus auctores, qui Graece scripserunt. Vix millesima pars restat eorum, qui aliquid commentati sunt. Si omnes extarent: nulla vox tam μονήρης in noua, et vetere, pagina reperiretur, quin χρῆσις eius ex aliquo auctore, qui periit, confirmari posset: praecipue si illi extarent, qui plebeio stilo, et idiotico, res, ac vitas, priuatorum scripserunt.* Certe scriptores recentiorum temporum, vt Gregorius Nazianzenus [28], Cinnamus [29], Iosephus Genesius [30], Zonaras [31], et alii, vsu verbi ἐνωτίζεσθαι tanto opere delectati sunt, vt illud etiam praelatum ab iis verbo ἀκούειν reperiatur. Atque eiusdem generis verbum nouum habetur verbum εὐκαιρεῖν. Hoc

lexit. Nam in libris Suidae editis ante Neocori tempora pro τὰ νῶτα perperam legebatur τὰ ὦτα.

25. epp. ad Ioh. Vorstium ep. 14. p. 39.

26. ad Eustath. p. 1044. not. 11. To. 3. Polit.

27. commentarr. de Hellenistica p. 107.

28. Vid. Reinesius d. l.

29. Vid. Palaeretius ad Act. 2, 14.

30. Vid. Reinesius d. l.

31. Zonaras chronn. pag. 108. 48. To. 1. Volf. verba Xenophontis Cyrop. 4, 2. 11. οἱ δὲ Ὑρκάνιοι ἀκούσαντες τῶν ἀγγέλων commutauit verbis his, καὶ οἱ Ὑρκάνιοι ταῦτα ἐνωτισάμενοι.

Hoc enim ipsum quoque fictum est a Macedonibus [32], vt eo vterentur, vel *de iis*, *qui otium habent*, quibus vacat aliquid facere, qui otium in re aliqua ponunt [33], vel *de his*, *qui otio abundant* [34], vel denique, addito casu ablatiuo plurali nominis *βίος*, *de opulentis*, atque diuitibus [35]. Sed grammatici veteres vsum huius verbi ab omni elegantia adeo abesse iudicarunt, vt barbarum illud, atque ignobile, dixerint [36], et, qui integre, atque incorrupte, loqui vellent, eos de hominibus, quibus otium est, qui multum otii habent, qui otium alicui rei dant, verba Attica *σχολάζειν*, *σχολὴν ἄγειν*, et *εὖ σχολῆς ἔχειν*, vsur-

32. Moeris: Εὐκαιρεῖν οὐδεὶς εἴρηκε τῶν παλαιῶν· Ἕλληνες δέ.

33. Gloss. vett. Εὐκαιρῶ *Vaco*. Εὐκαιρεῖ *Vacat*.

34. Vid. Polybius exc. legatt. 13. p. 548. To. 2. Ern.: vbi tamen recte potest accipi omnino de *otio*.

35. Polyb. exc. Peiresc. 15. p. 52. To. 3. καὶ τοὺς εὐκαιροῦντας τοῖς βίοις ὑποβάλλων τοῖς ὄχλοις. Suidas: Εὐκαιρεῖν· πλουτεῖν. Ὁ δὲ ἐκάλει τῶν πολιτῶν τοὺς δοκοῦντας εὐκαιρεῖν τοῖς βίοις· vbi vid. Neocorus.

36. Etymol. M. p. 740. 50. Sylb. Σχολή, — ἣν οἱ πολλοὶ ἀκύρως καλοῦσιν εὐκαιρίαν· τὸ δὲ εὐκαιρεῖν βάρβαρον· ἀντὶ δὲ τοῦ σχολὴν ἄγειν λέγουσιν Ἀττικοὶ σχολάζειν. Haec ipsa verba leguntur, id quod Neocorus non animaduertit, apud Suidan v. σχολή, cuius tamen libri habent, ἀλλ' ἀντὶ μὲν τοῦ εὐκαιρεῖν, σχολὴν ἄγειν λέγουσιν. Thomas Magister: Σχολὴν ἄγω, καὶ εὖ σχολῆς ἔχω, οὐ σχολάζω· τὸ δὲ εὐκαιρεῖν πάντη ἀδόκιμον. Ita legitur in omnibus libris, etiam in Lexico Phauorini, qui descripsit hanc obseruationem Thomae, omissis tamen verbis, τὸ δὲ εὐκαιρεῖν πάντη ἀδόκιμον. Sed pro οὐ σχολάζω Stoeberus, et Audendorpius, putabant grammaticum scripsisse καὶ, vel ἤ, σχολάζω. recte, vt opinor. Nam σχολάζειν est apud Aristoph. Lysistr. 413.: qui Acharnn. 406. et 408. dixit etiam οὐ σχολή, et καταβαίνειν δ' οὐ σχολή.

pare iusserint [37]. Marcum [38] igitur, et Lucam [39], et Paulum [40], quibus consuetudo loquendi Atticorum incognita esset, ita, vt rationem sequi Alexandrinorum, Macedonumque, cogerentur, quis pure hoc in genere, ac probe, scripsisse putet? Et quis, quaeso, dubitet, quin etiam verba δεκατȣ̃ν, et ἀποδεκατȣ̃ν, quae in commentariis Matthaei [41], et Lucae [42], atque in epistola Pauli ad Hebraeos [43], leguntur, in numerum eorum verborum, quae fuerint dialecto Alexandrinae propria, referri debeant? Nam in Atticorum quidem scriptorum libris ea frustra quaesiueris, sed in versione Veteris Testamenti septuagintavirali iis non vno loco [44] verbum Hebraicum עִשֵּׂר redditum inuenitur. Habet autem verbum ἀποδεκατȣ̃ν potestatem duplicem. Ponitur enim, non tantum *de iis, qui aliquid decimant*, decimas alicuius rei dari sibi iubent, decimas exigunt, et accipiunt [45], quod Paulus [46] δεκάτας λαμβάνειν dixit, sed etiam *de his, qui decimas ab se exigi sinunt*,

37. Suidas: Σχολάζειν, καὶ σχολὴν ἄγειν, ȣ̓κ εὐκαιρεῖν, λέγȣσιν οἱ Ἀττικοί. Phrynichus p. 50. Εὐκαιρεῖν ȣ̓ λεκτέον, ἀλλ᾽ εὖ σχολῆς ἔχειν. Phauorinus: Εὐκαιρεῖν· πλȣτεῖν· ȣ̓ λεκτέον, ἀλλ᾽ εὖ σχολῆς ἔχειν. Sic enim interpungi debet. nam grammaticus ante verba Phrynichi glossae εὐκαιρεῖν adiunxit glossema πλȣτεῖν e Lexico Suidae.

38. C. 6, 31. καὶ ȣ̓δὲ φαγεῖν ηὐκαίρȣν, vel εὐκαίρȣν, vt legunt alii.

39. Act. 17, 21. εἰς ȣ̓δὲν ἕτερον εὐκαίρȣν, ἢ λέγειν τι, καὶ ἀκȣ́ειν, καινότερον.

40. 1. Corr. 16, 12. ἐλεύσεται δὲ, ὅταν εὐκαιρήσῃ.

41. C. 23, 23.

42. C. 11, 42. 18, 12.

43. C. 7, 5. 6. 9.

44. Gen. 28, 22. Deut. 14, 22. 26, 12. 1. Sam. 8, 15. 17. Nehem. 10, 37.

45. 1. Sam. 8, 15. 17. Hebrr. 7, 5.

46. Hebrr. 7, 9. Etiam Iosephus Archaeol. 4, 4. p. 95. Bas. vsus est formula δεκάτην λαμβάνειν.

finunt, eas dant, atque pendunt [47], quod a Iosepho τὴν δεκάτην τελεῖν [48], et τὴν δεκάτην διδόναι [49], dicitur. Atque huiusmodi verba plura alia ab lectoribus Noui Testamenti liberalibus, obseruationis grammaticorum maxime veterum auxilio, in libris Euangelistarum, atque Apostolorum, inuestigari, ac reperiri, facile poterunt.

III. Nunc ad nomina nouata veniemus. Nam veteres quidem Attici omnis generis cibos, qui adhibentur ad panem, et cum eo capiuntur, sed recentiores maxime pisces, ὄψον appellarunt [50]. Macedones autem, repudiato huius vocabuli vsu, ipsi finxere nomen προσφάγιον, quod partes nominis Attici ageret [51], non προσφάγημα, quod Piersonius in opusculo Moeridis recipere in ordinem non debebat. Etenim alii quoque grammatici, et nomen προσφάγιον, vt vile, atque inelegans, vocabulum, notarunt [52], et nomen ὄψον

 illo

47. Gen. 28, 22. Deut. 14, 22. 26, 12.: quibus in locis addita sunt nomina δεκάτην, et τὸ ἐπιδέκατον, quibus exprimeretur, et infinitiuus verbi עַשֵּׂר futuro eiusdem verbi ab ipso Mose adiunctus, et nomen מַעֲשֵׂר. Matth. 23, 23. Luc. 11, 42. 18, 12.

48. Archaeol. 4, 4. p. 95. Basil.

49. Archaeol. 1, 11. p. 15.

50. Vid. Athenaeus 7, 2. p. 276. f. et ibi Casaubonus p. 476. f.: Eustathius ad Hom. Il. λ' p. 867. Rom., cuius verba descripsit Phauorinus v. ὄψον· schol. Ven. ad Il. λ', 629. p. 284. a: Franc. Nansius ad Nonni Paraphrasin Ioh. 21, 60. pag. 236. f. et in curis secc. pag. 54.: Bochartus Hieroz. 1, 1. 6. p. 41. To. 1.

51. Moeris: Ὄψον, Ἀττικῶς· προσφάγιον, Ἑλληνικῶς.

52. Thomas Magister: Ὄψον, οὐ προσφάγιον. Eustathius ad Hom. d. l. p. 867. 54. Δῆλον δὲ, ὅτι καὶ ἐπὶ τοῦ ἁπλῶς προσοψήματος, ταὐτὸν δ' εἰπεῖν κοινῶς προσφαγίου, τὸ ὀψάριον λέγεται ὑποκοριστικῷ τύπῳ.

illo explicarunt [53]. Accedit, quod προσφάγημα in nullo adhuc vllius scriptoris libro repertum est a quoquam, sed προσφάγιον in commentariis Iohannis [54] ita legitur, vt eo *pisces*, iique *elixi*, *assive*, significentur, quos interpres Latinus, et cum eo auctores Glossariorum veterum [55], eleganter [56] *pulmentarium* vocant. Quam quidem Graeci vocabuli interpretationem, non tam Nonni auctoritas [57], quam ipsa orationis Euangelistae series, confirmat. In iisdem Glossariis nomen ἀφεδρὼν, quod ipsum vocabulis a Macedonibus fictis annumerandum esse putamus, aeque scienter verbis Latinis *cloaca*, *conclauis*, *culina*, *forica*, *latrina*, explicatum extat [58]. Videntur autem isti nomini, quod Suidas barbarum vocat [59], notiones subiectae fuisse omnino tres. Prima enim earum, et propria, fuit haec, vt significaret *sellam familiaricam*,

53. Hesychius: Ὄψον· προσφάγιον. Suidas: Ὄψον· πᾶν προσόψημα, ἢ προσφάγιον. Etymol. M. p. 646. Sylb.: Ὄψον σημαίνει τὸ προσφάγιον. Etiam schol. Ven. ad Il. λ', 629. p. 284. a vsus est nomine προσφάγιον de κρομύῳ, pro ὄψον. Conf. Cangius Glossar. v. προσφάγιον.

54. C. 21, 5. coll. Luc. 24, 42. Aristophanes Equitt. 1103. vocat τοῦψον ὀπτόν.

55. Gloss. vett. Προσφάγιον *Pulmentum*, *pulmentarium*.

56. Vid. Gronouius ad Plin. H. N. 22, 25. p. 788. To. 3. et Ioh. Boisius collat. veteris interpretis cum Beza ad Ioh. d. l.

57. Is enim in Paraphrasi Ioh. 21, 5. vocem Iesu, Παιδία, μή τι προσφάγιον ἔχετε; complexus est versibus his [27. s.] Πλωτὰ τελεσσιγόνοιο κομίζετε δεῖπνα θαλάσσης, Παῖδες, ἁλὸς δρηστῆρες.

58. Gloss. vett. Ἀφεδρὼν *Culina*, *conclauis*, et *culina*, *forica*, *latrina*. Ἀφεδρῶνες *Cloacae*. v. Monachius ad varia SS. p. 815.

59. Suidas v. ἀφ' ἑδρῶν· — ὅτι ὁ ἀφεδρὼν, καὶ λουτρὼν, βάρβαρα· et v. λυτρών, atque v. ἀπόπατον· ὁ ἀφεδρὼν, καὶ λυτρὼν, βάρβαρα.

ricam [60], quae in lingua Atticorum θᾶκος dicta est [61], *conclaue*, *secessum*, quum omnibus huius inclinamenti vocabulis proprie loca indicari constet: altera, vt eo intellegeretur *sedes*, podex, anus [62], quem Hippocrates ἕδραν nominat [63]: tertia denique, vt exprimeretur illo *locus*, *in quem excrementa alui egeruntur*, *et confluunt*, quem Attici, probique, scriptores ἀπόπατον, et κοπρῶνα [64], Alexandrini, et Macedones, λυτρῶνα, vel λετρῶνα [65], appellauere. Atque hoc sensu vocabulum ἀφεδρὼν legitur in commentariis Matthaei [66], et Marci [67], qui eo reddidisse videntur nomen Hebraicum מַחֲרָאָה, aut Chaldaicum כְּרְלֵי, vel כָּרְלוֹ. Certe vtrumque vocabulum in antiquis Veteris Testa-

60. Hesychius, et ex eo Phauorinus: Ἀφεδρῶνες· σέλλαι, σελλάρια, σωτήρια, ἀναγκαῖα. Ἄφοδος sic est ap. Aristoph. Ecclesf. 1051. coll. v. 1054.

61. Vid. Theophrastus charr. 14, 2. et ibi Casaubonus.

62. Suidas v. ἀφ' ἑδρῶν· — ἔστι δὲ καὶ εὐθεῖα ὁ ἀφεδρὼν, καὶ σημαίνει τὸ μέρος τοῦ σώματος τὸ περὶ τὴν ἔξοδον.

63. Vid. Foësius Lex. Hippocr. v. ἕδρη.

64. Suidas, et ex eo Phavorinus: Ἀπόπατον [Aristoph. Acharnn. 81.], καὶ κοπρῶνα [Aristoph. Pac. 98. Thesmophorr. 492.], λέγουσιν.

65. Phauorinus e Suida: Λυτρών· ὁ ἀφεδρών. Dissident enim inter se libri veteres in scriptura huius nominis, sed ita, vt habeat vtraque, quo sese tueatur. Nam apud Suidan v. ἀπόπατον est λυτρὼν, sed v. ἀφ' ἑδρῶν legitur λετρών· et 2. Regg. 10, 27. in versione Alex. cod. Vatic. habet λυτρῶνα, cod. Alex. λυτρῶνας, Ald. λετρῶνα. Gloss. vett. Λετρὼν — *latrina*, *culina*. Scilicet λυτρὼν locus iste potest dictus esse a λύμασι, h. e., Suida interprete v. λύματα, καθάρμασι, ταῖς τῆς γαστρὸς εἰς ἀφεδρῶνα ἀποκρίσεσι· sed λετρὼν, quam scripturam Bilius quoque in thes. philolog. probat, a λετρίῳ, h. e., auctore Hesychio, τῷ ῥυπαρῷ ὕδατι.

66. C. 15, 17.

67. C. 7, 19.

Teſtamenti verſionibus iis expreſſum verbis eſſe videmus, quorum vis reperiretur poteſtati nominis ἀφεδρὼν par. Etenim מַחֲרָאָה quidem ab interpretibus Graecis λυτρὼν, vel λϗτρὼν, et κοπρὼν [68], ab Ionathane בֵּית מַפְּקַת אֱנָשָׁא, et ab auctore interpretationis Latinae *latrina*, vocatur: ſed nomen נְוָלוּ interpres libri Eſrae [69] explicauit formula τὸ κατ' ἐμὲ, qua apertum eſt *ſeceſſum*, *foricam*, ſignificari [70]: et quum foricae fuerint apud veteres fere publicae, non priuatae [71]: quis dubitet, quin verba δημεύεσθαι, et *publicari*, quae in verſione ſeptuagintauirali, et Latina vetere, leguntur [72] pro formulis Chaldaicis נְוָלִי אִשְׁתַּוְּאָה, נְוָלִי

68. 2. Regg. 10, 27., vbi pro לְמַחֲרָאוֹת Maſorethae exhibent לְמוֹצָאוֹת, vt Eſai. 36, 12. צוֹאָתָם pro חֲרָאֵיהֶם: quae debent interpretamenta grammaticorum poni: οἱ ό habent εἰς λυτρῶνα, vt legitur in cod. Vatic., vel εἰς λϗτρῶνα, quae eſt exempli Aldini ſcriptura. Nam verba εἰς κοπρῶνα, quae Complutenſe exemplum pro verbis εἰς λυτρῶνα exhibet in ordine, ſed Montefalconius in margine cod. regii inuenit, vindicanda eſſe videntur Theodotioni, aut Symmacho. Verſio enim Chaldaica docet, in codicibus nonnullis antiquis pro plurali לְמַחֲרָאוֹת extitiſſe ſingularem לְמַחֲרָאָה. Sed verba εἰς λϗτρῶνας, quae ab eodem Montefalconio reperta ſunt in margine eiuſdem codicis regii, Aquilan habere auctorem videntur. Vulg. *et fecerunt pro ea latrinas.*

69. C. 6, 11.

70. Nam formulae κατ' ἐμὲ, καθ' ἑαυτὸν, et aliae ſimiles, ita ponuntur, vt ſint *ſeparatim*, *ſeorſim*. vid. Boſius animaduerſſ. ad ſcriptt. Grr. p. 19. ſ. et index Aeſchineus v. κατά. Itaque τὸ κατ' ἐμὲ, intell. χωρίον, eſt *locus ſeparatus*, *ſecretus*, *priuatus*, i. e. *latrina*. Cocceius Lex. Chald. v. נְוָלִי verba τῶν ό, τὸ κατ' ἐμὲ ποιηθήσεται, ab ſe intellegi negat. Conf. Scharfenbergius ad Dan. 2, 5.

71. Vid. Caſaubonus ad Theophraſti charr. 14, 2.

72. οἱ ό Dan. 3, 96. Hebrr. 29. Vulg. Dan. 2, 5. Eſr. 6, 11. Theodotio autem,

גללי אתושמא, et גללו אתעברא, ita posita iudicari debeant, vt idem declarent, quod *latrinam*, latrinas, *fieri*? Neque vero Paulus, qui in priore ad Corinthios epiſtola [73] *foetum abortiuum* ἔκτρωμα dixit, hoc in genere Atticam rationem, ſed Alexandrinum loquendi vſum, ſequutus reperitur. Etenim Attici quidem de *mulierculis abortum facientibus* verbis ἀμβλίσκειν, ἀμβλοῦν, et ἐξαμβλοῦν, vſi ſunt, et *foetus abortiuos* ipſos ἀμβλώματα, et ἐξαμβλώματα, etiam ἀμβλωθρίδια, nominauere [74]: ſed Macedones, et Alexandrini, omiſſa horum verborum elegantia, et verbum

ἐκτι-

tem, qui verbum δημεύεσθαι de *direptione* accepiſſet: Gloſſ. vett. Δημεύω — *Populor* —: Heſychius: Δημεύσεις· ἁρπάσεις· Dan. 2, 5. vſus eſt verbo διαρπαγήσονται· quod ipſum verbum in cod. Alex. legitur Dan. 3, 29., vbi tamen alii libri habent, ἔσονται — εἰς διαρπαγήν· Vulg. *vaſtetur*: ita, vt vix poſſit dubitari, quin Eſr. 6, 11. verba ἔσαι εἰς διαρπαγὴν, quae ſunt in exemplo Complutenſi, eundem Theodotionem habeant auctorem.

73. C. 15, 8.

74. Phrynichus pag. 88. Pau. Ἐκτρῶσαι, καὶ ἔκτρωμα, ταῦτα φεῦγε· λέγε δὲ ἐξαμβλῶσαι, καὶ ἄμβλωμα, καὶ ἀμβλίσκει [l. ἀμβλίσκειν]· et p. 128. Ἐξέτρωσεν ἡ γυνὴ μὴ λέγε, ἐξήμβλωσε δέ· ἔκτρωμα, μηδὲ τοῦτο λέγε· ἐξάμβλωμα δὲ, καὶ ἀμβλωθρίδιον· vel, vt legitur in edit. Callier-gi priore loco, Ἐκτρῶσαι· τοῦτο φευκτόν· λέγε δὲ ἐξαμβλῶσαι, καὶ ἀμβλώσκει [l. ἀμβλώσκειν]. Ἔκτρωμα· μηδὲ τοῦτο λέγε· ἐξάμβλωμα δὲ, καὶ ἀμβλωθρίδιον. In Lexico Phauorini priora verba ita leguntur: Ἐκτρῶσαι, τοῦτο φεύγων, λέγε ἐξαμβλῶσαι, καὶ ἀμβλώσκει· leg. ἀμβλώσκειν. Thomas Magiſter: Ἐξαμβλῶσαι [Ariſtoph. Nubb. 137. 139.], καὶ ἄμβλωμα, καὶ ἀμβλίσκειν [Plato Theaet. 9.], καὶ ἀμβλωθρίδιον, οὐκ ἐκτρῶσαι, οὐδ' ἔκτρωμα, οὐδ' ἐκτιτρώσκειν. add. Euſtathius ad Il. τ' p. 1175. 40. et Cangius Gloſſar, v. ἀπόβαλμα.

ἐκτιτρώσκειν, ex Ionica dialecto reuocatum [75], frequentauere, et nomen ἔκτρωμα ipsi e nomine ἔκτρωσις, quo Iones ipsam *abortionem* significarunt [76], finxere, ita, vt hoc *foetum abortiuum*, illud *abortum facere*, declararet. Phrynichus autem, grammaticus in primis doctus, atque grauis, eos, qui probe loqui, integreque, vellent, vsum vocabuli ἔκτρωμα fugere eo rectius iussit, quo certius esse videmus, illud hodie in libris nullius scriptoris extare, qui Alexandri magni tempora aetate superarit. Namque, post Aristotelem [77], scriptores multi alii, quos constet, non tam Atticam, quam Macedonicam, Alexandrinamque, rationem sequutos esse, hoc nomine vsi inueniuntur: quo in numero sunt auctores versionis Veteris Testamenti [78], quae vulgo septuagintauiralis vocatur. Ex hactenus igitur disputatis quis non intellegit, quam vtilis esse possit diligentia grammaticorum veterum operae eorum, qui in legendis Noui Testamenti libris nomina quoque notare nouata velint?

IIII. Neque vero verba solum singula, atque nomina, noua finxere ingenia Macedonum, sed etiam integras loquendi formulas stylo Atticorum, omninoque proborum scriptorum, incognitas fabricarunt. Atque huius generis formulae, praeter alias innumerabiles, sunt, Phrynicho,

75. Herodo. 3, 32. Hippocrat. aphorr. 3, 12. 5, 31. 34. 37. 44. s. Vid. Foësius Lex. Hippocr. v. ἐκτιτρώσκειν.

76. Vid. Foësius d. l.

77. Vid. Trillerus ad Thomam Magistrum p. 319.

78. Iob. 3, 16. Eccles. 6, 3. In ipso textu Hebraico est nomen נֵפֶל. Hesychius: Ἔκτρωμα· παιδίον νεκρὸν ἄωρον, ἐκβολὴ γυναικός. Sed Numerr. 12, 12. idem nomen ἔκτρωμα legitur pro Hebr. מֵת.

nicho, Moeride, Thomaque Magiſtro, auctoribus, hae; ἀποτάσσεσθαί τινι, ἐσχάτως ἔχειν, et εἰς τὸ μέλλον, quae etiam in libris Noui Teſtamenti leguntur. Etenim de iis, qui ab aliquo ita diſcedunt, vt eum ſalutent, atque valere iubeant, linguam Atticorum nouimus [79] vſam eſſe formula ἀσπάζεσθαί τινα, qua ipſe Lucas orationem illuminauit ſuam [80]: ſed eidem Euangeliſtae [81], ſicut Marco [82], et Paulo [83], viſum eſt in locum eius ſubſtituere formulam ἀποτάσσεσθαί τινι, cuius vſum ipſos dialectus communis, et Macedonica, docuiſſet. Huius autem ipſius ſermonis e fonte quum eandem formulam hauſerint Ioſephus, aliique eius, et generis, et aetatis, ſcriptores [84], qui in maxima etiam diligentia, acerrimoque imitandae orationis Atticae ſtudio, tamen impedire non potuerint, quin calamis ipſorum exciderint verba quaedam, et formulae, ab Macedonibus, Alexandriniſque, confictae: quis formulae ἀποτάσσεσθαί τινι horum ſcriptorum auctoritate elegantiam vindicari ita poſſe arbitretur, vt Phrynichi iudicium, qui eam barbaram, et peregrinam, dixit [85], leue, vanumque, eſſe appareat? Et quia Attici formulam

79. Vid. Xen. Cyrop. 2, 1. 1.

80. Act. 20, 1.

81. C. 9, 61. Act. 18, 18. 22.

82. C. 6, 46.

83. 2. Corr. 2, 13.

84. Vid. Vetſtenius, Carcinus, et Kypquius, ad Luc. 9, 61.

85. p. 10.: Ἀποτάσσομαί σοι, ἔκφυλον πάνυ. Χρὴ γὰρ λέγειν ἀσπάζομαί σοι [l. σε]. Οὕτω γὰρ καὶ οἱ ἀρχαῖοι εὑρίσκονται λέγοντες, ἐπειδὰν ἀπαλλάττωνται ἀλλήλων. Repetiit hanc obſeruationem Phrynichi in Lexico ſuo Phauorinus, in quo tamen καὶ poſt γὰρ deeſt, et pro ἀπαλλάττωνται perperam legitur ἀπαλλάχθωνται.

lam χαίρειν τινὰ κελεύειν, aliaſque ſimiles, quae ipſae proprie *vale alicui dicere*, *valere aliquem iubere*, ſignificarent, etiam de iis vſurparunt, qui *aliquid miſſum faciunt*, ei nuntium remittunt, id deſpiciunt, et neglegunt [86]: hac vrbanitate Attica inuitati Macedones, inſtituerunt ipſi quoque eandem poteſtatem formulae ἀποτάσσεσθαί τινι tribuere. Cuius quidem ſignificatus eius veſtigiis, vt libri aliorum recentioris Graecitatis auctorum [87], ita etiam Lucae commentarii [88], impreſſi comparent. Neque vero formula ἐσχάτως ἔχειν, quae in euangelio Marci [89] de puella ita aegrotante legitur, vt animam ageret, et morti proxima eſſet, atque adeo formulis Latinorum *in vltimis eſſe*, *in extremis eſſe*, reſpondet, originem ſuam alii dialecto, quam Macedonicae, debere videtur. Namque in Atticorum ſcriptis nunc quidem, quod ſciam, nuſquam offenditur: et loci auctorum, quos, vt alii [90], ita maxime interpretes Noui Teſtamenti [91], attulere, vt aſſererent iſti formulae munditiam, quam ipſi abiudicatam eſſe a Phrynicho [92], eoque auctore, etiam

86. Vid. index Aeſchineus v. ἐάν.

87. Vid. Kypquius, et Loeſnerus, V. C., ad Luc. 14, 33. Heſychius, et Suidas: Πολλὰ χαίρειν φράσας· ἀποταξάμενος.

88. C. 14, 33.

89. C. 5, 23. coll. v. 35.

90. Vid. Salierius, et Trillerus, ad Thomam Magiſtrum p. 372. ſ. Conf. Veſſelingius ad Diod. Sic. p. 293. To. 2.

91. Vid. Elſnerus, et Kypquius, et Munthius, et Vetſtenius, ad Marc. 5, 23.: Ioh. Henricus Maius obſervatt. SS. 4. p. 111. ſ.: Suartius Lex. N. T. p. 588.

92. Phrynichus p. 172., et ex eo Phauorinus: Ἐσχάτως ἔχει ἐπὶ τοῦ μοχθηρῶς ἔχει, καὶ σφαλερῶς, τάττουσιν οἱ σύρφακες. Ἡ δὲ τοῦ ἐσχάτως χρῆσις, οἶσθα, ἐπὶ τοῦ ἄκρου παρὰ τοῖς ἀρχαίοις

etiam ab Thoma Magiſtro [93], vidiſſent, partim alieni ſunt, quum grammaticorum doctrina, non aduerbiorum θανασίμως, ἐπιθανατίως, ὀλεθρίως, aliorumque, ſed aduerbii ἐσχάτως, elegantiam hoc in genere oppugnauerit, partim ex eiuſmodi ſcriptorum libris ſumti, quorum ſtylus ab integritate orationis Atticae ita deſciuerit, vt grauitatem praeceptionis Phrynicheae nullo modo labefactare, immo magis etiam confirmare, intellegatur. Et profecto aeque grauis eſt, et lectoribus Noui Teſtamenti aeque vtilis, Moeridis [94] obſeruatio, qui *annum venientem, et inſequentem*, in Attica lingua νέωτα, in ſermone communi, et Macedonico τὸ μέλλον ἔτος, dictum eſſe praeclare animaduertit. Hoc enim hominis praeceptum facile docere poteſt quemque, cur Lucas in euangelio [95] ſcripſerit εἰς τὸ μέλλον, nempe ἔτος, quo nomine paulo ante [96] vſus erat, pro ἐς νέωτα· quam formulam Thomas Magiſter [97] praecipit eſſe Atticam, et recte praecipit, quum principes ſcriptorum Atticorum [98], eorumque imitatores [99], illius vſum conſectati reperiantur, quorum tamen in libris hodie ſcriptum fere εἰς νέωτα extat. His vero formularum dicendi nova-

χαίοις νομίζεται, ἐσχάτως πονηρὸς, ἐσχάτως Φιλόσοφος. Διαγραπτέον οὖν καὶ τοῦτο.

93. Thomas Magiſter: Ἐσχάτως ἔχει ἐπὶ τοῦ μοχθηρῶς οἱ σύρφακες· οἱ δὲ παλαιοὶ ἐπὶ τοῦ ἄκρως τιθέασιν, ἐσχάτως Φιλόσοφος.

94. Moeris: Νέωτα, Ἀττικῶς· τὸ μέλλον ἔτος, Ἑλληνικῶς.

95. C. 13, 9.

96. v. 8.

97. Thomas Magiſter: Ἐς νέωτα, Ἀττικὸν —.

98. Vid. Theophraſtus charr. 3, 2. Xen. Cyrop. 7, 2. 5. 8, 6. 7.

99. Vid. Laërt. 5, 38.

vatarum exemplis, quae in Euangeliſtarum commentariis, epiſtoliſque Apoſtolorum, leguntur, quis non excitetur, vt in conquirendis, collegendiſque, etiam reliquis eiuſdem generis formulis Noui Teſtamenti grammaticos veteres, tanquam duces certos, ſequi, et, quaſi adiutores haud improuidos, adhibere, inſtituat?

V. Sed quum a Macedonibus, et Alexandrinis, conſtet probis quoque, atque elegantibus, verbis, et nominibus, quorum vſu nec Atticae linguae auctores nobiliſſimi abſtinuerint, vim nouam, atque inſolentem, eſſe tributam; quum ſcriptores diuini nec ea in re genus loquendi reliquerint Macedonicum: ſane Lexicographi debuiſſent e libris Moeridis, Phrynichi, aliorumque eiuſdem notae grammaticorum, conferre, et proponere, omnia illa adiumenta, quae ad cognoſcendam hancce orationis Noui Teſtamenti partem pertinerent. Quae quidem iſtorum hominum hoc in genere neglegentia quam inutilis ſit, ſed quam vtilis diligentia eorundem potuerit eſſe, librorum ſacrorum lectoribus, vt plane appareat: age, etiam huiuſmodi, et verborum, et nominum, exempla nonnulla, pro inſtituti noſtri ratione, exhibeamus. Nam Attici quidem verbum περισπᾶσθαι ponere conſueverant de iis, quae cingunt aliquid, et circumplectuntur, ſed inde detrahuntur, atque auelluntur. Macedones autem hoc ipſo verbo vti coeperunt de iis, qui occupantur re aliqua, qui occupationibus, et negotiis, diſtringuntur, ac diſtinentur [100]. Atque hoc ſenſu illud in commen-

100. Vid. Raphelius, et Munthius, ad Luc. 10, 40.: et Boſius ad Tho. Mag. pag. 707.

mentariis Lucae [101] legitur de Martha, Mariae sorore, Iesu hospiti ministrante, atque operam dante. Sed hunc verbi vsum Phrynichus [102], eoque praeeunte, Thomas Magister [103], ita reiecere, vt elegantiae studiosos abstinere illo, et pro verbo περισπᾶσθαι ita, Atticorum exemplo, formulam ἄσχολον εἶναι substituere, iusserint. Hermogenes porro, haud ignobilis rhetor, vitiose loqui ostendit [104] eos, qui verba παρακαλεῖν, et ἐρωτᾷν, ita vsurpent, vt idem valeant, quod verbum δεῖσθαι, quum ii, qui caste, inte-

Yy 2 greque,

101. C. 10, 40. coll. v. 41.

102. p. 182.: Περιεσπάσθην λέγουσί τινες ἐπὶ τοῦ ἐν ἀσχολίᾳ τιθέντες πάνυ κιβδήλως. Τὸ γὰρ περισπᾷν, καὶ περισπᾶσθαι, ἐπὶ τοῦ παραιρεῖν, καὶ παραιρεῖσθαι, τάττουσιν οἱ ἀρχαῖοι. Δέον οὖν ἄσχολος ἦν λέγειν. Transtulit hanc doctissimi grammatici obseruationem in Lexicon suum Phavorinus, in quo tamen, vt in exemplo Calliergi, male legitur ἐπὶ τοῦ ἐν ἀσχολίᾳ γενέσθαι τιθέντες.

103. p. 707.: Περιεσπάσθη τινὲς ἐπὶ τοῦ ἐν ἀσχολίᾳ γενομένου φασὶν ἀμαθῶς, δέον ἄσχολος γέγονε λέγειν. Τὸ γὰρ περισπᾶσθαι [l. περισπᾷν, καὶ περισπᾶσθαι] ἐπὶ τοῦ παραιρεῖν, καὶ παραιρεῖσθαι, λέγουσιν οἱ ἀρχαῖοι.

104. περὶ Μεθόδου δεινότ. c. 3. p. 519. Laurent.: Τὰ ἁμαρτήματα κατὰ τὴν λέξιν κατὰ δύο τρόπους γίνεται, ἀκυρίαν, καὶ παραφθοράν· ἀκυρίαν μὲν, οἷον, ἐὰν εἴπῃ τις ἐρωτῶ, καὶ παρακαλῶ, ἀντὶ τοῦ δέομαι, ἀκύρως εἴρηκε· τὸ μὲν παρακαλεῖν, ἢ καλεῖν ἐστιν, ἢ προτρέπεσθαι, τὸ δὲ ἐρωτᾷν, πυνθάνεσθαι. Suidas: Παρακαλεῖν· τὸ καλεῖν, ἢ τὸ προτρέπεσθαι· ἄκυρον γὰρ τὸ δέεσθαι. Thomas Magister: Παρακαλῶ, τὸ προτρέπω, ὡς ἐπιτοπολύ· καὶ παράκλησις, ἡ προτροπή· ἅπαξ δὲ καὶ τὸ δέομαι. Phauorini autem in Lexico, qui hanc ipsam obseruationem Thomae videtur debere, legitur: Παρακαλῶ, τὸ προτρέπομαι· ὅθεν καὶ παράκλησις, ἡ προτροπὴ, καὶ ἡ παραχίνησις· σπανίως δὲ καὶ τὸ δέομαι.

greque, loquuti ſint, verbo παρακαλεῖν poteſtatem verborum καλεῖν, et προτρέπεσθαι, dederint, verboque ἐρωτᾷν tantum ſic vſi ſint, vt idem ſignificaret, quod verbum πυνθάνεσθαι. Iam quis ignorat, quam multis in locis librorum Novi Teſtamenti vtraque verba ita poſita occurrant legentibus, vt iis notionem *rogandi*, et *obſecrandi*, ſubiectam eſſe [105] videant? Ac quum verbum παρακαλεῖν etiam in Plutarchi, aliorumque eius aetatis ſcriptorum, voluminibus [106] illa ipſa praeditum poteſtate locis non paucis inueniatur, vt verbum ἐρωτᾷν apud Ioſephum [107]: quis non auctores huius ſignificatus verbi παρακαλεῖν, vel certe inſtauratores, atque reſtitutores, putet fuiſſe Macedonas, ſed ſcriptores Novi Teſtamenti, vel vſu verbi Hebraici שָׁאַל, vel conſuetudine loquendi ſuorum temporum communi, id eſt, Alexandrina, inuitatos, verbum ἐρωτᾷν ita vſurpaſſe? Eaedem ciuitates fruges quoque, et poma, omninoque omnia, quae ex terra, arboribuſque, gignuntur, quae Atticorum lingua καρπὸς [108] vocauit, dicere γεννήματα inſtituerunt, quo vocabulo Attici, aliique, quos probe loquutos eſſe nouimus, animantium tantummodo, hominum, et beſtiarum, foetus ſignificarunt: quomodo Latinis placuit *foetus*, et animantibus, et terrae [109], arboribuſque [110], tribuere.

105. Vid. Luc. 14, 18. 32. Ioh. 4, 40. 47. Act. 3, 3. —. Matth. 8, 31. 34. Marc. 5, 10. 17. Luc. 8, 31. ſ. Act. 13, 42. —.

106. Vid. Stephanus theſ. L. Gr. h. v. p. 26. To. 2.

107. Archaeol. 5, 1. pag. 121. Baſil. ταῦτα μὲν Ἰησοῦς ἐπὶ στόμα πεσὼν ἠρώτα τὸν θεόν· quem locum iam a Kypquio ad Luc. 14, 18. laudatum eſſe videmus.

108. Vnde *aeſtas* ap. Aeſchylum Prometh. 454. ſ. vocatur κάρπιμον θέρος.

109. Vid. Cic. Orat. 1, 30. Ouid. Faſt. 1, 693.

re. Notarunt hanc vocabuli γεννήματα vſurpationem, vt prauam, et inelegantem, Phrynichus [111], atque Thomas Magiſter [112]: et quam intellegenter, vereque, eam, vt talem, notarint, ſatis cognoſcitur ex eo, quod nulla adhuc quidem huius ſignificatus nota a quoquam apud vllum ſcriptorem Atticum inueniri potuit, ſed Alexandrina maxime Teſtamenti veteris verſio [113], et libri Polybii [114], non paucis eius veſtigiis impreſſi cernuntur, ita, vt mirandum non ſit, *fruges* etiam ab Luca [115] γεννήματα eſſe dictas. Atque eiuſdem generis vocabula ſunt nomina γάμος, et μονόφθαλμος. Nam Homerus quidem *coenam nuptialem*, quae in Apocalypſi Iohannis [116] τὸ δεῖπνον τοῦ γάμου, et ab Diodoro Siculo [117] αἱ κατὰ τοὺς γάμους εὐωχίαι, dicitur, vocauit [118] γάμον, et Attici numero eiuſdem nominis pluratiuo eaſdem epulas ſignificarunt [119]: ſed interpres hiſtoriae Eſtherae Graecus omnino *conuiuium*, et *epulas*, appellauit [120] γάμους, quas auctor

110. Vid. Lactant. de ira dei c. 13, 7.

111. p. 124., et ex eo Phauorinus: Γεννήματα. Πολλαχοῦ ἀκούω τὴν λέξιν τιθεμένην ἐπὶ τῶν καρπῶν· ἐγὼ δὲ οὐκ οἶδα ἀρχαίαν καὶ δόκιμον οὖσαν. Χρὴ οὖν ἀντὶ τοῦ γεννήματα καρποὺς λέγειν ξηροὺς καὶ ὑγρούς.

112. p. 190.: Γεννήματα ἐπὶ καρπῶν τινες τιθέασιν ἀδοκίμως· σὺ δὲ καρποὺς λέγε.

113. Leuit. 25, 16. 20. 22. —.

114. Vid. Raphelius ad Luc. 12, 18. Conf. ſpecimen clauis verſionum Grr. V. T. p. 36. et Loeſnerus, V. C., ad Matth. 26, 29.

115. C. 12, 18.

116. C. 19, 9.

117. 5. p. 298. B To. I. Rhodom.

118. Odyſ. α', 226. β', 196.

119. Vid. Theophraſtus charr. 12, 1. 22, 1.

120. C. 9, 22. Ioſephus Archaeol. 11, 6. extr. p. 340. Baſil. eandem rem narrans vſus eſt verbo εὐωχεῖσθαι.

ctor libelli ipse Hebraico nomine מִשְׁתֶּה expressit, ita, vt haec Graeci vocabuli significatio ex Alexandrina dialecto ducta esse videatur. Neque sane alia ei vis subiecta esse facile intellegitur a Matthaeo [121] in nobili illa parabola, quae proponit regem aliquem, qui filio suo apparauerit γάμȣς. Primum enim in omni ista similitudine nihil inuenitur, quod lectorem cogitare iubeat de rege filio suo coenam nuptialem parante: deinde ex alia collatione, ab Iesu alio tempore proposita, quam Lucas [122] literis consignauit, intellegitur, parentes, atque adeo reges, etiam tum solitos fuisse, re postulante, in honorem filiorum celebrare conuiuia: tum ipse Matthaeus coenam istam, non modo γάμȣς [123], atque γάμον [124], sed etiam ἄριστον [125], hoc est δεῖπνον [126], quo nomine Lucas [127] in persequenda simili parabola vsus est, nominat: postremo duobus in locis commentariorum eiusdem Lucae [128] vocabulum γάμοι ita positum legitur, vt eo, non *coenam nuptialem*, sed omnino *conuiuium*, indicari, res ipsa loquatur. Sed reuertamur ad veteres grammaticos. Ammonius [129] enim praecipit,

121. C. 22, 2.: vbi vid. Keuchenius. Etiam interpres Syrus ibi v. 2. 3. 4. 8. 9. γάμȣς, et γάμον, vocat ܡܫܬܘܬܐ, et v. 10. τὸν γάμον nominat ܒܝܬ ܡܫܬܘܬܐ; sed c. 25, 10. pro eodem nomine ὁ γάμος vsus est verbis ܒܝܬ ܡܫܬܘܐ, quibus significatur *conclaue*, *oecus*, *in quo coena nuptialis*, conuiuium nuptiale, *agitatur*; quia vidit, sermonem esse in parabola illa, non omnino de *coena*, sed singulatim de *coena nuptiali*.

122. C. 15, 23. ss.

123. v. 3. s. 9.

124. v. 8.

125. v. 4.

126. Vid. Prolus. 25, 4.

127. C. 14, 16. s. 24.

128. C. 12, 36. 14, 8.

129. p. 60. s. Valquen.: Ἑτερό-

pit, vocabula *μονόφθαλμος*, et *ἑτερόφθαλμος*, ita inter se differre, vt *μονόφθαλμος* sit *is*, *cui ipsa natura vnum tantummodo oculum tribuerit*, qui a Latinis *cocles* proprie, et *vnoculus*, dicitur, quales a poëtis maxime Cyclopes [130], et apud Herodotum [131] Arimaspi, fuisse traduntur, *ἑτερόφθαλμος is*, *qui morbo*, *alioue quodam casu*, *altero oculo priuatus sit*, *certe lumen eius amiserit*, qui Latine *luscus* vocatur. Atque hoc verborum discrimen stylus scriptorum Atticorum, auctoribus grammaticis antiquis [132], nunquam neglexit, sed Macedonum lingua hanc diligenter loquendi normam ita reliquit, vt *luscum* dixerit *μονόφθαλμον* [133].

 Hanc

Ἑτερόφθαλμος, καὶ Μονόφθαλμος, διαφέρουσιν. Ἑτερόφθαλμος μὲν γὰρ ὁ κατὰ περίπτωσιν πηρωθεὶς τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν· μονόφθαλμος δὲ ὁ μόνον ὀφθαλμὸν ἔχων, ὡς ὁ Κύκλωψ. Thomas Magister: Ἑτερόφθαλμος ὁ τὸν ἕνα πηρωθεὶς τῶν ὀφθαλμῶν, οὐ μονόφθαλμος· μονόφθαλμος γὰρ ὁ ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχων φυσικῶς· οἷον μυθεύονται τὸν Κύκλωπα. In Lexico Phauorini, qui hoc Thomae praeceptum ibi repetiit, legitur ὁ κατὰ τὴν τύχην τὸν ἕνα πηρ. ὀφθαλμὸν, et verba οἷον μυθ. τὸν K. omissa sunt.

130. Vid. Lucianus ver. hist. 1. pag. 641. To. 1. Graeu.: et conf. Hesiodus Θεογον. 139. ss.

131. 3, 116. 4, 27. 32. Aeschylus Prometh. 803. s. τὸν μουνῶπα στρατὸν Ἀριμασπὸν ἱπποβάμον', h. e. τὸν μονόφθαλμον, interprete schol. 1. ad v. 792. Gellius 9, 4. *item esse homines sub eadem regione caeli vnum oculum in frontis medio habentes, qui appellantur Arimaspi: qua fuisse facie Cyclopas poëtae ferunt.*

132. Phrynichus p. 54.: Μονόφθαλμον οὐ ῥητέον, ἑτερόφθαλμον δέ. Κρατῖνος γὰρ μονόμματον εἶπε τὸν Κύκλωπα. Vid. Valquenarius animaduerss. ad Ammon. p. 84. ss. et Perizonius ad Aelian. V. H. 12, 43. 8. Moeris: Ἑτερόφθαλμον, Ἀττικῶς· μονόφθαλμον, Ἑλληνικῶς· vbi v. Salierius, et Piersonius, atque Albertius ad Hesych. pag. 1484. To. 1.

Hanc vero ipſam rationem quum facile appareat ſequi debuiſſe auctores librorum Noui Teſtamenti: quis miretur, vocabulum μονόφθαλμος in euangeliis Matthaei [134], et Marci [135], hac praeditum poteſtate inueniri, vt, non *coclitem*, ſed *luſcum*, ſignificet? Haec igitur exempla pauca docere quemque, vt opinor, plane poſſunt, quam parum proſpexerint Lexicographi rationibus lectorum Noui Teſtamenti, quod eos non iuſſerint conſulere de verbis noue ibi vſurpatis praecepta grammaticorum veterum.

VI. Iam etſi cognitionem eorum non neſciebamus multum conferre poſſe ad iudicium de elegantia reliquarum quoque orationis partium regundum, faciundumque: tamen, quum ſperare nobis recte poſſe videremur, adulescentes liberales, qui ingenium, atque indolem, ſtyli Euangeliſtarum, Apoſtolorumque, pernoſcere cuperent, hac admonitione noſtra excitatum iri, vt ipſi adirent libros grammaticorum Graecorum, atque ex iis copias iſtius generis ſponte inſtituerent congerere; ne praeriperemus iis ingenuam huius ſtudii voluptatem: pluribus ea de re diſputare non placuit, praeſertim quum non ignoraremus, multa illius operae adiumenta ab omnibus peti ex animaduerſionibus Vetſtenii ad libros ſacros poſſe. Sic vero etiam de altero vitiorum Lexicorum Noui Teſtamenti genere, cuius

133. Vid. Vuiterus ad Tho. Mag. p. 378. Sic Antigonus, pater Demetrii Poliorcetae, a Polybio 5, 67. et Luciano Macrobb. p. 469. To. 2. Graeu. vocatur ὁ μονόφθαλμος, ſed rectius ab Aeliano V. H. 12, 43. ὁ ἑτερόφθαλμος nominatur.

134. C. 18, 9.

135. C. 9, 47.

ius naturam diximus esse eiusmodi, vt, quanquam studia consultorum non omnino impediret, vanaque, et irrita, redderet, tamen ea, vel retardaret non parum, vel certe non satis adiuuaret, abunde expositum a nobis esse putamus, ita, vt toti iam quaestioni illi, e nostra quidem descriptione, finem imponere recte posse videamur. Etenim Lexicographi propemodum omnes neglexerunt omnia fere adiumenta cognitionis naturae, et potestatis, verborum, et formularum, quae, vel in libris grammaticorum, et glossographorum, veterum, Hesychii maxime, et Suidae, vel in doctorum ecclesiae primorum commentariis, vel in varietate lectionis codicum manu scriptorum, vel denique in versione Veteris Testamenti septuagintauirali, proposita patent: contulerunt in libros suos glossemata pro glossis, et aduenticia verba, atque supposita, pro genuinis, et innatis, neque ostenderunt, quam ipsorum quisque contextus orationis recensionem sequutus sit: significatus verborum saepe praepostero ordine collocarunt, ita, vt proprii sequerentur, anteirent translati: praetermiserunt multa verba, quae nec alii attigissent Lexicographi: multa verba, multas formulas, obscuras non ita illustrarunt, vt vis earum plane perspici posset: multorum verborum, multarum formularum, notiones reconditas praeterierunt: denique de notatione multorum verborum multa disputauere, quae ad inuestigandam eorum potestatem omnino nihil valerent.

VII. Reliquum est, vt rogemus, ea, qua quemque par est, pietate, atque humanitate, patronos amplissimos, et curatores grauissimos, et

fautores liberalissimos, rei Thomanae, velint collegio nostro hoc honoris habere, vt perendie, hora nona antemeridiana, conueniant beniuoli in auditorium classicum scholae nostrae, atque fauentes operam dent tribus disciplinae nostrae alumnis his, CAR. GVIL. SIBDRATIO, *Lipsiensi:* IOH. CHRISTI. ANGELOCRATORI, *Volcmarocomensi:* IOH FRIDER. SAM. DOERINGIO, *Gaterstadio Thuringo:* bonae spei adulescentibus, qui ante discessum in academiam Lipsiensem suum oratiunculis Latinis *fructus, et commoda varia, atque multiplicia, lectionis, interpretationisque, scriptorum veterum vtriusque linguae diligentis, et assiduae,* ita persequi, atque exponere, constituerunt, vt etiam commilitonibus suis demonstrarent, ostenderentque, breuiter *lectionis eorundem scriptorum, enarrationisque, legitimae naturam, et rationem.* Hunc igitur adulescentium optimorum diem quicunque praesentiae suae honore dignati fuerint, iis collegium nostrum nouo se, atque maximo, obstrictum beneficio putabit. Scripsimus in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Maias A. C CIↃIↃCCLXXXVIIII

PROLV

PROLVSIO SECVNDA ET TRICESIMA

DE FONTIBVS ET CAVSSIS VITIORVM LEXICORVM N. T

Q. B. V

Quum abſoluerimus nuper, iuuante deo, ipſam de vitiis Lexicorum Noui Teſtamenti, ſi non omnibus, attamen omnium maxime inſignibus, atque inutilibus, quaeſtionem ante annos admodum duodeuiginti inſtitutam: ordo diſputationis, deſcriptioniſque eius a nobis propoſitae ratio, poſtulare videtur, vt fontes, et capita, vnde haec tanta vitiorum vis, atque copia, fluxerit, indagare deinceps, atque patefacere, conemur.

II. Maximam autem illorum partem facile apparet manaſſe, vel e linguae Graecae omnis, in primiſque generis loquendi Macedonici, et Alexandrini, eiuſdemque innumerabilibus ſermonis Hebraeorum veſtigiis impreſſi, etiam Latinae orationis, inſcitia, vel ex ignorantia naturae, et praeceptorum, iuſtae, legitimaeque, interpretationis fere omnium. Conditores enim Lexicorum Noui Teſtamenti plerique non acceſſerunt ad componendos hos libros profecti ab lectione ſtudioſa, accurataque enarratione, ſcriptorum Latinorum, et Graecorum, maximeque

que eorum, qui post Alexandri magni tempora vixere, nedum ab crebrius repetita comparatione versionis voluminum alterius Testamenti Graecae, quae vulgo septuagintauiralis appellatur, reliquiarumque caeterorum interpretum Graecorum eorundem librorum, cum ipsa oratione Hebraica: immo doctrina, operaque, aliorum recentiorum, et Lexicographorum, in primis Ioh. Scapulae, et enarratorum Noui Testamenti, eorumque non optimorum, contenti, ex eorum scriptis in sua transtulerunt omnes copias, quibus adiuuari posse intellegentiam verborum Euangelistarum, Apostolorumque, putarent. Sed hac ipsa diligentiae, doctrinaeque, alienae fiducia ita falli se, atque decipi, passi sunt, vt libros ipsi diuinos, neque studiose relegerint saepius, neque aliis interpretari curiose instituerint, ante, quam Lexica ederent sua. Atque in hac tali, et tanta, istorum hominum neglegentia, atque incuria quis miretur, ipsos nec eorum adiumentorum orationis Noui Testamenti explicandae rationem habendam esse existimasse, quae possent, et vero deberent, peti ab diligenti cognitione rerum, et morum, institutorumque, ciuitatum veterum, hoc est, Iudaeorum, et Romanorum, etiam Graecorum, regionum item earum, et vrbium, et vicorum, opinionum denique de rebus diuinis, et ad religionem pertinentibus, quibus mentes Iudaeorum, et Christianorum, imbutae, Christi, Apostolorumque, temporibus, perhiberentur? Praeterea iidem Lexicographi in hoc versati sunt errore, vt crederent, in libris grammaticorum Graecorum nihil magnopere reperiri, quod ad vim verborum Noui Testamenti, vel indagandam,

vel

vel confirmandam, valeret, et codices euangeliorum, epiſtolarumque Apoſtolicarum, omnes ita deſcriptos ab librariis ad noſtram peruenifſe aetatem, vt cuiuſque eorum auxilio cogitata mentis ſcriptorum diuinorum recte inueſtigari, atque ita, poſſent, vt non neceſſe eſſet in condendis librorum ſacrorum Lexicis delectum inſtitui exemplorum eorum in vulgus editorum, multo minus recenſionem agi varietatis lectionis ex tot codicibus ſcriptis collectae. Atque hunc opinionis errorem non parum aluit, corroborauitque, fuga laboris turpiſſima, et nimia feſtinatio, quam in conficiendis, vulgandiſque, operibus ſuis adhibuere. Quae quidem praecipitata Lexicorum editio facile intellegitur etiam deterruiſſe eorum auctores, ne e verſione diuinorum librorum Latina vetere, commentariiſque ſapientiſſimorum eccleſiae antiquae doctorum, eorumque excerptionibus, in eoſdem libros, ea congererent, quae ad poteſtatem verborum, et ſimplicium, et iunctorum, vel inueſtigandam, vel illuſtrandam, pertinere viderentur. Hos igitur arbitror eſſe fontes, ſi non omnes, at certe largiſſimos, e quibus manarint vitia, quibus, non plena, ſed cumulata, reperiri oſtendimus Lexica Noui Teſtamenti hoc, et ſuperiore, ſaeculo edita, quorum conditorum ignotiſſimus eſt, vt ſit, verum, noſtra quidem ſententia, et doctiſſimus omnium, et diligentiſſimus, cenſeri debet Ioh. Cunr. Ditericius, academiae, et Marpurgenſis, et Giſanae, verum, neque temporarium, ſed ſempiternum, decus [1]. Huius enim viri curam, et ſolertiam, ora-

1. Lexicon Ditericii poſt mortem eius editum eſt Francof.

orationis Euangelistarum, Apostolorumque, doctrina Graeca, et Hebraica, et Latina, illustrandae si imitari, et sequi, vel voluissent, vel potuissent, reliqui Lexicorum Noui Testamenti auctores: liceret sane nobis iam versare manibus libros huius generis eiusmodi, qui propius ab perfectionis, absolutionisque, laude abessent. Etsi autem homines doctos, et peritos, scimus sponte posse, et sine nostro admonitu, iudicare, quaenam vitiorum genera fluxerint e singulis fontibus supra demonstratis: tamen, quum hanc totam disputationem simus adulescentium maxime liberalium caussa ingressi, eorum rationem hoc quoque loco ita habendam esse videmus, vt fontem quemque paulo diligentius persequamur, quo magis, et facilius, origines cuiusque vitii etiam tironibus patefiant.

III. Etenim lectores librorum Noui Testamenti omnes habere sibi hoc persuasissimum debent, eos compositos esse oratione, non pure Graeca, nedum Attica, immo Macedonica, et Alexandrina, cuius ingenium alio adumbrare loco [2] conati sumus, eaque innumeris linguae Hebraicae notis impressa. Itaque qui hos libros recte, et intellegere, et interpretari, velint, eos in promtu est oportere praeditos esse accurata scientia generis loquendi Macedonici, in primisque Alexandrini, neque carere vllo modo idonea naturae sermonis Hebraeorum cognitione posse.

cof. ad Moenum A. C CIↃIↃCLXXX. form. max., hoc insignitum titulo, *Noui Testamenti Illustramentum, siue Lexicon Philologico-theologicum Graecolatinum, quo scripturarum Noui Foederis voces quaeuis ordine alphabetico — expenduntur.*

2. Prolus. 30, 1.

poſſe. Quomodo enim quis ſperare tandem poſſit, ſe ſine his ingenuae doctrinae ſubſidiis reperturum eſſe, et vim, atque poteſtatem, nouam, vel ſingulorum vocabulorum, vel formularum dicendi, eiuſque fontes, atque origines, et conſtructionis, formaeque, verborum peregrinae, atque inſolentis, cauſſas? Vt autem indoles dialecti Macedonicae, et Alexandrinae, quam multa e reliquis Graeciae linguis, Doride maxime, adſciuiſſe nouimus, non poteſt ſatis cognoſci, niſi ab iis, qui libros ſcriptorum, quorum aetas in tempora Ptolemaeorum incidit, diligenter legere, eoſque cum ſcriptis illorum, qui ante Alexandrini magni ſaeculum vixere, ſtudioſe comparare, adhibita grammaticorum quoque veterum doctrina, atque auctoritate, inſtituant: ita faciem Alexandrinae orationis multis linguae Hebraicae notis turpatam oſtendere apertiſſime omnibus poſſunt interpretes Veteris Teſtamenti Graeci, maximeque ii, qui vulgo Alexandrini appellantur, et auctores eorum librorum, quos nunc Apocryphos nominamus. Iam quum Lexicographi Noui Teſtamenti plerique libros illos, et ſacros, et profanos, non ipſi diligenter legerint, neque ita, vt orationem eorum curioſe contenderint cum oratione euangeliorum, Apoſtolicarumque epiſtolarum, immo propemodum toti pependerint ex auctoritate aliorum Lexicographorum non optimorum, interpretumque librorum diuinorum non ſapientiſſimorum; quum horum ipſorum auctorum pauciſſimi fuerint ea linguae Graecae, et Hebraicae, et Latinae, ſcientia ornati, vt ſermonem Graecum purum, et incorruptum, ab corrupto, et vitioſo, diſcernere, vim, et poteſtatem, verbo-

borum Graecorum, et ſingulorum, et iunctorum, eorumque compoſitionem, ab vſu loquendi, et ratione, Hebraeorum profectam reperire, denique in explicandis orationis Graecae partibus Latini ſermonis ſubtilitatem, et elegantiam, perſequi, potuerint: quis, quaeſo, miretur, in Lexicis Noui Teſtamenti paene omnibus multis verbis, et formulis, ſubiectas legi notiones, vel fictas et falſas [3], vel obſcuras et ambiguas [4], vel iuſto anguſtiores, aut latiores [5]? quis miretur, ſignificatus multorum verborum, et formularum, nouos, atque inauditos, ab auctoribus iſtorum librorum eſſe ita notatos, vt ipſi nullas huius nouitatis eorum, atque inſolentiae, cauſſas attulerint [6]? quis miretur, in iiſdem libris nec ſtructurae verborum Graecorum barbarae, hoc eſt, Hebraicae, ita eſſe rationem habitam, vt origines eius patefactae ab conſultoribus cernerentur [7]? quis denique miretur, conditores Lexicorum huius generis omnes, excepto vno Suartio, in conuertendis ſcriptorum ſacrorum verbis vſos eſſe eiuſmodi oratione Latina, qua Graeca oratio, non illuſtrata, ſed obſcurata etiam magis, reperiretur [8]?

IIII. Haec autem orationis Latinae obſcuritas, atque inſolentia, tribui etiam opinioni falſae, et inutili, debet, qua ducti iſti homines cenſuerunt, in explicanda ſcilicet Euangeliſtarum, et Apoſtolorum, oratione eſſe ita verſandum, vt verbum pro verbo redderetur [9]. Quem quidem

3. Vid. Proluſ. 1. 2.
4. Vid. Proluſ. 3. 4.
5. Vid. Proluſ. 5. — 13.
6. Vid. Proluſ. 16. 17.
7. Vid. Proluſ. 17.
8. Vid. Proluſ. 14. 15.
9. Vid. Proluſ. 15.

quidem opinionis errorem, quo multos etiamnunc theologos vnice delectari videmus, eripere iis facile poterat accurata cognitio legum interpretationis iustae, quippe quae interpretes, non annumerare verba lectoribus, verum appendere, iuberent, hoc est, vim, atque sententiam, verborum Graecorum exprimere Latinis verbis eiusmodi, quae excitarent in mentibus eorum, qui Latine docti essent, easdem prorsus rerum imagines, quae essent animis ipsorum scriptorum obuersatae. Has vero leges, haec praecepta, quomodo tandem cognosci, atque imbibi, potuisse putemus ab iis, qui nunquam occupati fuerint in cognoscendis, et explicandis, voluminibus vtriusque linguae profanis ita, vt ab lectione eorum, atque interpretatione, studiosa ad cognitionem, et explanationem, sacrorum librorum profecti sint? Nam profecto ingenium interpretationis scriptorum veterum tam multiplex reperitur, tamque varium, vt singuli saepenumero loci, verba singula, singulae formulae, peculiares requirant regulas, ad quas dirigenda sit inuestigatio sensus earum, adeo, vt solertia, et facultas, interpretandi idonea, non alienae obseruationis auxilio, sed proprii maxime vsus, et exercitationis, assiduitate, atque diligentia, animaduersionisque cura, existere, neque breui paucorum quorundam mensium spatio, sed longo multorum annorum interuallo, nasci, intellegatur. Haec autem ipsa praeceptorum artis interpretandi, vel ignorantia, vel neglegentia, Lexica Noui Testamenti multis contaminauit vitiis aliis. Ex quonam enim alio fonte dicamus manasse inutilem istam, atque ineptam, rationem, quam sequuti eorum conditores multi, pri-

mum multa diſputauere de originibus verborum, aut omnino incertis, aut certe ad vim eorum, atque poteſtatem, declarandam plane nihil facientibus; deinde vocabulis fere omnibus notiones quaſdam vniuerſales, atque generales, affinxere, de quibus eorum inuentores ne potuerint quidem cogitare [10]; denique in explicandis prouerbiis, itemque parabolis, omninoque in ornamentis orationis poëticae demonſtrandis, ita verſati ſunt, vt non inſtituerint perſequi vniuerſas rerum imagines, quas Ieſu maxime viſum eſſet, more, et exemplo, hominum, et doctorum, vatumque, ſuae aetatis, et ciuitatis, ambitu quodam verborum figuratorum, et poëticorum, comprehendere, eaſque mentem lectoris iubere cogitatione depingere, ſed ſingulis earum partibus, verbis ſingulis, docuerint effigies ſingularum rerum, quae ſub ſenſus caderent, expreſſas oſtendi [11]? Et ſi Lexicographi Noui Teſtamenti omnes ſciuiſſent, quibus partibus, atque numeris, natura bonae verborum interpretationis contineretur; ſi vidiſſent, quae quaſi officia lectores euangeliorum, epiſtolarumque Apoſtolicarum, ſtudioſi illi quidem, ſed non ſatis docti, deſiderarent in primis ab eo, qui ſibi perſonam interpretis horum librorum ipſe impoſuiſſet; ſi animaduertiſſent, quonam potiſſimum in genere ſeſe adiuuari cuperent ab conditoribus Lexicorum adoleſcentes ingenui, aliique conſultores eorum ſimiles: ſane, non modo ordinem, ſeriemque, ſignificationum verborum ſuis in libris iuſſiſſent eſſe eam, quae declararet, vt omnes eſſent inter ſe aptae, et colligatae, vt aliae

eſſent

10. Vid. Proluſ. 20. 11. Vid. Proluſ. 19.

essent ex aliis nexae, sed etiam caussas huius earum coniunctionis latentes, et occultas, aperuissent: deinde studiosissime hoc egissent, vt eandem curam, diligentiamque, probarent in exponenda, atque explicanda, formularum dicendi, quas vulgo phrases appellant, vi, et potestate, quippe cuius inuestigationi plures fere, et maiores, difficultates oppositae reperirentur, quam singulorum verborum sensus indagationi. Quam neglegentes autem, et incuriosi, fuerint suarum partium hoc quoque in genere Lexicographi Noui Testamenti ad vnum omnes, neminem eorum, qui nostras de huius tanti vitii Lexicorum natura querelas cognouerit, praeterire posse spero [12].

V. Sed multo etiam maiorum, grauiorumque, vitiorum fons, et caussa, extitisse censenda est praeceps celeritas, quam eosdem homines adhibuisse in componendis libris suis apparet. Etenim vt diligentia ne cogitari quidem vllo in genere sine tarditate, neque tarditas sine iusto temporis spatio, potest: ita festinationem non posse non parentem existere, atque effectricem, neglegentiae, ab qua proficiscantur peccata omni in genere multa, neque mediocria, quis non intellegit? Certe Lexicographis Noui Testamenti nimia festinatio impedimento fuit, ne diligenter legerent libros diuinos, nedum relegerent saepius, et ita peruolutarent, vt eos etiam aliis interpretarentur curiose, ante, quam Lexica in manus hominum venire iuberent sua. Hac vero ipsa neglegentia, atque incuria, fieri sane non potuit, quin multa verba ab auctoribus

12. Vid. Prolus. 16. 17. 21.

eiusmodi librorum, vel omnino praetermitterentur, vel certe non ita explicarentur, vt vis eorum, atque potestas, aperta pateret lectoribus, praesertim ea, quae nec aliis notare, atque illustrare, Lexicographis placuisset; quin multae eiusdem generis formulae intactae relinquerentur, eae maxime, quae essent ex Hebraicis formulis efflictae, atque expressae; quin multi, et verborum, et formularum, significatus exquisiti, atque reconditi, praeterirentur; quin denique non omnes sedes verborum, et formularum, earumque potestatis variae, ita indicarentur, vt consultores recte carere possent auxiliis eorum librorum, qui vulgo nomine barbaro Concordantiae appellantur [13]. Horum enim indicum tantam reperiri vtilitatem, vt ope vsurae eorum sapientis, et legitimae, vis multorum verborum, et simplicium, et iunctorum, saepe facilius, citiusque, cognosci possit, quam praeceptionis ipsorum interpretum vel elegantissimae auxilio, et intellegi sponte licet, et nos alio huius disputationis loco demonstrauimus [14]. Et in hac festinata Lexicorum Noui Testamenti editione, quae auctores eorum ne recognoscere quidem diligenter volumina sacra, nedum explicare aliis solerter, siuerit, cui tandem mirandum videatur, neglecta esse ab iis adiumenta intellegentiae verborum Graecorum omnia, quae recte peti poterant, et vero debebant, vt e versionibus antiquis, Latina maxime, qua egregiorum sane interpretamentorum copia non mediocris continetur, ita etiam e commentariis doctorum ecclesiae veteris principum, velut Origenis,

13. Vid. Prolus. 20. 14. Vid. Prolus. 20.

-nis, Chrysostomi, Hieronymi, Theodoreti, et aliorum, eorumque excerptis, quae Oecumenio, Theophylacto, aliisque, debemus, quos multa verba, multas formulas, constat multo acutius, atque elegantius, explicasse, quam omnes posteriorum temporum interpretes [15]; neque pauca de rebus, quae ad historiam, et geographiam, veterem, omninoque ad instituta, et mores, Iudaeorum, et Romanorum, etiam Graecorum, pertinent, perperam, certe non diligenter satis, et plane, praecepta in libris istis legi [16]; de multis denique, et locorum, et personarum, nominibus in iisdem Lexicis ea tradi, quorum indicio loca ipsa, et personae, neque agnosci ab quoquam, neque ab aliis eiusdem nominis personis, atque locis, discerni possint [17]?

VI. Iam etsi improuidae festinationi, quam ab plerisque conditoribus Lexicorum Noui Testamenti in iis componendis, atque emittendis, adhibitam esse questi sumus, omnium minime ignoscendum esse arbitramur, quum culpa eius appareat detracta esse lectoribus librorum sacrorum studiosis auxilia intellegentiae orationis eorum, neque pauca, neque inualida: tamen multo minus ferendam, immo etiam magis, atque acrius, reprehendendam, esse censemus temeritatem istorum hominum, atque stultitiam, insignem, egregiamque imperitiam, quod voces, et praecepta, artis criticae, vel noluerint sequi, quod sibi persuasissent, vsum eorum nullum, neque posse esse, neque debere, in enarrandis iis

 libris,

15. Vid. Prolus. 27.
16. Vid. Prolus. 18. 19.
17. Vid. Prolus. 18. 19.

libris, quos dei prouidentia integros scilicet, neque vllis scripturae mendis contaminatos, alienisue verbis deformatos, ad nostram peruenire aetatem iussisset, vel non potuerint, quod essent ab studio huius artis, atque exercitatione, longe remoti. Hanc enim leuitatem extitisse caussam eiusmodi vitiorum, quorum magnitudine omnis opera, omnis labor, Lexicographorum irritus paene, atque inutilis, redderetur, quis est, qui non intellegat? Scilicet ars critica docere eos, ipsius rationis, atque veritatis, auctoritate, facile poterat, in condendis Noui Testamenti Lexicis sequenda esse optima eius exempla, admonendosque eorum consultores, qua quisque textus Graeci recensione in iis adornandis vsus esset, ita quidem, vt nec aliarum recensionum lectiones diuersae, quae tanti essent ponderis, vt ipsos scriptorum diuinorum sensus mutarent, intactae relinquerentur. Etenim si adulescentes liberales, aliique, adierint Lexica, quorum auctores sequuti sint recensionem orationis Euangelistarum, Apostolorumque, discrepantem ab ea, quam ipsi in libris suis expressam habeant; si Lexicographi lectores Noui Testamenti ea de re ne admonuerint quidem, nedum attigerint alias editionum eius principum lectiones: nonne tales consultores se doctrina interpretum destitutos esse saepenumero conquerentur? nonne ab inspectione huiusmodi Lexicorum etiam incertiores, et magis dubii, semel, atque iterum, discedent? His autem dotibus, non superuacaneis, neque inutilibus, immo vtilissimis, maximeque necessariis, carere Lexica Noui Testamenti ad vnum omnia, quis nescit [18]? Vtinam vero

18. Vid. Prolus. 22.

vero critices, siue ignorantia, siue neglectio, eosdem libros ne pluribus vitiis adauxisset, neque maioribus ornamentis priuasset! Huius enim artis auxilio destituti Lexicographi pro verbis scriptorum sacrorum transtulerunt in libros suos eorum interpretamenta [19], omninoque verbis eos locupletarunt multis aliis, quae facile appareret esse in grammaticorum ingeniis feracibus nata, sed temeraria librariorum sedulitate ipsis Apostolorum, et Euangelistarum, verbis adiuncta [20], neque lectiones codicum veterum variantes ita recognouerunt, vt collegerent inde ea, quae ad explicandam orationem Euangelistarum, Apostolorumque, ipsam pertinerent [21], neque elegantissimas doctissimorum criticorum de restituenda locorum corruptorum integritate coniecturas laudauere [22]. Iam huic mirificae criticae artis contemtioni adde incredibilem quandam grammaticorum adiumentorum neglectionem, qua captos fuisse videas eosdem homines: profecto non miraberis magnopere, qui factum sit, vt in plerisque Lexicis Noui Testamenti, neque copiae Glossarii Hesychiani, aliorumque, quae ad cognoscendam multitudinis glossarum sacrarum haud paruae vim valerent, productae conspicerentur [23], neque Phrynichi, reliquorumque huius generis grammaticorum veterum, praecepta, quorum indicio nouitas multorum verborum, et formularum, earumque figurae, atque vsus, insolentia, patefieret, allata inuenirentur

19. Vid. Prolus. 22.

20. Vid. Prolus. 23.

21. Vid. Prolus. 24. 25. 26.

22. Vid. Prolus. 23.

23. Vid. Prolus. 27. 28. 29.

eiusmodi librorum, vel omnino praetermitterentur, vel certe non ita explicarentur, vt vis eorum, atque potestas, aperta pateret lectoribus, praesertim ea, quae nec aliis notare, atque illustrare, Lexicographis placuisset; quin multae eiusdem generis formulae intactae relinquerentur, eae maxime, quae essent ex Hebraicis formulis effictae, atque expressae; quin multi, et verborum, et formularum, significatus exquisiti, atque reconditi, praeterirentur; quin denique non omnes sedes verborum, et formularum, earumque potestatis variae, ita indicarentur, vt consultores recte carere possent auxiliis eorum librorum, qui vulgo nomine barbaro Concordantiae appellantur [13]. Horum enim indicum tantam reperiri vtilitatem, vt ope vsurae eorum sapientis, et legitimae, vis multorum verborum, et simplicium, et iunctorum, saepe facilius, citiusque, cognosci possit, quam praeceptionis ipsorum interpretum vel elegantissimae auxilio, et intellegi sponte licet, et nos alio huius disputationis loco demonstrauimus [14]. Et in hac festinata Lexicorum Noui Testamenti editione, quae auctores eorum ne recognoscere quidem diligenter volumina sacra, nedum explicare aliis solerter, siuerit, cui tandem mirandum videatur, neglecta esse ab iis adiumenta intellegentiae verborum Graecorum omnia, quae recte peti poterant, et vero debebant, vt e versionibus antiquis, Latina maxime, qua egregiorum sane interpretamentorum copia non mediocris continetur, ita etiam e commentariis doctorum ecclesiae veteris principum, velut Origenis,

13. Vid. Prolus. 20. 14. Vid. Prolus. 20.

nis, Chryſoſtomi, Hieronymi, Theodoreti, et aliorum, eorumque excerptis, quae Oecumenio, Theophylacto, aliiſque, debemus, quos multa verba, multas formulas, conſtat multo acutius, atque elegantius, explicaſſe, quam omnes poſteriorum temporum interpretes [15]; neque pauca de rebus, quae ad hiſtoriam, et geographiam, veterem, omninoque ad inſtituta, et mores, Iudaeorum, et Romanorum, etiam Graecorum, pertinent, perperam, certe non diligenter ſatis, et plane, praecepta in libris iſtis legi [16]; de multis denique, et locorum, et perſonarum, nominibus in iiſdem Lexicis ea tradi, quorum indicio loca ipſa, et perſonae, neque agnoſci ab quoquam, neque ab aliis eiuſdem nominis perſonis, atque locis, diſcerni poſſint [17]?

VI. Iam etſi improuidae feſtinationi, quam ab pleriſque conditoribus Lexicorum Noui Teſtamenti in iis componendis, atque emittendis, adhibitam eſſe queſti ſumus, omnium minime ignoſcendum eſſe arbitramur, quum culpa eius appareat detracta eſſe lectoribus librorum ſacrorum ſtudioſis auxilia intellegentiae orationis eorum, neque pauca, neque inualida: tamen multo minus ferendam, immo etiam magis, atque acrius, reprehendendam, eſſe cenſemus temeritatem iſtorum hominum, atque ſtultitiam, inſignem, egregiamque imperitiam, quod voces, et praecepta, artis criticae, vel noluerint ſequi, quod ſibi perſuaſiſſent, vſum eorum nullum, neque poſſe eſſe, neque debere, in enarrandis iis

 libris,

15. Vid. Proluſ. 27.
16. Vid. Proluſ. 18. 19.
17. Vid. Proluſ. 18. 19.

libris, quos dei prouidentia integros scilicet, neque vllis scripturae mendis contaminatos, alienisue verbis deformatos, ad nostram peruenire aetatem iussisset, vel non potuerint, quod essent ab studio huius artis, atque exercitatione, longe remoti. Hanc enim leuitatem extitisse caussam eiusmodi vitiorum, quorum magnitudine omnis opera, omnis labor, Lexicographorum irritus paene, atque inutilis, redderetur, quis est, qui non intellegat? Scilicet ars critica docere eos, ipsius rationis, atque veritatis, auctoritate, facile poterat, in condendis Noui Testamenti Lexicis sequenda esse optima eius exempla, admonendosque eorum consultores, qua quisque textus Graeci recensione in iis adornandis vsus esset, ita quidem, vt nec aliarum recensionum lectiones diuersae, quae tanti essent ponderis, vt ipsos scriptorum diuinorum sensus mutarent, intactae relinquerentur. Etenim si adulescentes liberales, aliique, adierint Lexica, quorum auctores sequuti sint recensionem orationis Euangelistarum, Apostolorumque, discrepantem ab ea, quam ipsi in libris suis expressam habeant; si Lexicographi lectores Noui Testamenti ea de re ne admonuerint quidem, nedum attigerint alias editionum eius principum lectiones: nonne tales consultores se doctrina interpretum destitutos esse saepenumero conquerentur? nonne ab inspectione huiusmodi Lexicorum etiam incertiores, et magis dubii, semel, atque iterum, discedent? His autem dotibus, non superuacaneis, neque inutilibus, immo vtilissimis, maximeque necessariis, carere Lexica Noui Testamenti ad vnum omnia, quis nescit [18]? Vtinam vero

18. Vid. Prolus. 22.

vero critices, siue ignorantia, siue neglectio, eosdem libros ne pluribus vitiis adauxisset, neque maioribus ornamentis priuasset! Huius enim artis auxilio destituti Lexicographi pro verbis scriptorum sacrorum transtulerunt in libros suos eorum interpretamenta [19], omninoque verbis eos locupletarunt multis aliis, quae facile appareret esse in grammaticorum ingeniis feracibus nata, sed temeraria librariorum sedulitate ipsis Apostolorum, et Euangelistarum, verbis adiuncta [20], neque lectiones codicum veterum variantes ita recognouerunt, vt collegerent inde ea, quae ad explicandam orationem Euangelistarum, Apostolorumque, ipsam pertinerent [21], neque elegantissimas doctissimorum criticorum de restituenda locorum corruptorum integritate coniecturas laudauere [22]. Iam huic mirificae criticae artis contemtioni adde incredibilem quandam grammaticorum adiumentorum neglectionem, qua captos fuisse videas eosdem homines: profecto non miraberis magnopere, qui factum sit, vt in plerisque Lexicis Noui Testamenti, neque copiae Glossarii Hesychiani, aliorumque, quae ad cognoscendam multitudinis glossarum sacrarum haud paruae vim valerent, productae conspicerentur [23], neque Phrynichi, reliquorumque huius generis grammaticorum veterum, praecepta, quorum indicio nouitas multorum verborum, et formularum, earumque figurae, atque vsus, insolentia, patefieret, allata inueni-

19. Vid. Prolus. 22.

20. Vid. Prolus. 23.

21. Vid. Prolus. 24. 25. 26.

22. Vid. Prolus. 23.

23. Vid. Prolus. 27. 28. 29.

rentur [24], multo minus auctoritate septuaginta interpretum Veteris Testamenti, aliorumque eiusdem, et generis, et aetatis, scriptorum, confirmata [25].

VII. Atque haec breuiter, et summatim, disputata sunto de caussis, et fontibus, vitiorum vtriusque generis, quibus contaminata Lexica Noui Testamenti laborare ad vnum omnia ostendimus. Sequitur, vt videamus, quae remedia his vitiis parari, quomodo fontes eorum obstrui, oporteat, ita, vt Lexica librorum sacrorum perfecta, et absoluta, consultoribusque omnino omnibus quam vtilissima, condantur, quorum, et copiae demonstrent adulescentibus liberalibus, quanto apparatu doctrinae etiam barbarae opus sit ad intellegenda, atque interpretanda, Euangelistarum, Apostolorumque, scripta, et vsus aperiat rationem legitimam, qua versandum sit in potestate verborum, formularumque, recondita, et inuestiganda, et patefacienda. Sed hanc tertiam, eamque vltimam, quaestionis de vitiis Lexicorum Noui Testamenti partem complectemur peculiari libello, qui hunc proxime, volente deo, subsequetur.

VIII. Nunc enim significandum vobis esse duxi, collegae optimi, alumnum disciplinae nostrae in primis probum, HENR. LVDOV CRATANDRVM, *Dalena Misnicum*, adulescentem, et doctrinae liberalis, et virtutis omnis, studiosissimum, suscepisse hoc anno personam interpretis grati, piique, magistrorum, et discipulorum, scholae Thomanae aduersus deum O. M. animi, quem nos etiam adhuc, pro incredibili

24. Vid. Prolus. 30. 31. 25. Vid. Prolus. 27. 30.

dibili sua benignitate, bonis omnis generis, et plurimis, et maximis, ornasse, atque cumulasse, laetissimi recordamur. Agite igitur, conveniamus perendie, hora quinta vespertina, in auditorium classicum, fauentesque operam demus oratori laudes, virtutesque, diuinas praedicanti, ita, vt curae dei, atque prouidentiae, singulari vnice commendemus etiam in proximum annum res scholae nostrae omnes, maximeque salutem eorum, qui, vel liberalitate eam sua, vel prudentia, complectuntur. Adiuuet deus numine suo etiam posthac disciplinam magistrorum omnium, eamque cotidie fructuosiorem discipulis existere sinat! Adiuuet vero Spiritu suo etiam discipulorum omnium studia, cupiditatemque, et sapientiae, et honestatis, in animis eorum crescere in dies, adaugerique, iubeat! Scripsi Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. IIII. Kal. Ianuarias A. C. CIϽIϽCCLXXXX

PROLVSIO TERTIA ET TRICESIMA
DE REMEDIIS VITIORVM LEXICORVM N. T

Q. B. V

Patefactis vero, et apertis, fontibus, ab quibus vitia Lexicorum Noui Testamenti, notata a nobis, atque castigata, omnia profecta esse videantur, quo perfecta tandem, numerisque suis, et partibus, absoluta, reperiatur nostra de hoc argumento disputatio: reliquum esse apparet, vt paulo diligentius doceamus, quibus virtutibus, et ornamentis, instructa esse ingenia, et mentes, quibus in rebus, et studiis, versari operam, et laborem, quid spectare, et sequi, industriam, atque diligentiam, oporteat eorum, qui condere Lexica librorum sacrorum constituerint eiusmodi, a quibus absint ista, quae in superioribus libellis persequuti sumus, vitia, sed quorum vsum bona, et laudes, quibus idonea huius generis opera censeri alio ostendimus huius quaestionis loco [1], cupidis, liberalibusque, consultoribus ita commendent, vt ipsi, neque desti-

1. Prolus. 1.

destitutos se esse vnquam vlla in re, neque deceptos, grati, laetique, confiteantur.

II. Etenim quae de natura nuper, atque ingenio, orationis Euangelistarum, Apostolorumque, Graecae a nobis dicta sunt, ex iis plane elucere speramus, qui libros scriptorum diuinorum recte intellegere velit, hunc debere diligentissime in eo elaborare, vt, non modo linguarum Graeciae omnium, quas διαλέκτους vocant, inprimisque generis loquendi Macedonici, et Alexandrini, sed etiam Hebraici sermonis, scientiam iustam consequatur. Tali enim harum copiarum cognitione aucta, et ornata, mens lectoris librorum sacrorum videre facile potest, atque iudicare, quae verba, et formulae, antiquae sint, ac probae, quae improbae, et nouae; quae sententia sit verbo cuique, ac formulae, subiecta; quae notiones verborum, et formularum, Graecae sint, et domesticae, quae alienigenae, et Hebraicae; quae verborum structura, atque compositio, recta sit, et integra, et vsitata, quae inusitata, et vitiosa, et praua. Iam quum Lexicographis Noui Testamenti vel maxime proposita esse debeat, non qualiscunque, sed plenissima, orationis Graecae, qua libri eius compositi sunt, partiumque eiusdem omnium, intellegentia: qui velit graue, atque idoneum, huius generis opus componere, ei sane in promtu est annos, non paucos, sed plurimos, in libris Veteris Testamenti Hebraicis accurate cognoscendis, et in voluminibus Graecis omnium ciuitatum, atque aetatum, diligenter versandis, ita esse consumendos, vt septuagintauiralem maxime librorum

sacro-

sacrorum versionem meminerit sibi studiose esse, et inspiciendam, et cum oratione Prophetarum Hebraica, atque Graeca Apostolorum, Ioh. Vorstii, Tho. Gataqueri, Pe. Keuchenii, etiam Bezae, et Grotii, aliorumque, exemplo, conferendam, sed sic tamen, vt, neque caeterorum Veteris Testamenti interpretum reliquiae, atque libri, quos nunc Apocryphos appellamus, neglegantur, neque grammaticorum veterum de forma, et vsu, et significatibus, verborum, formularumque, in variis Graeciae linguis, in primis Attica, et Macedonica, et Alexandrina, praeceptio contemnatur. Phrynichum enim, et Pollucem, et Herodianum, aliosque grammaticos, et aetate illis, et doctrina, pares, quis nescit, non solum vsos esse eorum auctorum, quorum libri ad nostram peruenere memoriam, codicibus fere integris, et incontaminatis, sed etiam innumerabilia alia omnium dialectorum scripta, eaque probatissima, quae aetas nostra, neque vidit adhuc, neque vnquam visura est, adiisse? Et grammaticos posteriorum saeculorum, vt Etymologici magni auctorem, Eustathium, archiepiscopum Thessalonicensem, atque alios, nemo ignorat consuluisse hoc in genere superiorum grammaticorum, eorumque doctissimorum, commentarios, quorum vsuram nobis fatorum iniquitate ereptam esse dolemus. Hi igitur homines, qui cum summo doctrinae Graecae studio coniunxissent admirabilem quandam curam, atque diligentiam, quis dubitet, quin de ingenio, et dotibus, vt reliquarum linguarum Graeciae, ita etiam Macedonicae, Alexandrinaeque, dialecti, potuerint multo verius, atque certius, iudicare,

quam

quam nostrae memoriae grammatici, qui in hac quamuis magna librorum cuiusque generis loquendi paucitate, eorumque multis in locis, vel ipsorum grammaticorum, vel librariorum, inscitia misere corruptorum, contaminatorumque, tamen de figura, et vsu, et potestate, et compositione, verborum Graecorum, etiam formularum, ita statuere audeant, vt praecepta veterum grammaticorum, et decreta, de huius generis rebus acerrime oppugnent?

III. Vbi vero is, qui condere Lexicon librorum sacrorum idoneum velit, ad iustam orationis eorum Graecae intellegentiam iis, quas demonstrauimus, viis peruenerit, ita, vt menti ipsius obuersentur eaedem rerum formae, ac species, quae Apostolorum mentibus obuersatae fuerint, vtque naturam, et rationem, verborum, et simplicium, et iunctorum, omnem planissime cognitam habeat: tum summa sibi contentione hoc agendum esse putabit, vt facultatem interpretandi Noui Testamenti grauem, neque mediocrem, consequatur. Quae quidem facultas duabus continetur partibus: quarum vna in excellente quadam linguae, qua in explicando vtare, peritia cernitur, altera posita est in egregia ipsarum artis interpretandi legum scientia. Iam quum Euangelistarum commentarii, et Apostolorum epistolae, nulla prorsus alia lingua, quam Latina, commodius, et planius, propter arctissima necessitudinis vtriusque sermonis, Hebraicaeque linguae cum Graeca coniunctionis, vincula, explicari possint; quum Lexica Noui Testamenti propterea edantur, vt consulantur

in

in omnibus ciuitatibus ab cunctis literarum bonarum, Christianaeque religionis, studiosis, quibus vsus Latinae orationis reperiatur communis: huiusmodi librorum conditores diligenter videre oportebit, vt assiduitate, et cura, lectionis optimorum Latinitatis auctorum accuratam sibi, et plenam, Latinarum literarum cognitionem comparent. Sed ipsius interpretationis naturam, et leges, quas libros diuinos communes habere cum humanis res vtique ipsa loquitur, sibi ita cognoscendas esse statuent, vt plurimum temporis, atque operae, in enarrandis libris barbaris vtriusque linguae ponant. Huius enim exercitationis diligentia, et diuturnitate, edocti intellegent, nullum librum, nullam, nec minimam, vllius libri particulam, explicari vllo modo prius posse, quam de integritate scripturae loci, et verbi, cuiusque constiterit, sed vitia scripturae, nisi quidem omnino desperata deprehendantur, remediis tolli debere, et vero posse, vel e codicibus probis, vel e proprio, aut alieno, ingenio, depromtis, et, si libri veteres inter se de scriptura loci alicuius, atque verbi, discrepent, eam esse lectionem caeteris praeferendam, quae ipsarum rerum naturae, et consilio scriptoris cuiusque, et vsui loquendi, vel ipsis proprio, vel temporibus, quibus eorum quisque vixerit, communi, quam maxime congruat, non hanc, quae plurium modo codicum auctoritate, ac fide, confirmetur. Vbi autem orationis auctorum, quorum libros sibi interpretandos sumserint, recensus fuerit ita actus, vt omnia verba appareat esse recta, et genuina, nullum alienum, et prauum: tum sententiam loci cuiusque exprimere stude-

ſtudebunt Latina oratione eiuſmodi, cuius ſit ea ſubtilitas, atque elegantia, quae lectores Latine doctos, non iubeat, ſed cogat adeo, eadem cum ſcriptore quoque cogitare. Huic particulae voluminum Graecorum, et Latinorum, cuiuſque interpretationi ſubiungent vberiorem verborum, formularumque, reconditarum explanationem, quae, non modo perſequatur varios earum, et multiplices, ſignificatus, cum proprios, tum etiam tranſlatos, atque horum origines, et cauſſas, coniunctionem, et neceſſitudinem, patefaciat, ita, vt interioribus, atque obſcurioribus, lucem arceſſat e locis eorundem, aut aliorum, ſcriptorum claris, et e libris grammaticorum veterum, qui laudibus doctrinae Graecae, et Latinae, cumulati excelluerint, non neglecta inſolentis ſtructurae orationis indagatione, ſed etiam complectatur accuratam ipſarum rerum, quae verbis ſignificantur, expoſitionem, quae e fontibus hiſtoriae antiquae omnis generis, et mythologiae, et philoſophiae, et geographiae, hauriatur, vel ab opinionibus, et inſtitutis, et moribus, ciuitatum priſcarum petatur. Harum enim doctrinae liberalis partium copiae magnae, et firmae, quum lectoribus, et interpretibus, diligentibus librorum Graecorum, et Latinorum, cotidie nec quaeſitae occurrant: ab quibus, quaeſo, eas ſperemus facilius, et melius, ad illuſtrandam auctorum vtriuſque linguae orationem conferri poſſe?

IIII. Comparata igitur his, quas oſtendimus, viis etiam facultate artis interpretandi idonea, inſtrumentique eius, ac ſupellectilis, omnis

co-

cognitione graui, futuri Lexicorum Noui Testamenti conditores instituent iam Euangelistarum commentarios, et epistolas Apostolorum, non modo legere, et relegere, studiosissime ipsi, sed aliis quoque semel, atque iterum, ac saepius, enarrare. Etenim quis nescit, quam saepe accidere soleat lectoribus librorum veterum vtriusque sermonis etiam attentissimis hoc, vt sibi videantur multa verba, multas formulas, intellegere, quarum vim si explicare aliis iussi fuerint, eam videant sibi esse, aut omnino non, aut certe non satis, cognitam? Huius autem ipsius persuasionis vanitate ne capiantur mentes lectorum Noui Testamenti, sane eo magis verendum esse intellegitur, quo plus orationem horum librorum abhorrere ab oratione voluminum barbarorum, quoque remotiores ab iudicio sensuum, quo grauiores, amplioresque, angustiis, atque imbecillitate, ingenii humani, contineri eorum corpore expositas res, nouimus. Sed ab Lexicographorum quidem animis inutilissimam istam, interpretumque personis indignissimam, arrogantiam arbitramur omnium, et certissime, et facillime, defendi, atque prohiberi, posse studio interpretandi aliis libros Noui Testamenti ante, quam ipsa eorum componere Lexica aggrediantur. Huius enim operae diligentia, praesertim si saepius repetatur, fieri non posse apparet, quin isti homines, non videant, sed cernant, quae intellegantur ab ipsis, quae minus, iubeanturque anquirere, et parare, omnia intellegentiae verborum adiumenta, maximeque ea, quae ab continuatione, et serie, sententiarum arcessi recte possint. Itaque omnino meminemine-

minerint, in enarrandis libris diuinis easdem sequendas esse vias, quibus humanorum librorum interpretes insistere soleant. Optandam igitur sibi esse ducent recensionem orationis Graecae, non qualemcunque, sed optimam, certe eam, quae ab laude bonitatis, intellegentissimi cuiusque iudicio, quam proxime absit: qualem Erasmi, et Bezae, Bengelii, et Grisbachii, etiam Matthaeii, curae debemus. Huius recensionis auctoritatem ita sequentur, vt aliarum quoque recensionum rationem habeant, lectionumque earum leuitatis caussas afferant; vt copias scripturae diuersae ex antiquis codicibus, post Millium in primis, Bengeliumque, et Vetstenium, etiam Grisbachium, a Matthaeio nuper, et Altero, et Birchio [2], collectas inspiciant, earumque delectum, cognitis, vsus diuturnitate, codicis cuiusque, vel virtutibus, vel vitiis, sic agant, vt, sicubi lectiones reperiantur veriores, melioresque, in ordinem receptis, eas, additis elegantiae ipsarum rationibus, afferant; vt deni-que

2. Christi. Frider. Matthaeius, V. C., libros omnes N. T., vt aliis ornamentis, ita copiis codd. Mosquensium, auctos edidit Rigae A. C. 1782. — 1788. octonis, Voll. 12. Franc. Car. Alterus eosdem libros e cod. Vindob. 23. Nessel, expressos, adiunctis aliorum codd. Vindobb. lectionibus, quorum descriptio edita est Hafniae A. C. 1773. 8. ab Herm. Treschouio, vulgauit Vindobonae A. C. 1787. 8. Voll. 2. Et A. C. 1788. Andreas Birchius euangelia quatuor, additis codd. Hafniensium opibus, publicauit Hafniae quaternis: quam eorum editionem breui subsequetur editio reliquorum N. T. librorum.

que de iis locis, quorum ſcriptura manifeſte praua ſit, aut certe ſuſpecta, et dubia, deprehendatur, ita exponant, vt coniecturas de integritate iis reddenda, vel proprias, vel alienas, cum lectoribus Noui Teſtamenti communicent. Indagata vero, et confirmata, cuiuſque loci lectione vera, cognita, et patefacta, recta verbi cuiuſque ſcriptura, in explicanda Euangeliſtarum, Apoſtolorumque, oratione ipſa verſabuntur hoc modo. Et primum quidem ſingula vocabula complectentur cura ſua ſic, vt quaerant, adhibita etiam grammaticorum veterum auctoritate, quae verba, et nomina, et particulae, quae particularum formae, quae nominum, eorumque numerorum, et caſuum, et generum, et graduum, ſpecies, quae verborum, eorumque temporum, et perſonarum, figurae, probae ſint, et bene Graecae, quae improbae, et a Macedonibus, Alexandrinisue, effictae, et vſurpatae; vt nomina, et verba, in Lexicis recentioribus, vel praetermiſſa, vel nullius ſcriptoris antiqui auctoritate communita, annotent, eorumque naturam, atque ingenium, apertis idoneorum auctorum locis, demonſtrent; vt verbi cuiuſque, et nominis, et particulae, vim, et poteſtatem, loco quoque, conſulto vſu loquendi, vel Graecorum, in primiſque Macedonum, et Alexandrinorum, vel Hebraeorum, vel ipſorum Noui Teſtamenti ſcriptorum, ita definiant, vt ſuis de gloſſarum ſignificatibus praeceptis pondus addant doctrina, et conſenſu, interpretis Latini veteris, et grammaticorum, qui gloſſographi vocantur, et doctorum eccleſiae antiquae probatiſſimorum, itemque conſpiratione, et elegan-

gantia, variantium lectionum, quarum permagnam partem glossematis, iisque fere e similibus locis librorum sacrorum petitis, contineri constat, subiunctis quoque, sicubi opus fuerit, verbis Hebraicis, quorum partes Apostoli, Iudaeorum Alexandrinorum exemplo, Graecis verbis dederint, et comparata oratione versionis Veteris Testamenti septuagintauiralis cum reliquarum eius versionum Graecarum oratione; vt verba, et nomina, personarum, magistratuum, prouinciarum, opidorum, vicorum, aliorumque locorum, numorum item, et mensurarum, et ponderum, et vestium, et aliarum rerum ad vitam domesticam veterum, vel ad sacra, vel ad iudicia, vel ad militiam, vel ad reliqua instituta, cum publica, tum priuata, pertinentium, luce historiae, et geographiae, antiquitatumque Iudaicarum, et Graecarum, et Romanarum, ita illustrent, vt clara omnia, et certa, appareant lectoribus, nihil ambiguum, obscurumque, relinquatur. Deinde formulas loquendi omnes, Macedonicas maxime, atque ex Hebraicis expressas, diligenter explicabunt, et ita, vt in his quidem interpretandis consuetudinem linguae Hebraeae, et septuagintauiralis versionis Veteris Testamenti auctoritatem, sequantur, sed ad illarum explanationem adhibeant grammaticorum veterum praecepta, et scriptorum Macedonicorum locos, quos, vel ipsi inuenerint inter legendum, vel ab aliis Noui Testamenti interpretibus enotatos viderint. Consequutionis porro temporum insolentiam [3] non minus, quam ver-

 bo-

3. V. c. Matth. 24, 43. εἰ ᾔδει ὁ οἰκοδεσπότης, ποίᾳ φυλα-

borum ſtructuram, vel nouam, et peregrinam, vel exquiſitam, et paucis cognitam, ſtudioſe obſeruabunt, atque ſic, vt huius quidem origines ab indole linguae Graecae veteris [4], aut Macedonicae [5], aut Hebraicae [6], repetendas eſſe doceant.

Φυλακῇ ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἄν. add. Luc. 12, 39. Nam pro ἔρχεται leges conſequutionis temporum ſeribi iubebant ἐλεύσοιτο, certe ἔρχοιτο.

4. Luc. 9, 28. ἐγένετο δὲ μετὰ τοὺς λόγους τούτους ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ. Scilicet haec forma loquendi, quae interpretes N. T. fere omnes ita offendit, vt varias excogitarint rationes, quibus eam expedirent, ex lingua Hebraica: vid. 1. Sam. 1, 2., et Schroederus inſtitutt. L. H. ſyntax. 3, 62.: profecta eſſe videtur, vt complures aliae, in linguam Hellenicam, ſiue Graecam veterem, et inde migraſſe in dialectum, cum Atticam antiquam, ſiue Ionicam, tum Doricam maxime, quae fere eadem eſſet cum Hellenica. Vnde a grammaticis veteribus dicitur σχῆμα Δωρικὸν, etiam Πινδαρικόν. v. Euſtathius ad Il. δ' p. 494. Rom. et ibi Politus p. 1072. ſ. To. 3.: ρ' p. 1110. Odyſ. α' p. 1427. Rom., et Leſbonax περὶ σχημάτων p. 184. Valquen. Conf. Salmaſius de Helleniſt. p. 146. Et quum haec figura diu neglecta iacuiſſet, lingua Macedonica noua eam, et excitaſſe, et rurſus vſurpaſſe, videtur. Certe ſic intellegi poteſt, qui factum ſit, vt recentiores librarii hoc in genere apud Platonem, et Xenophontem, alioſque linguae Atticae, et mediae, et nouae, auctores, ſaepenumero pro plurali verborum numero ſcripſerint ſingularem: vt Cyrop. 4, 5. 2. pro οἱ ἵπποι αὐτῶν εἶχον in cod. Guelf. legitur οἱ ἵπποι αὐτοῖς εἶχε. add. Plato Sympoſ. 13. not. 7. Sed plura a nobis ea de re diſputabuntur, volente deo, in animaduerſionibus ad grammaticam Velleri.

5. Matth. 15, 35. καὶ ἐκέλευσε τοῖς ὄχλοις ἀναπεσεῖν ἐπὶ τὴν γῆν· ſic enim in plurimis codicibus ſcriptum legitur: pauci quidam pro τοῖς ὄχλοις habent τοὺς ὄχλους, ſ. e c. 14, 19. Etenim Attica quidem dialectus addi-

ceant. Denique in patefacienda paroemiarum, et parabolarum, et allegoriarum, sententia ita

 ver-

addidit sic verbo κελεύειν accusatiuum personae. Herodianus Philet. p. 433. Piers. Κελεύω ποιεῖν τόνδε, κατὰ τὴν αἰτιατικὴν πτῶσιν. Phavorinus, nesciebam vnde, fortasse e Georgii Lecapeni grammatica, v. κελεύω· Κελεύω πρὸς ἀπαρέμφατον κατ' ἐντελῆ σύνταξιν ἀποδιδόμενον, αἰτιατικῇ συντάσσεται. Vid. Hesiod. Ἔργ. 60. s. 63. s. Nam casus personae tertius iungitur verbo κελεύειν, vel simpliciter, vel sequentibus infinitiuis aliorum verborum, tum, quum significat *hortari*. vid. Hesiod. Ἀσπ. 193. Hippocrat. Παραγγ. s. 8. p. 65. Lind. To. 1. Theocrit. Idyl. 24, 126. Atque eo pertinet, vt plures loci Homerici alii, ita quoque locus Il. π', 727. s.: vid. Eustath. ad Il. λ' p. 831. 27. et p. 884. 10. Rom.: etsi non ignoro, Stephanum thes. L. Gr. h. v. pag. 112. To. 2., aliosque, putasse, κελεύειν ibi esse *iubere*, *imperare*, ita, vt Macedones, et Alexandrini, viderentur istam verbi constructionem repetiisse e lingua Graecorum vetere. Sed lingua Macedonica noua, atque adeo Alexandrina, instituit tum, quum κελεύειν valet *iubere*, pro casu quarto substituere tertium. Tob. 8, 18. ἐκέλευσε δὲ τοῖς οἰκέταις χῶσαι τὸν τάφον. Sed Matthaeus, vel potius euangelii eius interpres, fieri potest, vt etiam datiuum personae verbo κελεύειν adiunxerit, quod sciret, verbum Hebraicum צִוָּה comitem habere, non tantum particulam אֵת, sed etiam indicem datiui לְ, vt Chaldaicum verbum פַּקֵּדָא, et Syriacum ܦܩܕ. Caeterum grammatici, et librarii, recentiores, quibus constructio verbi κελεύειν Macedonica notior esset, quam Attica, talibus in locis librorum Atticorum quartum casum fere mutarunt in tertium, ita, vt facile appareat, hos locos nihil valere posse ad infringendam praecepti grammaticorum veterum de structura verbi κελεύειν Attica vim, immo iis integritatem reddi, auctoritate eius, debere. Sic apud Xen. Cyrop. 1, 3. 8. pro κέλευσον δὴ — τῷ Σάκᾳ καὶ ἐμοὶ δοῦναι τὸ ἔκπωμα e cod. Guelf. Brem. Altorp. rescribi sine vlla contro-

versabuntur, vt non singula earum verba consectanda esse ostendant, immo summas rerum verbis significatarum, summas praeceptorum, et cohortationum, spectari ab lectoribus iubeant.

V. Hoc autem industriae, ac diligentiae, cursu, non semel, sed iterum, ac saepius, confecto, futurus Lexici librorum sacrorum conditor instituet summa cura in literas referre ea omnia, quibus idoneam eorum interpretationem contineri demonstrauimus, ita quidem, vt opus suum omnino omnibus verbis, et formulis, Noui Testamenti augeat; vt indicet sedes cuiusque verbi, et formulae, ad vnam omnes; vt significatus omnium verborum, et formularum, omnes attingat, eosque hoc collocet ordine, vt proprii anteeant, translati ita subsequantur, vt coniunctio eorum, atque necessitudo, abdita, et occulta, neminem lateat, promta, et aperta, omnibus pateat. Sed prouidebit etiam quam diligentissime, vt omnia exponantur oratione Latina eiusmodi, quae elegantiam veterem referat, sententiamque Graecorum verborum ita reddat, vt lectores Latine docti cogantur adeo omnibus in locis eadem cum Euangelista quoque, et Apo-

trouersia debet κέλ. δὴ — τοῦ Σάκχυ κ. τ. λ. Alii huiusmodi loci sunt eiusdem operis 4, 2. 6. 6, 1. 10.

6. Act. 3, 12. ὡς — πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν αὐτόν. 1. Corr. 2, 2. οὐ γὰρ ἔκρινα τοῦ εἰδέναι τι ἐν ὑμῖν. Scilicet Lucas, et Paulus, genitiuo articuli, qui e Graeca quidem ratione abesse debebat, particulam ל, quam Hebraei ita addere infinitiuis solent, expresserunt exemplo Alexandrinorum interpretum. vid. Iudd. 1, 14. 1. Chronn. 17, 6. 21, 1. Ruth. 3, 3. Conf. Prolus. 13, 2. 32.

Apoſtolo, cogitare. Et quemadmodum quiuis opifex, qui exiſtimationis ſit praeclarae ſtudioſus, in efficiendis operibus, quae grauibus probari iudicibus velit, docta ſibi tarditate vtendum eſſe intellegit, neque prius illa prodire ex officina patitur, quam ſingulas eorum partes recognouerit ſaepius, quo videat, an omnino perfecta, omnibuſque numeris abſoluta, appareant: ita Lexicographi Noui Teſtamenti, qui, et ab ſuae aetatis hominibus, et ab omni poſteritate, bene audire velint, in componendis libris ſuis, quos lectoribus reperiri liberalibus quam vtiliſſimos cupiant, non paucos annos, ſed plures, ab ſe conſumendos eſſe exiſtimabunt, neque eos ante in manus hominum venire ſinent, quam fuerint ita perfecti, atque perpoliti, vt careant omnibus vitiis, quae ab huius generis libris abeſſe debere docuimus, ſed excellant ornamentis omnibus, quibus bona Noui Teſtamenti Lexica excellere oportere oſtendimus [7]. Hac autem in opera omni videbunt, vt propoſitam ſibi habeant, non eruditionis, et ſolertiae, oſtentationem vanam, ſed vtilem expoſitionem doctrinae Chriſtianae, cuius ex accurata cognitione efflorefcant vbique gentium maiora, atque acriora, ſanctitatis, pietatiſque aduerſus deum, ſtudia, quae ſequatur aſſidua, et diligens, aliarum virtutum omnium exercitatio. Hoc enim animo praediti confidere vtique poterunt, fore, vt, Spiritus Sancti auxilio adiuti, partes ſuas praeclariſſime, et cum ſumma optimi cuiuſque approbatione, peragant.

 VI.

7. Proluſ. I, 2.

VI. Nos quidem ante hos duodeuiginti annos, parentis noſtri, nonagenarii propemodum ſenis, cui hoc literarum genere nihil carius eſſet, nihilque antiquius, hortatu, et auctoritate, inſtituimus quaerere de Lexicorum Noui Teſtamenti adhuc editorum vitiis, eorumque cauſſis, et remediis, hoc maxime conſilio, vt alumni diſciplinae noſtrae, aliique aduleſcentes liberales, viderent, quantis, et quam firmis, doctrinae Graecae, et Hebraicae, et Latinae, copiis ad libros ſacros, et recte intellegendos, et ſollerter interpretandos, opus eſſet, atque adeo excitarentur, vt mature ſtuderent hunc tantum, tamque luculentum, intellegentiae eorum, et interpretationis, apparatum comparare, quem, procedente aetate, ita adaugerent, vt graui rerum diuinarum ſcientia inſtructi, cum ipſi fructus eius dulciſſimos perciperent, tum alios ea quam plurimos impertirent: et deus hiſce inſtitutis noſtris tantopere fauit, vt nos diſputationem illam ſaluos, et bene valentes, non ſine ſingulari quadam animi noſtri voluptate, et laetitia, ad finem perducere, neque paucos exiſtere bonos, iuſſerit, quibus ea ob vtilitatis magnitudinem, quam inde redundaturam eſſe ad omnes ſacrarum literarum ſtudioſos ſperarent, non parum probaretur. Nos vero hanc inſignem dei benignitatem nunc praedicamus pii, gratique ſpondemus, nos etiam poſthac, in hoc poſtremo vitae noſtrae actu, omnes dies, omnes dierum horas, omnia horarum momenta, eſſe in ſtudiis rerum diuinarum, et humanarum, ſed maxime tamen diuinarum, ita collocaturos, vt complectamur omnibus modis

modis omnium disciplinae nostrae alumnorum salutem, et rationes.

VII. Horum enim tres, quorum nomina subiecimus, IOH. IRENOTHEVS ROESNERVS, *Conouico Misnicus:* IOH. AENOTHEVS MELSERVS, *Vendisioluco Misnicus:* cuius tamen personam suscepit IOH. THEOPHILVS SARCANDER, *Neapoli Nariscus*, auditorum classicorum iam princeps: et IOH CHRISTI. FRIDER. VISIVS, *Bornensis:* bonae spei adulescentes, quorum tertius nobis semper ob cupiditatem bonarum literarum non mediocrem, rarumque modestiae studium, praecipue carus fuit, constituerunt, exactis annis in schola nostra legitimis, ex ea se in academiam Lipsiensem conferre. Iam quum recordati essemus, alumnis disciplinae Thomanae publicis superiore anno datum esse ab senatu Lipsiensi excellentem artis canendi voce, et neruis, magistrum, in cuius inauguratione rector ludi oratiuncula Latina breui docuisset, quam digna ponenda esset musice personae hominis praestantia: iussimus adulescentes optimos de laudibus eiusdem artis Latine verba facere ante discessum e ludo nostro suum, ita quidem, vt primus eorum ostenderet, *studium musicae esse persona hominis ingenui, et liberalis, dignum;* secundus exponeret *sententiam Graecorum veterum, et Romanorum, de studio musicae, eiusque tractandae ratione;* tertius denique persequeretur *quaestionem, an hodie attingi deberet musica ab adulescentibus ingenuis, et quomodo, quemque ad finem.* His igitur discipulorum nostrorum oratiunculis vt interesse fa-

ventes velint patroni amplissimi scholae, et curatores eius grauissimi, et fautores rei Thomanae, bonarumque literarum, excellentissimi omnes, eos ita rogamus, vt vehementius non possimus, spondeamusque, animos nostros memoria huius beneficii noui etiam magis inflammatum iri studio bene merendi opera nostra de rationibus, et salute, puerorum, et adulescentium, liberalium, qui fidei nostrae sunt, atque curae, commissi. Scripsimus Lipsiae, in Schola Thomana, a. d. XIII. Kal. Maias A. C CIↃIↃCCLXXXX

INDEX PRIMVS

SCRIPTORVM DIVINORVM VTR. TESTAM. ET AVCTORVM VETT. VTR. LINGVAE QVORVM LOCI IN PROLVSS. DE VITIIS LEXX. N. T. ILLVSTRANTVR EXPLICANTVR EMENDANTVR

Primus numerus Prolusionem *indicat*, *secundus* segmentum eius, *caeteri* notas.

Chari-

Mat-

INDEX SECVNDVS

VERBORVM FORMVLARVMQVE HEBRR QVAE IN PROLVSS. DE VITIIS LEXX N. T. ILLVSTRANTVR ATQVE EXPLICANTVR

ה

סָרִיס

INDEX TERTIVS

VERBORVM FORMVLARVMQVE GRAECARVM ET LATINARVM QVAE IN PROLVSS. DE VITIIS LEXICORVM N. T ILLVSTRANTVR ATQVE EXPLICANTVR

Ἄρτον

Διώ-

Ex-

Z

H

Θ

I

Concio

Μετρη-

Π

 Publi-

Scitus

INDEX QVARTVS

RERVM AD GRAMMATICAM MAXIME PERTINENTIVM QVAE IN PROLVSS. DE VITIIS LEXX. N. T. ATTINGVNTVR

H

I

K

L

R

S

Scri-

V

et praestantiorum, ponuntur ab Hebraeis pro verbis rei totius 12, 1.: quae a Lexicographis N. T. perperam explicantur verbis partes declarantibus 12, 2.: verba tralata a grammaticis antiquis explicantur, atque adeo ab ipsis scriptoribus commutantur, verbis propriis 8, 3. 8, 4. 8, 5.: verbis, et formulis, actionum, et corporis, et animi, verba, et formulae, quibus accessiones quaedam actionum exprimantur, ab scriptoribus N. T., ita praemittuntur, vt actionibus ipsis nullam accedere appareat vim, 9, 2.: verborum tralatorum, et immutatorum, vsus origo, celebrationisque eorum caussa, 8, 2.: verbis affectionem quandam corporis, animiue, declarantibus adduntur participia eorundem verborum, vel ablatiui, aut accusatiui, nominum ab iisdem verbis ductorum, ita, vt ipsam verborum vim non augeant, 9, 2.: verba impetum proprie, et vim, quandam declarantia ponuntur saepenumero ita, vt notio violentiae excludatur, 13, 2. 57.: verba multa, et formulae, sequuntur constructionem eorum verborum, quorum vicem implent, 14, 4. 1.: verbis peregrinis, etiam Graecis, reconditam quandam vim habentibus, adduntur in N. T. interpretamenta, vel simpliciter, vel interuenientibus verbis, formulisque, quibusdam, 9, 3. 14, 5. 37.: verbis nec obscuris, et incertis, scriptores N. T. addunt alia verba, quibus eorum vis explicetur, exemplo Hebraeorum, 20, 4. 27.: verborum, quibus scripta Euangelistarum, et Apostolorum, interpolata sunt, indagatio, et diiudicatio, est maximis cum difficultatibus coniuncta 23, 2.

Versionis Latinae veteris librorum sacrorum auctor in reddendis verbis duces sequutus est fere interpretes Graecos, in his ma-

---

MENDA OPERARVM

P. 268. v. 3. *leg.* petitus.

P. 330. v. 17. *leg.* לְהַצִּילֵנִי, *et* רָצָה.

P. 373. v. 18. *leg.* si non incognitum.

P. 394. v. 28. *tollatur* signum asterisci.

P. 417. v. 11. *leg.* vtilia.

P. 554. not. 34. *leg.* סְלָעִין, סְלָעִין דִּכְסַף.

P. 582. v. 7. *leg.* irreparabiliumque.

P. 597. not. 55. *leg.* fortuito casu.

P. 707. not. 102. *leg.* bene.